FACTI SPECIES ET QUAESTIONES

DE RE MORALI

EDITIO ALTERA

EMENDATA ET AUCTA ATQUE AD NOVISSIMOS

IURIS PONTIFICII CANONES REDACTA

AUCTORE

SACERDOTE IOANNE BAPTISTA PAGANI

SODALI A CARITATE

WITHDRAWN

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S.S. CORDIS JESU.

NOVARIAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA E. CATTANEO

MCMXXI

241
P129f

16382

ADPROBATIO PRIORIS EDITIONIS

Imprimatur
Fr. Albertus Lepidi O. P. P. Ap. Magister

Imprimatur
Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren., Vicesgerens

ADPROBATIO HUIUS EDITIONIS
V. Nihil obstat quominus

Imprimatur
Novariae, die xx Iulii mcmxx

Sac. Ioann. Maria Pellegatta
Parochus S. Michaëlis, Cens. Eccl.

Imprimatur
Novariae, die xxi Iulii mcmxx
✠ Ioseph Episcopus

PRAEFATIO

SECUNDAE HUIUS OPERIS EDITIONI

Huic operi in lucem iterum prodeunti nonnulla praefari libet quae tibi, candide lector, potissimas illud rursus prelo committendi causas aperiant.

Quum primum opus hoc fuit editum, plures iique spectatissimi viri mihi sunt gratulati, aliis contra (oppido numero perpaucis) satis acriter succensentibus. Utrisque gratum testor animum, quippe mihi auctores fuere ut opus denuo excusurus quaedam enucleatius efferrem, quaedam haud spernendis firmarem rationum momentis, quaedam etiam emendarem; quo facto id futurum esse confido ut haec operis editio acceptior illis evasura sit, his vero minus displicitura.

Accedit quod, cum *Codex iuris canonici* Apostolicae Sedis iussu recens evulgatus plures in Ecclesiae statuta mutationes invexerit, non paucas et in morum scientiam mutationes inductae sunt ob arctum cognationis vinculum quo duae hae disciplinae inter se continentur; hinc propositis quaestionibus nonnunquam necesse fuit talia exhibere responsa quae a novissimi *Codicis* scitis non abhorrerent, immo cum iis plane componerentur. Ceterum, tum ad pleniorem theologorum intelligentiam qui ante dicti *Codicis* editionem sua scripta exararunt, tum ut magis discrimen pateret quod inter vetera et nova statuta intercedit, placuit interdum, quasi historice, ea memorare quae antiquo iure vigente obtinebant.

Vides, humanissime lector, praecipuas causas ob quas mihi, nedum opportunum, necessarium prorsus visum fuit has de re morali facti species et quaestiones tibi rursus ob oculos ponere, paululum emendatas et auctas atque hodiernis iuris pontificii statutis magis accommodatas. Plura adhuc desiderabis quibus tenuitatem meam deficere sentio; rogo parcas, sinasque me Augustini verba mea facere: *Si lecta probaveris et vera perviderís, nostra esse non putes, nisi quia data sunt; eoque te convertas licet, unde tibi quoque est ut ea probares datum..... Quod si falsa aliqua atque improbanda compereris, de humano nubilo irrorata scias et ea vere nostra esse deputes* (1).

(1) Epist. XIX (alias LXXXIV) ad Gaium.

PRAEFATIO

PRIORI HUIUS OPERIS EDITIONI

Quum paucis abhinc annis scriptiunculam vulgavi *De regulis ad certam nobis conscientiam praestandam,* fuerunt qui sat benigno vultu illam excipientes me iterum atque iterum hortati sunt ut alias de re morali quaestiones tractandas susciperem. Quorum desiderio, postquam meae conscius tenuitatis diu reluctaverim, tandem ut aliquatenus obsecundarem, in id consilii deveni ut nonnullas facti species et quaestiones, quas olim meae disciplinae alumnis disceptandas proposueram, in unum collectas prelo committerem. *Nonnullas*, inquam, non enim mihi fuit in animo universam morum scientiae versare materiam (quod senescenti aetati fractisque iam viribus impar onus esset ac vix tolerandum), sed ex amplissima fruge quaedam veluti carptim sumere atque eo ordine digesta proferre, quem in suis tractatibus plerique huius scientiae doctores sectari solent. In quaestionibus definiendis magis intrinsecis rationum momentis quam theologorum nomini deferendum putavi, nam si *nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet* (1). Ne ideo tamen autumes theologorum auctoritatem me parum pensi habuisse, quandoquidem vix unquam sententiam meam theologorum cum veterum tum recentiorum auctoritate communiendam non curavi.

(1) S. Thomas, *Quodlib,* IV, a. XVIII.

Quamquam potissime in tironum commodum hoc opus, qualecumque sit, concinnavi, attamen, si forte ad sapientiorum manus venerit, humaniter excipiant rogo; et si quid in me offenderint minus apte dictum aut minus recte, liberrime notent, corrigant, carpant, non enim is sum qui a suscepta semel animo persuasione discedere nefas duco, neque laudem aveo quam Tullius cuidam tribuebat: *Nullum unquam verbum quod revocare vellet, emisit. Quae quidem laus,* cum Augustino subdam, *quamvis praeclarissima videatur, tamen credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto* (1).

(1) Epist. CXLIII (alias VII) ad Marcellinum.

INDICULUS SCRIPTORUM ET OPERUM

QUAE PRAE CETERIS AD MANUM HABUIMUS HOC IN OPERE CONFICIENDO

Acta Apostolicae Sedis, commentarium officiale ab anno 1909 ad 1915.

Aichner, *Compendium iuris ecclesiastici*, ed. VI, Brixinae, 1887.

Alasia, *Commentaria*, Augustae Taurinorum, MDCCLXXXIV.

Alphonsus (S.) *Theologia moralis*, Venetiis, typ. Antonelli, MDCCCXXXIII; *Homo apostolicus, Praxis confessarii.*

Antoine, *Theologia moralis universa*, Venetiis, MDCCLXIX.

Ballerini-Palmieri, *Opus theologicum morale*, Prati, ex officina libraria Giacchetti, 1889-1893.

Ballerini, Vide Gury.

Benedictus XIV, *De Synodo dioecesana; Del S. Sacrificio della Messa*, Torino, 1886, Tip. Speirani, Vide Lambertini.

Billuart, *Summa S. Thomae* etc. Lugduni, 1839.

Bonacina, *Opera omnia moralia*, Mediolani, MDCCXXXIV.

Bonaventura (S.), *In lib. Sententiarum*, Venetiis, MDLXXX.

Bouvier, *Institutiones theologicae*, ed. V, Parisiis, MDCCCXLIV.

Bucceroni, *Institutiones theologiae moralis*, ed. VI, Romae, 1914.

Caietanus, *In Summa theologica S. Thomae*, Venetiis, MDXCIIII.

Canus, *De locis theologicis*, *Relectiones de Sacramentis et de Poententia.*

Carolus (S.) *Avvertenze di S. Carlo Borromeo per i confessori con un breve commento* del P. Malacrida, Milano, tip. S. Giuseppe, 1910.

Carrière, *De iustitia, De contractibus, De matrimonio.*

Catechismus Concilii Tridentini, Taurini, typ. Pomba; MDCCCXXXII.

Cavigioli, *De censuris latae sententiae*, Commentariolum, Torino, libreria editrice internazionale, 1919.

Cerato, *Censurae vigentes ipso facto a* Codice iuris canonici *excerptae*, Commentum, Patavii, typ. Seminari, MCMXVIII; *Matrimonium a* Codice iuris canonici *integre desumptum cum adnotationibus*, Patavii, eisdem typis, MCMXX; *Theologia moralis, De iustitia et iure*, 1913, *De contractibus*, 1914, eisdem typis.

Cimetier. Vide Tanquerey.

Clericatus, *Erotemata ecclesiastica*, ed. VI, Venetiis, MDCCXXV.
Codex iuris canonici Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus, Romae MCMXVII.
Collet, *Institutiones theologicae*, ed. III, Venetiis, MDCCLXXVII.
Compendium Salmanticense, auctore Fr. Antonio a S. Ioseph, ed. I, Veneta, Bassani, 1789.
Costantini, *Institutiones theologiae moralis*, ed. III, Romae, 1900.
Creusen et Vermeersch. Vide Vermeersch.

D'Annibale, *Summula theologiae moralis*, ed. IV; *In Constitutionem* Apostolicae Sedis *commentarii*, ed. IV.
Del Vecchio, *Theologia moralis universa auctore P. Scavini in compendium redacta*, ed. II, Mediolani 1880.
De Varceno, *Compendium theologiae moralis*, ed. IV, Taurini, 1876.

Fanfani, *De iure religiosorum ad norman* Codicis iuris canonici, Augustae Taurinorum, 1920.
Fasolis, *Novo testo di filosofia ad uso dei licei e dei seminari*, Torino, 1870.
Ferraris, *Bibliotheca canonica iuridico-moralis*.
Ferrazza, *Gli impedimenti matrimoniali secondo il Codice di diritto canonico per uso dei parroci*, Subiaco, tip. dei Monasteri, 1918.
Ferrè, *Degli universali secondo la teoria rosminiana confrontata colla dottrina di S. Tommaso d'Aquino*, Casale, tip. Bertero, 1880-1886.
Ferreres, *Epitome Compendii theologiae moralis*, edit. altera, Barcinone, 1919.
Frassinetti, *Compendio della teologia morale di S. Alfonso*, 6ª ediz. 1876.

Gastaldi, *Theologia moralis ad clerum archidioecesis taurinensis*, Augustae Taurinorum, typ. Marietti, MDCCCLXXIX-MDCCCLXXX.
Gatti, *Cristologia evangelica proposta in conferenze apologetiche*, Torino, tip. De Agostini. 1853.
Gazzaniga, *Praelectiones theologicae*, Venetiis, MDCCCXIX.
Gaume, *Manuel des confesseurs*, 6e edit. Bruxelles, 1843.
Génicot, *Institutiones theologiae moralis*, edit. VIII (quam recognovit Salsmans), Bruxelles, 1920.
Geraldini, *La quiete dei confessori*, ediz. IV, Mondovì, 1902.
Guillois, *Spiegazione storica, dogmatica, morale, liturgica, canonica del Catechismo*, Prato, tip. Guasti, 1865.
Gousset, *Exposition des principes du droit canonique*, Paris 1859; *Teologia morale*, 4ª ediz. italiana sopra la 9ª di Parigi, MDCCCLVII.
Gury, *Compendium theologiae moralis auctum a Dumas*, edit. VI, Parisiis, MDCCCXCIX; *Casus conscientiae*, edit. V.
Gury-Ballerini, *Compendium theologiae moralis, Ballerini adnotationibus locupletatum*, edit. Romae, MDCCCLVII.

Habert, *Theologia dogmatica et moralis*, MDCCLXV.

Illsung, *Arbor scientiae boni et mali, seu Theologia practica universa*, Venetiis, MDCC.

Kazemberger, *Supplementum theologiae moralis P. Sporer*, Novocomi, MDCCXLII.
Kresslinger. Vide Reiffenstuel.

La Croix, *Theologia moralis*, Ravennae, MDCCXLVII.
Lambertini, *Casus conscientiae*, Bononiae, 1762.
Lanzoni, *Compendium Theologiae dogmaticae*. Augustae Taurinorum, 1881, 1882.
Lapponi, *Ipnotismo e spiritismo*, ediz. 3ª, 1907.
Laymann, *Theologia moralis*, Venetiis, MDCCXIX.
Lehmkuhl, *Theologia moralis*, edit. XI, *Casus conscientiae*, edit. III. Vide Reuter.
Lessius, *De iustitia et iure*, Antuerpiae, MDCXXVI.
Lugo (de) *Opera omnia*.

Malacrida. Vide Carolum (S.).
Mannaioli, *Supplementum editioni quintae* Summulae theologiae moralis I. D'Annibale, Romae, 1909.
Mansi, *Epitome doctrinae moralis et canonicae Benedicti XIV*, Bassani, 1770.
Méric, *Il meraviglioso e la scienza*, tip. Salesiana, Torino, 1889.
Missiaglia, *Osservazioni intorno alle censure fatte al frasario rosminiano nella esposizione delle dottrine cattoliche*, Verona, MDCCCLXXVII, tip. Apollonio.

Natalis Alexander, *Theologia dogmatica et moralis*, ed. V, Venetiis, CIↃIↃCCXLIII.
Navarrus, *Enchiridion seu Manuale confessariorum et poenitentium*.

Palmieri, Vide Ballerini.
Pellagatta, *La levatrice istruita per l'amministrazione del S. Battesimo*, Novara, libreria salesiana, 1917.
Pennacchi, *Commentaria in Constitutionem* Apostolicae Sedis, Romae, ex typographia poliglotta, 1883.
Perez, *Del sonno e dei sogni*, tip. Speirani, 1880.
Perrone, *De matrimonio christiano*.
Pestalozza, *Compendium philosophiae*, Mediolani, typ. Redaelli, 1857.
Pezzani, *De celebratione sponsalium et matrimonii, seu commentarium in Decretum* Ne temere, ed. III, 1908.
Pighi, *Censurae sententiae latae et irregularitates quas habet* Codex iuris canonici, ed. V, Veronae, typ. Cinguetti, MCMXIX; *De Sacramento matrimonii*, ibi.
Piscetta, *Theologiae moralis elementa*, editio altera, Augustae Taurinorum, MDCCCCIV-MDCCCCVII.
Pramaggiore, *Theologia moralis*, Taurini, typ. Cassone, 1854.
Prierio (De), Vide *Summa Sylvestrina*.

Rebaudengo, *Institutiones theologicae*, Salûtiis, MDCCCXLVII.
Reginaldus, *Praxis fori poenitentialis*, Mediolani, MDCXIX.
Reinffenstuel, *Theologia moralis cum adnotationibus Massaei Kresslinger, Mutinae*, MDCCXLV.
Reuter, *Neo-confessarius (textus emendati et aucti cura A. Lehmkuhl)*.
Rosmini, *Principii della scienza morale. Compendio di etica, Trattato della coscienza, Filosofia del diritto. Antropologia soprannaturale, Le nozioni di peccato e di colpa*, aliaque opera.

Sanchez, *De matrimonio*, Venetiis, MDCXCII.
Scavini, *Theologia moralis universa*, ed. XII, 1874.
Schmalzgrueber, *Ius ecclesiasticum universum*, Neapoli, MDCCXXXVIII.
Sebastiani, *Summarium theologiae moralis*, ed. V, Augustae Taurinorum, 1920.
Segneri, *Il Confessore istruito*, Venezia, MDCLXXXVII.

Sporer, *Theologia moralis, (cum supplemento)*. Vide Kazemberger.
Suarez, *Opera omnia.*
Summa Sylvestrina (auctore F. Sylvestro de Priero), Venetiis, mdxciii.

Tanquerey, *Synopsis theologiae moralis*, Romae et Tornaci, typ. Desclée, 1905, 1908, 1912; *Reformanda in praeviis editionibus Synopsis theologiae moralis secundum* Codicem Iuris Canonici, Romae, 1919.
Thomas (S.), *Opera omnia.*

Vermeersch, *Summa iuris canonici commentario aucta*, editio altera, Mechliniae, 1918. *De castitate et vitiis contrariis*, Romae, Università Gregoriana, 1919.
Vindiciae alphonsianae, Romae, typ. de Propaganda fide, 1873.
Viva, *Damnatarum thesium theologica trutina*, editio decimaquarta, Patavii, mdccxlix.
Voit, *Theologia moralis*, edit. I taurinensis, typ. Marietti, 1833.

Wouters, *De systemate morali dissertatio*, Galopiae, 1909.

Zaninetti, *Theologia moralis*, Novariae, typ. S. Gaudentii, 1909.

ANIMADVERTENDA.

Quum S. Alphonsus sine ullo operis additamento citatur, volumus intelligas *Theologiam moralem*, et numero romano librum, arabico vero paragraphum signari. Quum citantur Voit, Gury, Gousset, Scavini, Lehmkuhl, Del Vecchio, D'Annibale, Piscetta, Gastaldi, Génicot, numerus romanus volumen, arabicus paragraphum designat. Quum citatur auctor, operis titulo reticito, opus subaudi quod *Indiculo* superius tradito recensetur; quum vero operis tractatus reticetur, intellige tractatum illum ad quem proposita facti species pertinet.

PARS PRIMA

IN TRACTATUS

De actibus - De conscientia - De legibus - De peccatis
De decalogo - De iustitia - De contractibus - De censuris

IN TRACTATUM
DE ACTIBUS HUMANIS

I.

Augustus, vir probus sed indole petulans, cum in Caium inimicum suum incidisset ab eoque nedum verbis sed et baculo fuisset impetitus, desiderio illum interficiendi subito exardescit, arreptoque pugione in eum irruit. At statim, irae impetu cohibito, pedem retrahit; subinde compos sui factus, timensque ne lethalem culpam admiserit, confessarium quaerit peccatum suum Sacramento expiaturus.

Alias, tametsi pravae blasphemandi consuetudini abolendae strenuam dedit operam, cum adversario rixatus, iterum iterumque in blasphemias erumpit; mox facti dolens ad confessarium revertitur.

Idem, cum probe nosset vino se facile percuti ac deinde rixari, sedulo cavet ne sobrietatis limites bibendo transiliat; sed, sociis ad bibendum allicientibus immo impellentibus, ebrietate ante corripitur quam eius periculum animadvertat; et quia res rem consequitur, rixas de more cum sociis miscet. Altera die, vino digesto, cum lacrimis ad confessarium se denuo confert.

Quaeritur I. Quid discriminis voluntarium inter et liberum?

Q. II. Quid imputationis nomine?

Q. III. Quaenam praecipua voluntarii impedimenta?

Q. IV. An in triplici facti specie voluntarium adfuerit et peccatum?

Q. V. Quid in secunda specie, si pravae blasphemandi consuetudini eluendae nullam Augustus navaverit operam?

Quaestionum solutio.

1. — Resp. ad I Q. *Voluntas*, ait S. Thomas, ***nominat rationalem appetitum*** (1). Quae definitio ut planior fiat, animadvertas velim duplici primigenia potentia hominem praeditum esse, ***sensu*** nempe et *intellectu*, quarum utraque passiva seu receptiva vocatur. Iamvero, quum quaelibet potentia termino suo haereat, immo ad se se illi magis coniungendam suapte natura feratur, idcirco potentiis passivis activae seu appetitivae, ut Scholae loquuntur, respondent (2). Activa potentia quae sensui respondet, *instinctus* seu ***appetitus sensitivus*** dicitur; quae intellectui, *voluntas* seu ***appetitus rationalis*** nuncupatur.

Quo posito, illud omne *voluntarium* appellamus, quod ex voluntate quoquomodo proficiscitur; et quia voluntas bifariam agit, necessario scilicet et libere, hinc voluntarii divisio in ***voluntarium simplex*** et ***voluntarium liberum***. Enimvero plures sunt actus quos voluntas sua sponte exerit, quin ab iis sustinere se valeat. Exempli causa, actus quo bonum in universum appetit necessarius est, cum non possit voluntas bonum non velle quod est naturale eius obiectum (3): hinc Italus Poeta:

> ***Questa prima voglia***
> ***Merto di lode o di biasmo non cape*** (4).

Idipsum dic de actibus illis a quibus abest eligendi facultas, cuiusmodi sunt benevolentiae vel malevolentiae actus quos puellus elicit, discretionis annos nondum adeptus; vel qui ex habitu praepotente prosiliunt rationisque iudicium praevertunt, vel quibus caelites beati Deum diligunt, reprobi contra aeternis cruciatibus addicti ipsum oderunt (5). Haec omnia ad voluntarium simplex pertinere manifestum est (6). Alii sunt voluntatis actus quos pro libitu suo homo elicere vel non elicere potest: his voluntarium liberum constat. Libertas ex qua actus huiusmodi prodeunt, in eo sita est ut quis ***potestatem habeat suae voluntatis*** (7), seu dominus sui actus existat: ***est autem quis dominus sui actus per liberum arbitrium*** (8). Nempe libertas ***indifferentiae*** (quae et

(1) I^{a} II^{ae}, q. VI, a. II ad 1^{um}.

(2) I^{a}, q. LXIV, a. II et q. LXXXIII, a. III ad 1^{um}, Vide Rosmini, ***Principii della scienza morale***, c. V, a. I; ***Antropologia***, n. 521 et seq.

(3) I^{a} II^{ae}, q. X, a. I ad 3^{um}.

(4) Dante, *Purg.*, XXVIII, 59, 60.

(5) S. Thomas, *Supplem.* q. XCVIII, a. VI, Rosmini, ***Coscienza***, 72-103; Gastaldi, I, p. 12; Pestalozza, ***Compendium, philosophiae, Psychologia***, n. 165; Ferrè, ***Degli universali***, vol. VIII, 1093, 1094; Missiaglia, ***Osservazioni***, c. VI.

(6) Plerumque rerum moralium scriptores *voluntarium* illud appellant quod *liberum* est; praestat tamen (ut scite animadvertit Costantini, ***Institut. theologiae moralis***, 10) propriam verborum significationem servare.

(7) I ***Cor***. VII, 37.

(8) S. Thomas, ***De Veritate***, q. XXIX, a. VI.

bilateralis audit, et de qua una hic sermo) in hoc est posita, ut homo inter bonum obiectivum seu honestum et subiectivum seu delectabile sibi invicem adversantia constitutus, in alterutram partem voluntatem suam flectere queat, altera parte posthabita. *Ex hoc liberi arbitrii esse dicimur*, ait S. Thomas, *quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere : et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet* (1). Liberum ergo illud dicendum est quod quisque et velle et reiicere potest. Et quia libera voluntas modo obiectum suum directo attingit, modo ex obliquo et quasi effectum qui ex actu suo tamquam ex causa procedit; idcirco liberum diducitur in liberum *in se* et liberum *in causa* (2).

2. — Resp. ad II Q. Imputare moralem actum idem est ac illum cuipiam tribuere tamquam auctori seu causae efficienti. Nemo autem causa plena et efficiens sui actus existit, cuius dominium non habet : cumque per libertatem tantum quisque sui actus sit dominus, propterea nisi actus liberi imputari agenti nequeunt. Est ergo in re morali imputatio: *Iudicium illud quo actum libero eius auctori tanquam causae adscribimus.* Et quia actus vel in se vel in causa liber esse potest, ut supra monuimus, propterea vel in se vel in causa imputationi subest (3). Placet Doctoris Angelici auctoritate haec firmare. *Ex hoc dicitur actus culpabilis vel laudabilis quod imputatur agenti : nihil enim est aliud laudari vel culpari, quam imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actus. Tunc enim actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui actus : hoc est autem in actibus voluntariis* (intellige de voluntario perfecto, nempe libero), *quia per voluntatem homo dominium sui actus habet* (4). Ex qua doctrina (sit obiter dictum) Angelicus statim infert, quid intersit *peccatum* inter et *culpam:* nimirum peccatum est omne malum morale, seu libere seu necessario fiat; culpa vero non est nisi malum illud quod a libera voluntate proficiscitur. Sed de hoc alias (n. 125).

3. — Resp. ad III Q. Quidquid voluntati seu libere seu necessario agenti officit, impedimenti obtinet nomen. Praecipua voluntarii impedimenta recensuri, monendi sumus, quaedam libertatem labefactare immo prorsus extinguere quin voluntarium auferant; quandoque etiam, adempta vel saltem extenuata libera eligendi facultate, posse voluntatem ad unum obiectum fortius impelli atque ita voluntarium augeri (5).

(1) I^{a}, q. LXXXIII, a. III.

(2) Rosmini, *Antropologia*, 571 et seq.; *Compendio di Etica*, 119-122, 171.

(3) Rosmini, *Antropologia*, 870-871; *Compendio di Etica*, 123. Fasolis, *Etica*, nn. 417-422.

(4) I^{a} II^{ae}, q. XXI, a. II.

(5) Haec quae de voluntarii impedimentis summis digitis attingimus, fusiore calamo theologi morales et psychologi prosequuntur. Vide sis S. Thomam, I^{a} II^{ae}, qq. VI, LXXVI et LXXVI; Laymann, l. I, tr. II, cc. IV, V, VI; Reiffenstuel, tr. I, q. IV; Sporer, tr. I, c. II, sect. IV; Natalem Alexan-

4. — I. *Ignorantia* nedum liberum sed et voluntarium potest pro modo suo minuere, secundum illud: *Qui non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis* (1). Hinc Christus ipse, ut crucifixoribus suis veniam facilius impetraret, ita Patrem rogavit: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* (2). Et Paulus, qui christianorum acerrimus insectator extiterat, de se ait: *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (3). Immo potest ignorantia quandoque voluntarium penitus auferre: etenim deficiente intellectus cognitione, deficit voluntatis obiectum. Hinc trita axiomata: *Voluntas in incognitum non fertur: Nil volitum quin praecognitum*; *Ignoti nulla cupido*. Ad ignorantiam revocantur *error* et *praeiudicata opinio*, in quibus semper aliquid ignorantiae inest (Vide dicenda n. 22).

5. — II. *Instinctus*, qui et *appetitus sensitivus* appellatur, voluntatem alliciendo, impellendo, rapiendo, libertati obest, nonnunquam etiam eam penitus aufert. *Cum omnes potentiae animae in una essentia animae radicentur*, scite animadvertit Angelicus Doctor, *necesse est quod quando una potentia intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totaliter in suo actu impediatur... Et secundum hunc modum per quandam distractionem, quando motus appetitus sensitivi fortificatur secundum quamcumque passionem, necesse est quod remittatur vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis qui est voluntas* (4). Duae sunt instinctus notae, vehementia atque celeritas. Namque potest instinctus tanto impetu ac vehementia moveri ut aditum, nedum libertati, voluntati ipsi praecludat: quo in eventu tam liberum quam voluntarium exulet necesse est. Potest etiam instinctus ob morbidam corporis conditionem, libertatis actum, sin minus voluntatis, intercipere: quod in dormientibus contingit, in temulentis, in amentibus, et in iis quorum animus ad alia avocatur, vel qui quavis de causa mentis suae compotes non sunt. Item potest tam subito in actum proruere ut voluntatem secum trahat, tempore ad eligendum erepto: quod in furiosis, in hydrophobis atque in iis qui inopinato cupidinis aestu in actum prosiliunt, usuvenire compertum est. In qua hypothesi ratio voluntarii, non tamen liberi, adhuc in actibus inest: non enim potest voluntas libere quidquam eligere, inconsulta ratione; neque rationem consulere, nisi aliquod temporis

DRUM, c. III, *De peccatis*, c. I, a. X; S. ALPHONSUM, l. V, a. II; LEHMKUHL, I, 75-86; ROSMINI, *Antropologia*, 650-763; *Compendio di Etica*, 177-185; *Coscienza*, 64-70, 97-99; FASOLIS, *Etica*, c. VI, *Dei limiti della libertà*, 369-371; PESTALOZZA, *Compendium Philosophiae, Psychologia*, l. II, sect. III: p. II, c. IV, *De libertatis impedimentis*; GAZZANIGA, *De actibus humanis*, dis. I.

(1) LUC. XII, 48.

(2) LUC. XXIII, 34.

(3) I *Tim.* I, 13.

(4) I^{a} e II^{ae}, q. LXXVII, a I.

spatium sibi ad deliberandum relinquatur. Hi actus sunt quos theologi *primo-primos* appellant. Ad extremum, corporis conditio eiusmodi esse potest quae rationis iudicium obtundat, quin penitus intercipiat (quod videre est in semisomnis, atque in iis qui vino aliquantulum madefacti vel animo huc illuc discurrentes satis adhuc sui compotes sunt); item motus instinctuum eiusmodi esse potest qui non omnem agentis actuositatem exhauriat, neque facultatem adimat eligendi, quamvis pro vehementiae et celeritatis modo libertatem imminuat. Hic actibus illis fit locus qui *secundo-primi* seu *semivoluntarii* vocantur (1).

6. — III. *Passiones* consequuntur instinctum a quo gignuntur: propterea de passionibus idem fere dicendum est quod de instinctu. Sunt enim passiones vivaciores quaedam affectiones animi, quae phantasiam commovent, iudicium perturbant, proindeque liberae voluntatis actioni plus minus obsunt (2). Harum aliae non sunt in se malae, veluti amor, aemulatio, ira, metus; aliae vero malae sunt, veluti odium, libido, avaritia. Instinctus passionumque vires per Adae peccatum contra rationem supra modum invaluere, nam *sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (3): hinc voluntatis vehemens inclinatio ad malum et diminutae liberi arbitrii vires. Hanc autem pravam voluntatis inclinationem nonnunquam per generationem excrescere explorata res est, generatio enim nedum corpore sed et anima (immo magis anima) generantium perficitur; hinc parentum avorumque seu virtutes seu vitia saepissime in filios nepotesve transire comperimus: quod Venusinus Poeta hisce versibus cecinit:

Fortes creantur fortibus et bonis...
Foecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos (4).

Absit tamen ut ingenitarum propensionum adeo extollamus vim, ut libertatem ab homine penitus exulare iubeamus: quod aetate nostra, Lombroso duce, nonnulli conati sunt adstruere, ut hinc inferrent, eiusmodi homines natura sua flagitiosos custodiendos quidem esse ne reipublicae noceant, minime vero ceu criminis sontes plectendos (5).

(1) S. Alphonsus, V, a. II, § III, n. XXV.

(2) Vide Rosmini *Logica*, 290, 291.

(3) *Gen.* VIII, 21.

(4) Horatius, l. IV, Od. III, et l. III, Od. VI. De haereditariis propensionibus, et *atavismo* quem vocant, videndi Rosmini, *Diritto*, II, 1358-1368, et *Teodicea*, n. 212; Tanquerey, *De actibus humanis*, 112-115 et Malagrida, *Avvertenze di S. Carlo* (ad nn. 44, 45, 46). Inter voluntatis impedimenta quidam recensent *abouliam*, seu voluntatis carentiam, quae spectari potest tanquam morbus quidam voluntatis vires plus minusve extenuans, quandoque etiam penitus absumens. Vide Tanquerey, 128.

(5) Horum pseudo-philosophorum, qui adsciticio ac repentino vocabulo *positivisti* appellantur, deliramenta scite enarrat et refutat Tanquerey, *De iustitia*, 266-277.

Harum passionum motus, si quando rationis iudicium praevertant et liberae voluntatis imperio se subducant, voluntarium et liberum minuere immo et auferre possunt; secus vero si per liberum voluntatis actum cieantur. Ad rem novissimus *Iuris pontificii Codex: Passio si fuerit voluntarie et deliberate excitata vel nutrita, imputabilitatem potius auget: secus eam minuit plus minusve pro diverso passionis aestu: et omnino tollit, si omnem mentis deliberationem et voluntatis consensum praecedat et impediat* (1). Quae de passionibus eadem fere de quibusdam morbosis nervorum affectionibus dicenda sunt, quae rationis iudicium plus minusve perturbantes liberae voluntatis actibus officiunt (2).

7. — IV. *Vis* in actus voluntatis elicitos cadere nequit: nam *velle (homo) non potest invitus, quia velle non potest nolens velle* (3). Potest tamen vis imperatos et liberos voluntatis actus impedire, vel saltem eorum libertatem plus minus inficere, pro gravitate molestiae quam ille subit cui vis infertur. *Quantum ad actus voluntatis imperatos*, ita Doctor Angelicus *voluntas violentiam pati potest, in quantum per violentiam exteriora membra impediri possunt ne imperium voluntatis exequantur. Sed quantum ad ipsum proprium actum voluntatis non potest ei violentia inferri... Nam contra rationem ipsius actus voluntatis est quod sit coactus vel violentus* (4).

8. — V. *Habitus* ingenitus est vel acquisitus. Hic, de quo praesertim sermo, est propensio quaedam ad actus promptius, facilius, efficacius, iucundius eliciendos, quam quis iteratis iisdem actibus sibi comparavit. Hac propensione, qua voluntas in alteram partem flectitur et ab opposita retrahitur, libertatem minui palam est. Quinimmo si habitus adeo in voluntate inolevit ut videatur in naturam conversus, potest libertatem actus penitus auferre, nam *dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas* (5). Ceterum actus qui ex habitu excidunt, etsi forte necessarii *in se*, liberi plerumque sunt et imputandi *in causa*, si quando libera voluntate habitus fuit inductus. Quem tamen facti poenitet, reprobata iam causa, eius deletur et culpa. *Deletur,* inquimus, *culpa,* non autem obligatio perimitur damnificos effectus cavendi, causae efficacia durante. Vide dicenda, nn. 22, 329, 330.

9. — Resp. ad IV Q. In prima facti specie, inspectis Augusti probitate et indole, actus eius ceu primo-primus, ideoque culpa vacuus, habendus est: tanta enim instinctus vehementia ac celeritas fuit, ut voluntatem ad se rapuerit eiusque actum iudicio rationis ac liberae

(1) *Codex iuris canonici,* can. 2206.
(2) Lehmkuhl, I, 90; Ferreres, *Epitome*, 27.
(3) S. Anselmus, *De libero arbitrio,* c. V.
(4) I^{a} II^{ae} q. VI, a. IV.
(5) S. Augustinus, *Confes.* l. VIII, c. V. De habitibus plura videre poteris apud Rosminium, *Antropologia,* 750-762-828, 829; *Psicologia,* 939; *Teosofia*, 570.

electioni subduxerit. Quapropter, etsi voluntarius actus eius fuisse dicatur, liber tamen et imputabilis iam dici nequit.

Actus mali qui ex habitu praecedenti prodeunt, *in causa* diximus esse culpandos; causa autem per efficax emendationis propositum serio revocata, effectus eius iam nequeunt agenti imputari. Quapropter, etsi voluntarium iis actibus inest, liberum abest; ideoque non supremo agentis principio, hoc est personae, sed naturae tribuendi sunt (1). Ceterum in actibus ex habitu prodeuntibus plerumque non adimitur omnino libertas, sed minuitur tantum (quod tum ex personarum tum ex rerum adiunctis aestimare oportet): proinde actus illi saltem inter semivoluntarios seu secundo-secundos saepenumero recensendi sunt. Ex his inferre licet, in secunda facti specie blasphemias ab Augusto prolatas aut omni aut gravi culpa vacare.

Neque aliter in tertia specie iudicandum de rixis quae Augustus, ebrietate non voluntaria correptus, miscuit cum sociis. Quamquam, praeteritorum memor, bibulorum consortium vigilantius cavere debuisset.

Responsionem nostram auctoritate firmare placet *Codicis pontificii iuris* aientis: *Delictum in ebrietate voluntaria commissum aliqua imputabilitate non vacat, sed ea minor est quam cum idem delictum committitur ab eo qui sui plene compos sit, nisi tamen ebrietas apposite ad delictum patrandum quaesita sit; violata autem lege in ebrietate involuntaria, imputabilitas exulat omnino, si ebrietas usum rationis adimatur ex toto; minuitur, si ex parte tantum* (2).

10. — Resp. ad V Q. Si nullam pravae eluendae consuetudini impendit operam, profecto blasphemiae erunt ei imputandae: manente enim principii supremi obliquitate ob malam causam non serio revocatam, blasphemiae in sua causa liberae sunt atque culpandae: culpa tamen una fuit, omnes actus praevisos complectens (3).

II.

Iustinus oenopola copiosum vinum bibulis subministrat, etsi probe sciat non unum ex illis ad ebrietatem usque progressurum: timet enim, nisi faciat, ne consuetum lucrum amittat vel ansam bibulis praebeat blasphemandi.

Quaeritur I. An et quatenus liceat *materialem*, quam vocant, operam peccaturo praestare?

Q. II. An utraque ratio Iustinum a peccato excusare valeat?

(1) S. Alphonsus V, *De actibus humanis*, a. II, § I, n. XIV (item *Vindiciae alphonsianae*, p. III, q. VIII); Reuter, *Neo-Confessarius*, p. III, c. addit., n. 188, et seq.; D'Annibale, I, 149; Rosmini, *Coscienza*, 256.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 2201, § 3.

(3) S. Alphonsus, l. c.; Reuter, 118, f.; D'Annibale, l. c.; Rosmini, *Il razionalismo*, 212.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

11. — RESP. AD I Q. *Materialis cooperatio* ea dicitur quam quis homini peccare volenti externo dumtaxat opere praestat; quod si peccantem iuvaret consilio, iussu, approbatione, impulsu, cooperatio *formalis* foret. Haec numquam licet, quippe in se mala; illa sub quibusdam conditionibus licita est.

Et I° quidem opus quod praestas bonum vel saltem indifferens sit oportet, veluti cibum coquere, sternere equum, rhedam parare: quae enim in se mala sunt, veluti mentiri, blasphema verba vel contumeliosa proferre, obscoena patrare, nullo unquam pacto fieri possunt.

II°. Gravis requiritur causa opus illud praestandi: quandoquidem caritatis lex, qua vetamur opitulari peccanti, tunc cessat obligare quum absque gravi incommodo servari nequit. Hinc si, recusato opere, grave quidquam verearis, fas est tibi illud praestare.

III°. Quo gravius est peccatum alterius, eo gravior requiritur causa ut ei suppetias feras: hinc quaedam nisi ob mortis metum fieri nequeunt, veluti scalam deferre, ianuam aperire domino stupraturo; quaedam neque in mortis discrimine licent, veluti ensem praebere inimicum necare volenti (1).

IV°. Demum graviorem plerique causam requirunt, quo propius opere tuo ad alterius peccatum concurris (2).

Quae conditiones, adsintne vel minus, prudentum iudicio definiendum est. Ceterum animadverte, nos de iis tantum locutos fuisse, quos nulla, praeterquam caritatis, obligatio tenet aliorum peccata impediendi: si enim ratione officii, puta parentis, domini, iudicis tenerentur, eorum cooperatio nequaquam licita esset (3).

12. — RESP. AD II Q. Abs re non erit animadvertere, ebrietatem perfectam, qua nempe quis sine ulla necessitate, una cienle pravae cupidinis vi, per immoderatam vini potationem sibi liberum rationis usum intercipit, lethale esse peccatum, quandoquidem *ebriosi* (auctore Paulo apostolo) *regnum Dei non possidebunt* (4). Re enim vera seipsum sine gravi admodum causa praestantissimo bono (cuiusmodi est liber rationis usus) ob voluptatem privare atque in brutorum animalium

(1) S. ALPHONSUS, II, 66, 71; III, 571. Vide et *Vindicias alphonsianas,* vol. I, p. II, q. VIII.

(2) Postremam hanc conditionem respuit D'ANNIBALE (I, 174); alibi tamen (II, 93) a communi sententia non recedit.

(3) S. ALPHONSUS, III, 59 et seq.; SPORER, tr. V, c. I, n. 70 et seq.; REIFFENSTUEL, tr. IV, dist. VII, q. II, n. 22; VIVA, *Damnatae theses,* prop. LI Innocentii XI; BONACINA, *De peccatis,* disp. II, d. IV, p. II, n. 17 et seq.; GOUSSET, I, 398; TANQUEREY, *De actibus humanis,* 183-188; LEHMKUHL, I, 807 808, aliique communiter.

(4) I *Cor.* VI, 10.

conditionem se proiicere quae caeco sensu ducuntur, inordinatum prorsus et intrinsece malum est. Diximus *sine gravi causa*, namque multorum sententia est, quam S. Thomas aperte docuit (ad mortale peccatum requirens ut *sola vini voluptate et absque necessitate* quispiam se inebriet) et S. Alphonsus vere probabilem agnovit, quandoque fas esse ebrietati seipsum tradere et ad breve tempus rationis usu privare gravi intercedente causa, ut puta ad morbum pellendum, ad chirurgici ferri caesuram tolerandam: hisce enim in eventibus duplex adesset ebrietatis effectus, bonus alter in quem fertur voluntas, alter malus qui ab ea permittitur (1). Quibus positis, ad Iustinum veniamus.

Si multis emptoribus oenopolium deserentibus grave sentiat damnum, seu magno lucro Iustinus privetur, innoxius erit; secus vero si unus alterve bibulus aliorsum diverteret. Id ipsum fere dicendum de cauponibus qui dapes vetitas petentibus tradunt ne cauponam deserant. *Petentibus*, inquam; etenim ultro exhibere neutiquam licet, quia perinde esset ac eos ad peccandum allicere, immo provocare (2). Neque peccat Iustinus vinum ministrando ut blasphemias impediat, quae ebrietate abominabiliores sunt (3).

III.

Aurelius, ob illatam sibi a Martino iniuriam ira accensus, secum ipse constituit de medio illum tollere. Venantius Aurelii amicus consilio, precibus, obsecrationibus a tanto patrando crimine eum removere studet; nihil autem proficiens, suadet ei Martinum fuste caedat ac, salva vita, dimittat.

Quaeritur I°. Liceatne minus malum suadere gravius commissuro?

Q. II°. An Venantius formalem, quam vocant, operam Aurelio praestiterit?

Quaestionum solutio.

13. — Resp. ad I Q. Sunt quidam, neque imi subsellii theologi, qui putant nunquam licere minus malum suadere parato gravius patrare: nam qui malum alteri suadet, auctor fit eiusdem patrandi. Ex

(1) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. LXXXVIII, a. V. ad 1^{um}; S. Alphonsus, V, 75, 76; Laymann, l. III, sect. IV, 4, 5; Illsung, tr. IV, disp. I, a. III, § II; Gousset, I, 276-278; Ballerini ad Gury, I, 182 et *Op. theol. mor.* tr. *De peccatis*, 385, 386; Lehmkuhl, I, 892, 893; De Varceno, *De peccatis*, c. IV, a. V, § unic; Tanquerey, *De peccatis*, 542-544; Costantini, 376; Ferreres, 150, Scholion; Génicot, I, 185.

(2) S. Alphonsus, l. c., 69; Reuter, *Neo-Confessarius*, p. II, c. I, q. V, 9; Lambertini, *Casus conscientiae*, an. mdcclii, mense novembris; Gousset, I, 305; De Varceno, *De Praeceptis Ecclesiae*, c. II, a. I; Sebastiani, *Summarium*, 152; Ferreres, 185.

(3) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. CL, a. III.

his tamen nonnulli excipiunt, siquando minus malum in maiore, veluti pars in toto, contineatur: ut puta si centum aureos furari volenti suadeas quinquaginta furetur, si adulterium commissuro fornicationem suadeas, hoc enim esset malum extenuare magis quam suadere (1). At plerique theologi, quibus adhaeremus, id plane licere docent. Sane qui minus malum suadet ut a maiore retrahat, iam non malum qua malum est, sed qua mali imminutio, suadere dicendus. Iam vero malum minuere, non malum sed bonum est. Suasor iste quasi conditionate sic loqui videtur: *Si a peccato nullo modo te sustinere decrevisti, pecca saltem minus.* Firmatur haec sententia auctoritate S. Augustini aientis: *Si facturus est quod non licet, iam faciat adulterium et non faciat homicidium, ut vivente uxore sua alteram ducat, et non humanum sanguinem fundat* (2). Quidam etiam exemplum afferunt patriarchae Loth (3), quem S. Ambrosius aliique culpa eximunt, quod filias suas Sodomitis stuprandas obtulerit, ne deteriori flagitio se foedarent (4). An vero liceat parato grave damnum inferre Titio suadere ut minus damnum inferat Caio, quaestio est quam alio loco solvemus. (Vide dicenda n. 333).

14. — Resp. ad II Q. Si Venantius nulla ratione Aurelii malam voluntatem cohibere valuit, licuit ei minus malum suadere, non equidem illud approbando, sed aegre et quasi sinendo. Eo magis quod in proposita facti specie Martini consensus praesumi poterat: quilibet enim sanae mentis verberari mavult quam occidi: consentienti autem non fit iniuria.

IV.

Marcellinus, pius adolescens humaniorum literarum studio deditus, eruditionis gratia libros legere solet, non equidem pravos ac vetitos, sed interdum non satis castigatos. Quocirca nonnunquam turpes illum cogitationes subeunt ac concupiscentiae motus, quibus tamen nulla ratione consentit. Dubitat Marcellinus liceatne sibi hisce in lectionibus insistere.

Quaeritur I°. An et quando actum bonum vel indifferentem ponere liceat, quem duplex effectus est consecuturus, bonus alter, alter pravus?

Q. II°. Quid de Marcellino sentiendum?

(1) Ita Laymann, l. II, tr. III, c. XIII, 7; La Croix, l. II, n. 223 et e recentioribus Tanquerey, *De caritate*, n. 844; Lehmkuhl, I, 1194.

(2) *De adulterinis coniug.* l. II, c. XV.

(3) *Gen.* XIX.

(4) Ita Sanchez, *De matrimonio*, l. VII, disp. XI, nn. 14 et seq.; Sporer, tr. V, c. I, 52 et seq.: Bonacina, *De peccatis*, disp. II, p. II, 39 et *De restit.* disp. I, q. II, p. VII, 8-10; S. Alphonsus, II, 57; III, 565; V, 77; Bucceroni, *De praecepto caritatis*, VI, 433; Ferreres, *Epitome*, 173.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

15. — RESP. AD I Q. Receptum est, quibusdam conditionibus positis, hoc licitum esse. *Nihil prohibet*, ita Angelicus Doctor, *unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero praeter intentionem. Morales autem actus recipiunt speciem secundum id quod intenditur, non autem ex eo quod est praeter intentionem* (1). Conditiones autem hae sunt:

I°. Bonus effectus directe sit volitus, pravus vero permissus; directe enim hunc velle idem esset ac velle malum.

II°. Sufficiens seu probabilis adsit causa actum ponendi ac pravum effectum permittendi, adeo ut pravum effectum bonus compensare videatur. Praecipuum difficultatis punctum in definienda causae sufficientia situm est.

III°. Bonus effectus proxime, seu *immediate*, ex actu fluat: nam si effectum bonum obtinere velis per pravum, iam tua voluntas directo in malum ferretur, bonum quaerens per malum; non autem licet *facere mala ut veniant bona* (2).

16. — RESP. AD II Q. Quum lectio illa non sit in se mala, atque eruditionis gratia (idest ob honestam causam) a Marcellino suscipiatur, pravisque effectibus nullatenus ipse consentiat, omnis culpae expers iudicandus est. Secus dicendum si ex curiositate aut futili ex causa lectioni illi vacaret, periculo se committens in pravos effectus consentiendi; tunc enim ex caritate saltem erga se ipsum ab iis libris legendis abstinere deberet (3).

V.

Lydia, ut regionis suae morem sectetur viroque placeat, in publicum nudato pectore, fucato vultu, ornatisque induta vestibus prodire solet: attamen ad haec praestanda nullo pravo fine movetur. Praeterea vix unquam egredi potest, quin iuvenem quemdam incidat qui eam minus casto amore prosequitur, venatur oculis atque identidem illam comitatur.

QUAERITUR I°. An et quatenus actum ponere liceat qui occasionem cuipiam praestet peccandi?

Q. II°. An peccet Lydia sintque ei imputandi mali effectus qui suos actus consequuntur?

(1) II^{a} II^{ae}, q. LXVI, a. VII.

(2) *Rom.* III, 8.

(3) S. ALPHONSUS, III, 483; BOUVIER, *De actibus hum.* c. I, § III, sect. I; D'ANNIBALE, I, 155; LEHMKUHL, I, 72, 73; GÉNICOT, I, 14.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

17. — RESP. AD I Q. Bifariam actione tua occasionem cuipiam praestare potes peccandi: nimirum vel quia actio tua eiusmodi est quae suapte veluti natura ad peccandum provocat (quod *scandalum activum* seu *datum* vocant), vel quia mala alterius voluntas occasionem ex ea sumit peccandi (quod *scandalum passivum* seu *acceptum* appellant). Si primum, manifestum est nunquam tibi licere actionem ponere qua quispiam ad peccandum incitetur, quippe actione tua alieni peccati auctorem te faceres. Si secundum, fas est tibi plerumque honesta de causa actionem ponere, non enim ex ea sed ex prava alterius voluntate omne malum proficiscitur. Dixi *plerumque* et *honesta de causa*, nam quia Deus *mandavit unicuique de proximo suo* (1), postulat quandoque caritas ab actione etiam licita aliquoties vel ad tempus te sustineas, qua noveris quempiam abusurum ad malum. Haec plana sunt et recepta communiter (2).

18. — RESP. AD II Q. Ad Lydiam venientes singulos eius actus expendamus.

I°. Uberum nudatio, si sit immodica, turpis est atque ob corruptam hominum naturam ad excitandam libidinem nata; propterea neque regionis mos neque ratio placendi viro eam honestare valent. Si vero sit modica et consuetudo loci eam ferat (tametsi consuetudo haec digna sit quae extirpetur), damnanda Lydia non est, quae nullo pravo fine ducitur et loci morem servat: quae enim consueta sunt minus oculos feriunt commoventque sensum, quia *ab assuetis non fit passio* (3). Quae tamen auctores fuere ut mos eiusmodi invalesceret, de gravi culpa nullo pacto purgari queunt (4).

19. — II°. Fuco vultum illinere est quoddam mendacium facti, idem enim est ac mentiri formam qua quis caret. Si tamen ex animi levitate fiat (ut in feminis plerumque contingit) neque ex pravo fine, veniale peccatum non excedit. Quod si ad deformitatem aliquam tegendam mulier id praestet, vel ad annorum iniurias elegantia celandas ut viro suo placeat, ab omni culpa videtur purganda (5).

(1) *Eccli.* XVII, 12.

(2) S. THOMAS, II^a, II^{ae}, q. XLIII; S. ALPHONSUS, II, 43 et seq.; *Salmanticense Compendium*, tr. *De caritate*, c. IV; SPORER, BONACINA, aliique inferius citandi.

(3) NAVARRUS, *Enchiridion*, c. XXIII, 19; BONACINA, *De matrim.* disp. IX, q. IV, p. IV, 23; SPORER, tr. V, c. I, sect. II, 38; LA CROIX, l. II, *De caritate*, 243 REIFFENSTUEL, tr. IV, dist. VII, q. II, add. V; S. ALPHONSUS, l. c., 55; GOUSSET, I, 319; COSTANTINI, 338; FERRERES, *Epitome*, 175.

(4) COSTANTINI. l. c.

(5) NAVARRUS, 20; BONACINA, 25; LA CROIX, REIFFENSTUEL, FERRERES, ll. cc.; S. FRANCISCUS SALESIUS, *Introduzione alla vita devota*, p. III, c. XXV; S. ALPHONSUS, 54; GOUSSET, I, 321.

20. — III°. Ad vestium ornatum quod attinet, si eiusmodi sit qui conditioni ac facultatibus mulieris congruat, nihilque procax atque ad venerem excitans prae se ferat, nullo nomine erit improbandus. Quod si in vestium cultu sectando femina sit nimia, poterit tamquam prodiga vel inanis gloriae studiosa notari, quin illico scandali rea censenda sit atque alienae obnoxia culpae (1). Quamquam ornamentorum nimietas christianam mulierem dedecet semper, tum quia levem eius testatur animum, tum quia facile se conspicientibus peccandi periculum facessit, divinum quippe monitum est: *Averte faciem tuam a muliere compta* (2).

21. — IV°. Ad extremum non peccat mulier quae sive animi causa, sive ut templum adeat, sive ad visendam amicam egreditur domo, tametsi sciat iuveni nequam occasionem se praebituram peccandi: utitur enim iure suo remque in se bonam praestat; propterea durum esset prohibere eam perpetuo, ne pedem domo efferat ad malum cavendum ex prava cuiuspiam voluntate unice proveniens. Quia tamen vult caritas ut, quoad eius fieri potest, offendiculum alteri non ponamus, curet mulier ne facile ac sine probabili causa in publicum prodeat, non egrediatur sola, occursum nedum comitatum libidinosi hominis respuat ut animum suum eius pravae voluntati reluctantem ostendat, immo (ut docet S. Alphonsus cum Sporer, La Croix et aliis) etiam a Sacro audiendo *semel aut iterum* die festo se sustineat, si opus fuerit, quo melius animum suum patefaciat (3). Hanc tamen obligationem a Sacro se sustinendi non immerito alii inficiantur, cum de scandalo accepto agatur, quod nempe ex una accipientis pravitate ortum habet (4). Ob probabilem utriusque sententiae rationem dicimus posse quidem mulierem semel aut bis ita se gerere ut alterius peccatum praecaveat, non tamen esse ad hoc adigendam (5).

Ex his pronum est inferre an et quatenus Lydia in singulis peccaverit, sintque illi imputandi mali effectus suorum actuum sequaces. Ceterum, quia in re admodum periculosa versamur, suadendum est Lydiae, honestarum feminarum exempla magis quam regionis morem respiciat: videatque ne, dum viro placere studet, displiceat Deo; memineritque Pauli sententiam: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt* (6).

(1) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. CLXIX, a. II ad 3^{um}; Navarrus, 18; Bonacina, 26; Sporer, 38, 39; La Croix, l. c.; Illsung, tr. III, disp. unica, a. VI, § III: S. Alphonsus, 54.

(2) *Eccli.* IX, 8.

(3) Bonacina, *De peccatis* , disp. II, q. IV, p. II, § unic., n. 27; Sporer, 35-37; La Croix, l. c.; S. Alphonsus, 53, Reuter, *Neo Confessarius*, p. II, c. II, q. III, n. 112; Sebastiani, *Summarium*, 147.

(4) Illsung, l. c.; Ballerini-Palmieri, tr. *De caritatis praeceptis*, 226.

(5) Bucceroni, *De praecepto caritatis*, VI, 441; Scavini, II, 890.

(6) I *Cor.* VI, 12.

VI.

Eusebius haec confessario suo peccata manifestat; « Volens inimicum occidere, amicum interfeci; dum venando cervum iacularer, inimicum transfodi in dumeto latitantem; in pervigilio festi carnes ignorans manducavi, at Sacro ex pigritia non interfueram dominico die, quum ieiunia per hebdomadam praecepta christianae plebi denunciantur ».

Quaeritur I°. Quandonam ignorantia a peccato liberat?

Q. II°. Quid de Eusebio iudicandum?

Quaestionum solutio.

22. — Resp. ad I Q. Ignorantiam inter voluntarii impedimenta recensuimus (n. 4): quod enim ignoratur, *quatenus ignoratur*, voluntatis obiectum esse nequit. Ignorantia diducitur in *vincibilem* et *invincibilem*: illa quae pelli potest, haec quae nequit. Ignorantia invincibilis culpa vacat; contra vincibilis, si circa illa versetur quae quis scire debet, a peccato non liberat, cum et ipsa peccatum sit et causa peccati (1). *Non tibi deputatur ad culpam*, ita Augustinus, *quod invitus ignoras* (en invincibilis ignorantia) *sed quod negligis quaerere quod ignoras* (en ignorantia vincibilis et culpabilis) (2). Ut autem effectus ex ignorantia vincibili et culpabili prodeuntes ei imputari queant qui hac ignorantia laborans causam praestitit, requiritur ut potuerint ac debuerint praevideri, fuerintque confuse saltem praevisi, veluti si scias plerumque illos ex eiusmodi causa evenire, vel saltem eventuros suspiceris: quae enim nullatenus praevidentur, voluntaria esse non possunt quia prorsus incognita (3). Ceterum, cum hi pravi effectus in causa tantum ac pro praevisionis modo sint culpandi, tunc adest culpa quum eorum ponitur causa, sive deinceps effectus eveniant sive minus: quippe voluntas tunc malorum effectuum foeditate imbuitur, quum eorum causam ponit (4).

23. — Resp. ad II Q. Eusebio est imputanda mors *hominis*, sciebat enim se hominem occisurum; non autem *amici*, quippe quae praeter

(1) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. LXXVI; S. Alphonsus, V. 4, ceterique communiter. Missas facimus alias ignorantiae species, de quibus plura apud theologos invenies, cum ad propositum nostrum eae non pertineant.

(2) *De libero arbitrio* I. III, c. XIX, n. 43.

(3) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. XX, a. V; Sporer, *De actibus hum.* 33; La Croix *De peccatis*, 5; S. Alphonsus, V, *De actibus hum*, a II, § I, n. X, Bouvier, *De actibus hum*, c. I, a. unic., § III, sect. I; Tanquerey, *De actibus hum.* 170 et seq.; Rosmini, *Compendio di Etica*, 170-176.

(4) Reiffenstuel, tr. I, dist. II, q. III; Bouvier, l. c.: Tanquerey, n. 174; Rosmini, *Il razionalismo*, 212.

omnem praevisionem, immo contra voluntatem, accidit (1). Neque occisio inimici in dumeto latentis est Eusebio imputanda, si de periculo hominem interficiendi nulla prudens suberat suspicio. Quod autem attinet ad carnium esum in pervigilio, etsi peccavit Sacro non adsistens, non peccavit manducando, nisi forte de obligatione dubitaverit dubiumque, cum posset, excutiendum non curavit: in qua hypothesi, cum dubium ex culpabili ignorantia proficiscatur, illud debuisset amplecti quod tutius vel saltem verosimilius apparuisset (2).

VII.

Mauritius, vini potator validus, Lucretium et Ephysium amicos suos ad bibendum invitat, ad pares haustus provocans. Post plures epotatos calices uterque amicus, iam temulentus, surgit domum suam reversurus: at extemplo Lucretius exanimis corruit; Ephysius vero, prae vino pedibus vix consistens et ob Lucretii casum exterrefactus, in terram labitur sibique crus effringit.

Quaeritur. An amicorum ebrietas effectusque sequaces Mauritio sint imputandi?

Quaestionis solutio.

24. — Resp. ad Q. Recole quae diximus in superioribus solvendis quaestionibus, et nullo negotio quid de Mauritio sentire debeas perspicies. Nimirum amicos provocans ad pares haustus, ad malum incitat: quippe certare mero perinde est ac velle se et socios ad ebrietatem inducere, vix enim unquam stulta huiusmodi certatio in ebrietatem non desinit. *Qui alterum cogit ut se, plus quam opus est bibendo inebriet* (ita S. Caesarius Arelatensis), *minus malum ei erat si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatem occideret* (3). Quapropter ebrietas amicorum Mauritio tamquam formaliter cooperanti imputanda est (4). Minime vero imputanda sunt Lucretii mors et Ephysii crurifragium, quum enim non sint effectus qui ebrietatem consequi soleant, praevideri a Mauritio non poterant.

(1) S. Alphonsus, l. III, 628; Carrière, *De iustitia*, 724; Gury, I, 684, Gousset. 948; Génicot, I, 522: Frassinetti, nota 69; Ferreres, *Epitome*, 411; Cerato, *De iustitia*, 173; Sebastiani, *Summarium*, 326. At si de damnis reficiendis in proposita facti specie quaeratur, nobis dicendum videtur ea esse sarcienda quae ex *hominis* morte secutura praevidebantur. Vide Rosmini, *Diritto*, vol. II, n. 2507, nota.

(2) Videsis opusculum *De regulis ad certam nobis conscientiam praestandam* (Romae editum anno 1909 ex officina typographica Forzani et Soc.), n. 55, et quae proxime dicturi sumus (n. 29).

(3) Sermo XC (alias inter augustinianos *De tempore*).

(4) La Croix *De peccatis*, n. 321; S. Alphonsus (cum Busembaum), V, 77; Natalis Alexander, l. III, *De peccatis*. c. X. a. V, Regula VIII; D'Annibale, II, 64; Reuter, *Neo-Confessarius*, p. II, c. I, q. V, n. 9.

VIII.

Pluribus Martinus contendit, exteriorem actum bonitatem vel malitiam interiori superaddere. Nam I° interior actus sola voluntate perficitur, ad exteriorem vero ceterae potentiae concurrunt. II°. Quorsum sextum et septimum Decalogi praecepta adulterium et furtum vetantia? nonne satis superque fuisset nono et decimo adulterii et furti desiderium prohibere? III°. Secus, idem prorsus esset Baptismum desiderare ac recipere, martyrium optare ac perferre, virginitatem avere ac servare; quum contra nisi per Baptismi Sacramentum rite susceptum quispiam in Ecclesiae corpus non cooptetur et characterem recipiat, nec laureolam martyrum ac virginum consequatur nisi qui martyr et virgo reipsa fuerit. IV°. Accedit communis hominum persuasio, qui non eiusdem bonitatis ac meriti esse putant centum aureos pauperibus velle dare ac reipsa tribuere, neque eiusdem pravitatis decem homines interficere velle ac reipsa necare. V° Demum inter omnes convenit, exteriorem actum in confessione peccatorum esse necessario aperiendum.

Quaeritur I°. An per exteriorem actum bonitas vel malitia interioris augeatur?

Q. II°. Quid de Martini sententia singulisque argumentis quibus eam adstruere conatur?

Quaestionum solutio.

25. — Resp. ad I Q. Elegans quaestio, non otiosa tamen, ac diu in scholis agitata: in ea paulisper libet immorari. Si moralis actus analysim subtilius instituamus, facili negotio inveniemus unam esse moralitatis sedem, voluntatem: *voluntas est qua peccatur et recte vivitur* (1). Sane *iudicium practicum*, quo ad bonum vel ad malum nos flectimur, quodque actus voluntatis *elicitus* nuncupatur, per voluntatem dumtaxat perficitur atque in ea consummatur; propterea bonum est vel malum, prout legi congruit vel minus (2). Contra actus qui

(1) S. Augustinus, *Retract*, l. I, c. IX.

(2) Moralitatem in iudicio practico ponendam esse, pluribus argumentis conficitur, quae videre potes apud Rosmini, *Storia comparativa dei sistemi morali*, c. VIII, a. III, § 3: *Filosofia del Diritto*, vol. I; *Sistema morale*, sez. III, n. II. Vide etiam Fasolis, *Etica*, nn. 161-163, 233, 234; Pestalozza, *Compendium philosophiae, Ethicae*, l. I, 104-109; Missiaglia, *Osservazioni* ecc. c. III. Placet doctrinam hanc obiter firmare auctoritate Bellarminii dicentis: *Quicumque in peccatum aliquod consentit, loquitur falsum in corde suo, quia iudicat expedire sibi quod revera sibi non expedit. Ita omnia peccata cordis reduci possunt tamquam ad radicem ad falsum iudicium* (in *Psalm.* XIV, 3). Et rursus (in *Psalm* XCVI, 12) affirmat: *Iustitiae lux incipit oriri alicui quando cognoscere incipit non theorice tantum sed etiam* **practice** *iustum et iniustum, et illud* **iudicat** *et* **eligit** *quod vere iustum et bonum est.*

per ceteras potentias voluntatis imperio perficiuntur, quique *imperati* vocantur, eatenus boni sunt vel mali quatenus a bona vel mala voluntate proficiscuntur. Aliis verbis, actus voluntatis interior seu elicitus *per se* moralis est; actus vero exterior seu imperatus omnem bonitatem suam vel pravitatem extrinsecus accipit, idest a voluntate mutuatur, proinde moralis dicitur *per participationem* tantum. Voluntatem deme, fac inferiores potentias ad actum suum, nihil voluntate praestante, prosilire; exulabitque ab actu moralitas. Manifestum est igitur, exteriorem actum in se spectatum, nempe a voluntate seiunctum, ad bonitatem vel pravitatem interioris actus nihil prorsus conferre (1). Haec doctrina SS. Literarum ac SS. Patrum testimoniis firmatur, qui voluntatem pro facto reputandam esse censent (2).

Diximus exteriorem actum *in se spectatum* nihil ad bonitatem vel pravitatem interioris conferre; at *per accidens,* ut aiunt, saepissime interioris actus moralitas per exteriorem augetur, quatenus exterior actus moralitatis augendae causam vel occasionem praestat. Nam actus exterior seu imperatus interiorem seu elicitum subsequatur necesse est; ex quo fit ut aliquod temporis spatium, etsi minimum, alterum inter et alterum intercedat oportet. Praeterea saepe saepius inferiores potentiae, sive ob nativam segnitiem, sive propter obstacula removenda, imperio voluntatis serius obtemperant. Quae cum ita sint, plerumque accidit ut, antequam exterior actus perficiatur, modo iteretur interior, modo productior aut vehementior fiat (3). Si tamen sedulo rem consideres, hisce in eventibus moralitatis augmentum non ex actu exteriori proficiscitur, sed ex voluntate quae ad novum, vel productiorem, vel intentiorem actum trahitur: *Vix enim fieri potest* (ait Hugo a S. Victore) *ut voluntas opere suo non augeatur* (4).

26. — Resp. ad II Q. Si de *essentiali* moralitate loquatur, male sentit Martinus; recte si de *accidentali* tantum, quemadmodum explicuimus. Ut autem paucis argumenta expediamus quae ab ipso afferuntur: I° ad exteriorem actum sive bonum sive malum utique et ceterae potentiae concurrunt, sed bonitatem vel pravitatem non aliunde

(1) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. XX, a. III et IV; S. Alphonsus, V. a. IV, § II, n. XL; Rosmini, *Principii della scienza morale*, c. VI; *Delle potenze che concorrono all'atto morale*, et *Storia comparativa dei sistemi morali*, c. I, a. I.

(2) Videsis *Gen.* XXII, 16; Matth. V, 28; II *Cor.* VIII, 12; S. Augustinum, *De lib. arbitr.* l. I, c. III; S. Hieronymum, in *Matth* c. XX; S. Ioan. Chrysostomum, hom. XIX, in *Matth.*; S. Bernardum, epist. LXXVII.

(3) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. XX, a. IV et in II *Sent.* dist. XL, q. I a. III. Aquinatis sententia est communius recepta; in contrariam tamen, duce Scoto, plures abierunt, quorum argumenta videre est penes Reiffenstuel *(De actibus hum.* disp. II, q. IV) et Sporer (p. I, c. III, sect. V, § IV) qui Scoto consentiunt.

(4) Lib. II, *De Sacramentis,* p. XIV, c. VI.

hauriunt quam a voluntate. II° Rudiores homines (praesertim si male moratos) interiorum actuum bonitas et malitia facile fugit; oportuit igitur distinctis praeceptis et a pravis desideriis eos deterrere. III°. Sacramentorum effectus ex divina institutione exterioribus ritibus ita sunt connexi, ut, exteriori actu deficiente, Sacramentum ad irritum cedat; attamen Sacramenti defectus de bonitate interioris actus nil detrahit. Idem fere dicendum de laureola, quae est praemium iis divina voluntate decretum qui re, non voto, martyres aut virgines fuere: quamquam si de *accidentali* bonitate ac remuneratione sit sermo, ut diximus, utraque exteriori actui potest accedere, nam martyrium perferentibus virginitatemque servantibus plures sunt exantlandi labores gravioraque incommoda sustinenda quam desiderantibus tantum. IV°. Interior actus per exteriorem perfectus ex duplici quodammodo elemento coalescit, *formali*, idest iudicio practico, et *materiali*, scilicet actu imperato: iamvero homines elementum hoc facilius illo percipiunt, nil mirum proinde si per exteriorem actum aliquid moralitatis interiori superinduci arbitrentur. Quod si de *accidentali* tantum moralitate loquantur, a vero non aberrant. V°. In peccatorum confessione exterior actus ideo est aperiendus, quia pravitate interioris imbuitur et *per participationem* fit malus: praeterquam quod ille verum non diceret qui confiteretur se furtum patrare voluisse quum reipsa patraverit (1). Consectaria transmittimus quae saepe exteriorem actum sequuntur, cuiusmodi sunt malum exemplum, damna ceteris illata et eadem sarciendi obligatio, censurae aliaeve poenae, etc.

IN TRACTATUM
DE CONSCIENTIA

IX.

Cum theologi quidam de re morali disputaturi convenissent, hoc fuit in quaestione positum, quanam ratione quis posset sese expedire dubio quo angitur de honestate actus eliciendi. Censet Aurelius, re dubia, id posse quempiam tenere quod probabili nititur fundamento: hoc enim prudentis hominis est. Contra Severus, principia quae *reflexa* vocant aegre ferens, quippe quae per plura saecula theologis non innoluere, clamat tutiorem viam dubitanti cuipiam esse premendam. Utrique Benignus obsistens, illud *Lex dubia non obligat* omni dubio occurrere arbitratur. Novissimus omnium Lucanus, vetulus et retorridus: « Verba sunt, verba sunt », crepat, « sensus com-

(1) Vide dicenda n. 552.

munis controversiis omnibus dirimendis abunde sufficit, hoc nos Deus instruxit, hoc quaestiones omnes prius diremptae fuere quam theologi, turbolentum genus, deliramenta sua scripto tradentes pene cuncta miscerent ».

Quaeritur I°. Qua ratione dubitans de honestate sui actus dubium exuere queat, certamque sibi conscientiam comparare?

Q. II°. Quodnam de singulis disputantium sententiis sit ferendum iudicium?

Quaestionum solutio (1).

27. — Resp. ad I Q. Dispescitur dubium in *speculativum* et *practicum*: illud doctrinae veritatem; hoc honestatem actus, idest iudicii practici, respicit. Utrumque *negativum* dicitur, quum nulla hinc inde suppetunt negandi vel affirmandi rationum momenta; *positivum*, quum suppetunt ultro citroque. De dubio practico eoque positivo hic agimus. Porro inter omnes convenit, dubitanti de sui actus honestate nefas esse illum praestare, nisi prius dubium submoverit certamque sibi conscientiam comparaverit: qui enim tali manente dubio operatur, iam morale bonum pessumdat, quod maximum est summeque aestimandum, cum se discrimini committat illud laedendi. *Quicumque non cavet pericula*, ait Angelicus, *videtur contemnere id cuius detrimentum pericula inducere possunt* (2). Aquinati iamdudum praeierat Hipponensis scribens: *Efficere quod incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum?* (3). Duplex est via qua quispiam dubio suo occurrere potest: altera *directa*, quum rem penitius scrutatus, dubium inane ideoque floccifaciendum retur; *obliqua* altera, quum ad aliquod principium reflexum se convertens, eo auxiliante fit certior causam illam deesse quae una actui posset pravitatem inferre. Prior via plana, posterior salebrosa; at quia non omnibus nec semper illa in promptu est, hanc saepe ingredi cogimur, nimirum principiis reflexis utamur oportet, quo nomine vocantur quaedam agendorum regulae ad superiorem reflexionis ordinem pertinentes. De hac tantum indirecta ratione dubium vincendi sermo nobis erit.

E vestigio monendi sumus, huiusmodi principia nequicquam valere nisi 1° plane sint certa, 2° dubium inde auferant unde ortum habet. Quî enim possent certitudinem praestare, si ipsa essent incerta? aut

(1) Quae in hac et sequentibus quaestionibus solvendis contracte sumus dicturi, fuse exposuimus in opusculo quod inscripsimus *De regulis ad certam nobis conscientiam praestandam*. Ad illud lectorem remittimus plura cupientem.

(2) *Quodlib*, III, a. IX, ad 3^{um}. Vide et S. Alphonsum, I, 22; Laymann, *De conscientia*, c. V, § I, 1; Sporer, tr. I, c. I, 69; La Croix, *De conscientia*, 45 et seq.; Reiffenstuel, *De conscientia*, 30, 31; Rosmini, *Coscienza*, 471-473, *Compendio di Etica*, 206-208.

(3) *De Baptismo contra Donatistas*, l. I, c. V.

dubium radicitus evellere, nisi dubii radicem attingerent? Quibus praenotatis dicimus, principia reflexa neque eadem semper neque in omnibus ad dubia removenda conferre.

28. — Et I° quidem, si dubium in pravitatem actui intrinsecam cadit, principia reflexa inepta sunt dubio submovendo. Nempe sunt quaedam actiones quae dicuntur intrinsece malae, veluti mendacium, fornicatio, adulterium, odium Dei etc. Hae suapte natura malae sunt, quavis lege prohibente seposita, *habent enim*, ut verbis utamur S. Thomae, *inordinationem inseparabiliter adnexam* (1). *Actiones eiusmodi* (ait Suarez) *ita sunt intrinsece malae in natura sua, ut nullo modo pendeant in malitia ex prohibitione extrinseca, seu ex iudicio vel voluntate Dei* (2). Iamvero principia reflexa quae proferri solent causam extrinsecam actui, nempe legem, dumtaxat respiciunt, naturam vero actus nequaquam attingunt, quam mutare non valent; idcirco eximendo dubio quod ex insita actui pravitate surgit paria non sunt. Quapropter nisi dubium directe vincatur, aut ab actione sustinendum, aut tutiori insistendum est viae. Huc facit illud tutioristarum: *In dubio tutior via est eligenda*. Haec regula tunc maxime obtinet, quum in actione periculum inest iniuriae vel damni cuipiam inferendi (3). Quia tamen nonnunquam contingit ut nocivum periculum prostet hinc inde, adeo ut verearis ne damnum quod ab aliis removere curas forte inferas tibi; hisce in adiunctis rationi et aequitati consonum est, fiat pro rata dubii parte divisio, quod utrinque tutius videtur, quum spem ac periculum iuxta partiatur (4).

29. — II°. Si in actionis natura nil pravitatis inest, timeas tamen ne aliquo legislatoris iussu actio illa vetita sit vel praecepta, videndum utrum ex legis vitio an ex ignorantia tua dubitandi ratio dimanet.

Et 1° si lex vitio aliquo laborat ob quod fiat incerta, nulla prorsus eius obligatio est. Nam ad actus honestos vel indifferentes quisque ius habet, quo deiici nequit nisi per certam legislatoris voluntatem actibus illis interdicatur. Hinc sive lex rite non fuerit promulgata, sive obscuris fuerit verbis concepta, ita ut non pateat quid a te velit aut quorsum se porrigat, eius vinculo non teneris. Proinde huiusmodi dubio illud probabilistarum occurrit: *Lex dubia non obligat*; cui effato proxima sunt (nam ex eo fluunt) illa: *In obscuris quod minimum est tenendum, Contra eum qui legem potuit apertius dicere interpretatio est facienda* (5).

(1) *Quodlib.* VIII, a XIV.

(2) *De legibus*, l. II, c. V, n. 2. Vide sis quae scripsimus in *Rivista Rosminiana*, a. I, n. VI, ad refutandum insigne hoc paradoxum: *Actus intrinsece malus est merum phantasma.*

(3) S. Alphonsus, I, 42 et 52. Vide opusc. *De regulis*, c. II, a. II, § I.

(4) Hac regula saepissime iurisconsulti et theologi utuntur, quorum nonnullos retulimus in cit. opusc. *De regulis*, 40, annot. 1.

(5) Vide opusc. cit., c. II, a. II, § 3.

Idque *Codex iuris canonici* hoc scito confirmat: *Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent* (1).

2°. Eadem ratione dubium excutere licet quod ex inculpata legis ignorantia procedit: ei enim qui sine sua culpa legem ignorat, et propter inculpatam ignorantiam in dubitationem adducitur, nondum lex constat, perinde quasi promulgata non fuerit. Si vero legis ignorantia gravi culpa non vacat, iam urgeri non potest illud *Lex dubia non obligat,* quia non ex vitio legis oritur dubium, sed ex ignorantis culpa. Hunc proinde, malam dubii causam auferre non valentem, obligatio tenet cavendi pro viribus ignorantiae suae consectaria. Quia tamen necdum certa lex dici potest quae ignoratur, sat erit illud arripiat quod a vero minus abesse videtur, quippe prudentis hominis est, certa veritatis notitia ob culpam admissam deficiente, illud tenere quod veritati propius accedit (2). Huc pertinet illud probabilioristarum: *Inspicimus in obscuris quod est verosimilius.*

3° Eodem principio (si quid videmus) fas est occurrere dubio quod neque ex vitio legis neque ex eius ignorantia manat, sed factum aliquod respicit cui obligatio legis adnectitur (ut puta, si dubites an dies advenerit vel hora qua primum lex incipit obligare), aut ex quo vis legis pendet (veluti si dubites positivo dubio an opus illud praestiteris quod lege praeceptum erat) (3). Satius videtur et aequitati conformius hisce in adiunctis illud amplecti quod maioris verisimilitudinis indicia prae se fert (4).

30. — III°. Ad extremum, ei qui hisce rationibus eluere dubium nequit, auctoritas praesto est virorum illorum qui in morum disciplina excolenda atque tradenda prae ceteris excelluere, maxime vero sacerdotum quos Christus plebi suae erudiendae praefecit: auctoritas enim illius certitudinis fons exsistit quam didascalicam appellant. Attamen doctorum nutantem auctoritatem ne plus aequo aut indiscriminatim extollas, etenim quae quantaque e theologorum scholis prodierint opinionum commenta ad christianos mores labefactandos nemo ignorat, quin hospes plane sit in sacrarum disciplinarum historia (5).

31. — Resp. ad II Q. Aurelius toto errat caelo si contendat, iudicium de probabili actionis honestate ad recte agendum sufficere, non enim de rei honestate certus est qui probabilem tantum existimat. Hinc merito S. Alphonsus illud reiicit: *Qui probabiliter agit prudenter*

(1) *Codex iuris canonici*, can. 15.

(2) Vide opusc. cit., c. II, a. II, § 4.

(3) S. Alphonsus, I, 99; Bucceroni, *De Conscientia*, V, 126.

(4) Vide opusc. cit., l. c., 56. Regulas quas, Rosminio viam praemonstrante, superius tradidimus, concinne referunt Pramaggiore, tr. *De conscientia,* c. V, q. 1, pag. 117-119 et Gastaldi, 1, pag. 42-48; Pestalozza, *Compendium Philosophiae*, vol. II, *Ethicae,* l. I, sect. III, c. II, a. II.

(5) Vide opusc. cit. c. II, a. III, §§ 1 et 2.

agit (1). Mitius tamen Aurelii verba accepta, quatenus innuunt posse quempiam, probabili innixum fundamento, certam sibi per principia reflexa conscientiam comparare, doctrinam exhibent ex parte veram, illique consonam quam supra tradidimus.

Severum, principia reflexa respuentem quasi antiquitus ignorata, plumbeo gladio iugulamus. Nam (praeterquam quod ipse fallitur cum veteres ea ignorasse retur) si scientiarum omnium est in dies proficere, quidni morum disciplinae id licebit quod ceteris? numne omnia omnibus semper innotuere? Quare principium suum, oppido reflexum, nemini Severus obtrudat, nisi cum intrinseci mali periculum subest; ipse unus, si libuerit et quum licuerit, teneat.

Benignus nimis urget illud *Lex dubia non obligat,* quod aptum est iis dubiis expungendis quae ex legis vitio nascuntur, non autem ceteris omnibus in universum.

Demum Lucanus communem sensum plus effert quam par est. Non equidem inficiamur, sensum communem in homine probo, sanae mentis et a cupiditatibus vacuo plurimum valere: neque etiam diffitemur, theologos extitisse non paucos qui ingenio suo ac doctrina abusi ad absurda quaeque prolapsi sunt; attamen sensus communis, ubi scientiae praesidio destituatur, in pluribus ac praesertim gravioribus deficiat necesse est. Quapropter curandum ut sensus communis scientiae amice consocietur, ex quorum consociatione alter alteri in immensum proderit. Ceterum (ignoscat senex) sensum communem effugium esse ad quod in dies se recipiunt qui scientiam fastidiunt atque laborem, lippis notum est atque tonsoribus (2).

X.

Doctrinae quam modo tradidimus Benignus, ardens probabilismi patronus refragatur. « Principium *lex dubia non obligat* », ita ipse, « cuivis legi, etiam naturali, aptatur: quandoquidem nulla lex constat quamdiu certa non est. Idque etiamsi de intrinseca actionis pravitate quis ambigat, non enim aliud lex naturalis vetat praeterquam illud quod est intrinsece malum ». Haec Benignus auctoritate S. Alphonsi confirmat, qui principium illud etiam ad naturalem legem trahit, necnon RR. Pontificum Caelestini III et Lucii III, quorum alter coniugibus de coeundi potentia dubitantibus copulae experimentum ad triennium indulsit, alter binubum de vita prioris coniugis dubitantem iussit secundo coniugi debitum redderet. Nonne hic aderat fornicationis et adulterii, quae sunt intrinsece mala, evidens periculum? Quid plura? Novissimus *Iuris pontificii Codex* dubitantes de sua impotentia a

(1) S. Alphonsus, I, 53, *Morale systema.*
(2) Videsis S. Alphonsum, *Praxis Confessarii*, 17.

nuptiis arcere vetat hoc canone 1068: *Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum.* Ergo (concludit Benignus), etiam in dubio legis naturalis seu intrinsecae pravitatis actionis usurpare licet illud *Lex dubia non obligat* ».

Quaeritur. An recte Benignus pro sua sententia ratiocinetur?

Quaestionis solutio.

32. — Resp. ad Q. Quaestio haec, utrum principium *Lex dubia non obligat* etiam obtineat vel minus quum de lege naturali ac de malo intrinseco agitur, magna animorum contentione saeculo proxime superiore agitata fuit (1). Ultro damus, illud obtinere quum de lege naturali quidquam praecipiente ancipites sumus, negamus vero si de lege prohibente sit sermo. Nimirum legis naturalis praecepta alia sunt *affirmativa*, quibus aliquid praestare iubemur; alia *negativa*, quibus praestare vetamur. Illa *non obligant semper ac pro semper*, sed statis temporibus inque certis rerum adiunctis: hinc si te sustineas ab illo opere praestando (v. c. ab actu exterioris cultus erga Deum vel obsequii erga hominem) quod tibi opinativa saltem certitudine constiterit non tibi praeceptum esse, nullam Deo vel homini inferes iniuriam (2). Haec contra *obligant semper ac pro semper*, quumque illud vetent quod intrinsece malum est, nempe (ut S. Augustini verbis utamur) *quod non ideo malum est quia vetatur lege, sed ideo vetatur lege quia malum* (3); propterea, etiamsi de lege certus non sis, certus es de periculo rem malam patrandi. — Dicet fortasse Benignus: *Peccatum non cognovi nisi per legem* (4). — Esto praeceptum legis proxime vetans actum incertum esse, adest tamen superius certumque praeceptum quo prohibemur periculo nos committere inhonestum quidquam agendi: dicam verbo, in practico dubio versamur, quo durante, nefas est agere (5). Hoc ergo maneat, principium illud *Lex dubia non obligat*, quippe quod non respicit nisi legem extra actum positam, impar esse iis dubiis solvendis quae ex ipsa agendorum natura proficiscuntur.

33. — Sancti Alphonsi auctoritatem Benignus appellat, suam ut sententiam suffulciat. Fatemur et pro lege naturali S. Doctorem prin-

(1) Vide Rosmini, *Coscienza*, nn. 537 et seq.; *Sistema filosofico*, n. 222; *Compendio di Etica*, nn. 210-218; *Sul principio* **La legge dubbia non obbliga;** Scavini, *Lettera* (in *Pragmalogia cattolica*, tom. XXVI, fasc. III).

(2) Vide opusc. *De regulis*, c. II, a. I, § 2.

(3) *De libero arbitrio*, l. 1, c. III.

(4) *Rom.* VII, 7.

(5) Vide Rosmini, opera citata et *Logica*, n, 1025; opusc. *De regulis*, c. II, a. II, § I: Gastaldi, I, *De conscientia*, pag. 42-47; Ferrè, *Degli universali*, vol. IX, 1242-1244.

cipium illud urgere, quod nos quoque in praeceptis huius legis affirmativis obtinere modo diximus; quum vero de praeceptis negativis sermo fit, S. Doctor principium suum moderatur iisque limitibus circumscribit, qui, si sedulo inspiciantur, sententiam suam nostrae plane conformant. Sane ipse disertissime docet, *nunquam licitum esse uti opinione probabili probabilitate facti cum periculo damni alterius aut sui ipsius* (1); *ubi est periculum damni vel iniuriae proximi* (2). At, quum de malo intrinseco ancipites sumus, in dubio facti versamur, et omne malum intrinsecum ad damnum et iniuriam intelligenti naturae irrogata facile revocatur. Verbis ergo magis quam re S. Doctor a nobis discrepare dicendus: principium enim *Lex dubia non obligat*, quod primum in universum tuetur, subinde per eiusmodi exceptiones coarctat quae malum intrinsecum spectant, sicque nobiscum consentit.

34. — Demum Benignus ad auctoritatem confugit RR. Pontificum, qui de vi matrimonii sui dubitantibus indulserunt tamquam coniuges se gererent, seu actum praestarent de cuius intrinseca pravitate ambigebatur. At 1° Benignus pro certo habet RR. Pontifices ad proposita dubia solvenda illo principio *Lex dubia non obligat* usos fuisse: quod nullo argumento confirmat. Nonne potuere ex directa rei consideratione aut alio innixi principio quaestionem dirimere? 2°. Sed agedum: demus eo principio usos fuisse, ut Benignus contendit; quae inde consectaria? Dubitanti an actio sua in castimoniam offendat, integrum esset illam praestare ob eam causam quod lex incerta est. Ecquis, sodes, vir frugi pius, tali exagitatus dubio, arbitraretur se tuto agere posse illi fretus principio? Numne prudentissimo cuique theologo, S. Alphonso in primis, solemne est in lubricis severiorem agendi rationem omnino esse tenendam, et confessarios tutiores sententias prosequi debere, quae unae formalis peccati periculum removere valent? (3). 3° Ut directe difficultatem ex iure pontificio petitam enodemus, in neutra facti specie dubium in pravitatem actionis intrinsecam cadere censemus (4). Sane sexuum mixtio tunc est intrinsece mala quum citra matrimonium perficitur. Iamvero omne matrimonium rite initum pro valido habetur quoad invictis argumentis demonstretur infectum, nam *In dubio omne factum praesumitur recte factum.* Quum tamen certitudo quae in praesumptione nititur non sit absoluta, dubio exorto, inquirendum est an argumenta quae illi adversantur eiusmodi sint quae eam convellant; interea tamen certitudo illa perdurat.

Quibus positis, in prima facti specie de coeundi potentia dubitabatur; hoc autem dubium nisi per copulae experimentum removeri non poterat. In altera specie de vita prioris coniugis ambigebatur, cumque

(1) S. Alphonsus, I, 42.
(2) S. Alphonsus, I, 52.
(3) *Systema morale*, coroll. II.
(4) Cap. V. *Laudabilem, de frig. et malef.; Decret.* l. IV, tit. XXI, c. II.

in conflictationem venirent lex castitatis et lex iustitiae servandae, R. Pontifex decrevit redderetur debitum secundo coniugi illud bona fide exigenti, ne forte violaretur ius eius; vetuit autem debitum petere, ut, quantum in ipso erat, prioris coniugis forsan adhuc viventis ius sartum tectum tueretur (1). Demum, ad *Codicis pontificii iuris* statutum quod attinet, quum ex altero capite non sit praesumendum naturam defecisse, usque dum de impotentia certo constiterit, ex altero autem capite nisi per experimentum poni dubium nequeat, periculum non adest nisi *mali materialis*, ut aiunt, quod verum malum non est.

Quibus dilutis difficultatibus, thesim nostram a Benigno oppugnatam sat vindicasse putamus.

XI.

Lucio, aliquot abhinc annis agrum bona fide possidenti, dubium occurrit sitne ager ille Faustini vel suus. Re diligenter limata quin dubium excutere posset, ratus possessorem, dubio manente, ceteris praestare, agrum sibi retinendum duxit.

Quaeritur. An recte Lucius ea regula usus fuerit ad certam sibi conscientiam comparandam?

Quaestionis solutio.

35. — Resp. ad Q. I° Si dubium Lucio occurrerit postquam ab inita agri possessione tot fluxerant anni quot praescriptioni in utroque foro absolvendae sufficiunt, ceteraque adfuerint quae ad praescribendum requiruntur, potuit Lucius tutissime agrum retinere, non equidem eam ob causam quod, dubio manente, possessorem ceteris praestare decet, sed quia legitima praescriptione rerum dominia transferri theologi fere omnes ac iurisconsulti hodie pro comperto habent (2).

II°. Si vero dubium ante natum est quam absolveretur praescriptio, liceatne possessori, dubio non evanescente, rem integram retinere, disconvenit inter doctores. Valde communis eorum sententia est qui affirmant, sive paria hinc inde sint dubitandi momenta, sive (quod plerisque placet) minus valida pro possessore, validiora stent

(1) Vide Gazzaniga, *De actibus humanis*, diss. III, c. III, et adi, si plura cupis, opusc. *De regulis*, c. II. a. II, § 1, nn. 33-44, ubi diserte quaestionem hanc prosecuti sumus. Vide etiam Pestalozza, *Le dottrine di A. Rosmini difese dalle imputazioni del noto prete bolognese*, vol. I, lettera II, 32.

(2) S. Thomas, *Quodlib.* XII, a. XXIV; Lugo, *De iust.* disp. VII, 5; Reginaldus, *Praxis fori poenitentialis*, l. X, 300; Reiffenstuel, *De iust.* dist. VI, q. I, 5-7; S. Alphonsus, III, 517; Carrière, *De iustitia*, 418; Rosmini, *Diritto*, I, 1047-1049; *Coscienza*, 648, etc. Theologi tamen veteres plerique contra iurisdoctores hanc vim praescriptioni denegabant, teste S. Raymundo de Pegnafort, qui inter utrosque anceps haeret (*Summa*, l. II, tit. V. § XV).

contra ipsum, dumne sint certa: nullo enim probabili argumento sed certo dumtaxat ius possessionis ac dominii praesumptio inde orta convellitur. Hi nituntur potissimum in illo vulgato axiomate: *In dubio melior est conditio possidentis*, quod in utroque foro vim suam exerere contendunt (1).

Sunt tamen theologi, neque numero pauci neque infimi subsellii, qui in diversam sententiam discedunt. Rerum dominia (ita ipsi) nuda possessione non constant, potest enim aliquis bona fide rem possidere quin eius dominus sit: quapropter nuda possessio ad summum quandam dominii praesumptionem ingerit. At vero, quum gravia argumenta possessionem impetunt, praesumptio ex possessione orta iam nutat ac possidentis ius in incertum vocatur: qui proinde in discrimen se coniicit iuris alieni laedendi si totam rem sibi vindicet, nocendi sibi si totam dimittat. Quid itaque? Illud arripiat oportet quod recta ratio suadet quum damni periculum utrinque subest, nimirum pro ratione dubii rem partiatur. Axioma *In dubio melior est conditio possidentis* pro foro exteriori merito inductum agnoscunt, expedit namque publico bono ut iudices neminem possessione sua ante deiiciant quam adversarius se dominum esse invictis argumentis ostenderit; in foro etiam interno possessoris conditionem potiorem esse fatentur, quatenus ipse re possessa non debet se abdicare quamdiu negotium expenderit, immo etiam quatenus ceteris argumentis robur aliquod confert ipsa possessio, non autem ut possessor, dubio manente, rem totam retineat perinde ac si certe dominus esset (2).

Haec posterioris sententiae momenta adeo nobis gravia sunt, iisque consona quae superius tradidimus, ut asserere non audeamus recte eam regulam a Lucio usurpatam fuisse ad certam sibi conscientiam comparandam.

XII.

Dubitat Augustinus, utrum certam argenti vim mutuo a Gabinio acceptam restituerit necne. Anxius quid facto opus sit, viros consulit in morum scientia versatissimos: verum, his auditis, maiore dubio torquetur. Nam quidam pecuniam omnino Gabinio reddendam esse

(1) Sanchez, *Decal.* l. II, c. XXIII, 179; Lessius, *De iust.* sect. II, c. XIV, dub. IV; Lugo (pro dubio facti tantum) *De iust.* disp. XVII, 94, XVI, 96; S. Alphonsus, I, 35.

(2) Sotus, Ledesma aliique veteres quos Sanchez recenset (*De Matrim.* l. II, disp. XLI, 11), Collet, *De iust.* p. II, c. III, a. IV, sect. III, punct. IV; Gerdil, *Compend. institut. civ., De usucap. et praescript.*; Bouvier, *De iure et iustitia*, p. I, a. I, § IV, sec,. III, punct. II; Dens, *De iust.* 27 et 54; Rosmini, *Coscienza*, 643-653; *Diritto*, I. 986; Pramaggiore, tr. *De restit.*, c. II, a. I, § 3; Gastaldi, II, pag. 331, 332; Brocardus, *De conscientia*, q. II, a. VI, § 9, sect. I.

contendunt, tum ne fors illi damnum inferatur, tum quia certa obligatio incerta satisfactione non solvitur; docent alii pro rata dubii parte restitutionem fieri oportere; sunt demum qui putant nil prorsus Gabinio deberi, quandoquidem in pari causa possessoris iura esse potiora tralatitium est.

Quaeritur. Quinam horum rectius senserit?

Quaestionis solutio.

36. — Resp. ad Q. I°. Ne nobis excidat, quaestionem hanc de gravi dubio tantum institui posse, de dubio nempe quod solidis nititur indiciis peractae debiti solutionis, quodque, omni studio adhibito, creditore etiam (qua opus fuerit) audito, nullo pacto submoveri potest.

II°. Pro certo habemus, aes alienum non pro parte [ut nonnulli putant (1)] sed omnino ab eo luendum esse, qui gravi sua culpa auctor extitit ut res in dubium vocaretur, aut opportuno tempore veritatem neglexit inquirere; nam culpa suum tenere debet auctorem, cui proinde cavendum, quoad eius facere potest, ne creditori innocenti damnum obveniat (2).

III°. Quod si dubium sine culpa debitoris est ortum, variatae subsunt theologorum sententiae, ab hisque Augustinus noster fuit in tricas adductus.

Prima sententia illorum est qui integrum debitum solvendum putant, quia debito certo non satisfacit dubia solutio, seu (quod idem sonat) quia tamdiu debitum possidet, quoad certa solutio non est. Praeterea, cum in dubio facti versemur, ea prorsus tenenda est via qua alterius damnum praecaveatur. Haec sententia communior (3). At fortasse nasutus aliquis haec argumenta notabit. Qui enim certum dici potest debitum, si gravia prostent indicia peractae solutionis? Ad hoc circulari videntur qui aiunt, debitum possidere quoad certa solutio non est: nam illud *possidere* (quod per metaphoram a possessione rei ad possessionem debiti trahitur) quid significat, metaphora submota, nisi debitum certum esse? Id autem est de quo quaeritur. Proinde ratio vitandi creditoris damnum iam nequit indiscriminatim urgeri, cum in eodem damni periculo versetur et creditor.

Altera sententia illorum est qui (utroque saltem dubitante) pro ratione dubii debitum solvendum existimant. Re enim vera, si tali dubitatione manente debitor nihil solvat, damnum fortasse inferet creditori; si totum, forte inferet sibi: quapropter ea tutior erit via qua

(1) Sporer, tr. I, c. I, 76; Lugo, *De iustitia*, disp. XVII, 84; La Croix, *De restitut.* 564.

(2) Rosmini, *Coscienza*, 638.

(3) Sanchez, *Decal.* l. I, c. X, 12; Lugo, *De iust.* disp. XVII, 7 et seq.; La Croix, *De contract.* 571; S. Alphonsus, I, 34.

damni periculum utrinque diribetur (1). Et si paria vel fere paria sint hinc inde dubitandi momenta, expedit ut arbitrio boni viri vel sorte quaestio amice finiatur.

Est et tertia sententia quae pauculis arrisit. Hi contendunt dubitantem nil prorsus debere, quia *in dubio melior est conditio possidentis* (2). At inepte effatum hoc in praesenti usurpari, vix consideranti patebit. Sane possidentis conditio eatenus melior est, quatenus ex possessione coniectura aliqua seu praesumptio pro possidente oritur; quum autem ex argenti possessione nulla oriatur praesumptio de aere alieno soluto, immo potius inde conficiatur nondum solutum fuisse, quasi moles everso fundamento, omnis ratiocinatio ruit illo effato superstructa. Neque dicas, non esse quempiam adigendum ad se expoliandum re sua donec certo constet alienam esse: quo enim iure suam appellas rem quae probabiliter aliena est?

Quae cum ita sint, posteriore hac sententia seposita, potuit quidem prior Augustino suaderi tamquam communioribus theologorum munita suffragiis, secunda tamen dissuaderi non potuit, quae vere probabilis est et tuta, cum damni periculum aequabiliter dividat.

XIII.

Anselmus parochus pro certo habet, semper fas esse opiniones vere probabiles in usum deducere. Hinc hiemali tempore infantis Baptismo tingendi vix summos digitos aquae guttulis leviter aspergit: pueruli enim caput frigida aspergere res est periculis plena. Item, cum Poenitentiae Sacramentum ministrat, poenitentes absolvere solet dubitans an integram peccatorum suorum confessionem fecerint, an de admissis ex animo doleant, firmumque resipiscendi propositum instituerint. Interdum etiam Sacrum facturus acidulo utitur vino, quod tamen probabile est nondum in acetum transiisse, namque id famula testatur, cui concinit sacrarii praefectus.

Quaeritur: I°. Quid de Anselmi doctrina sentiendum?

Q. II°. Quid de eius agendi ratione?

Quaestionum solutio.

37. — Resp. ad I Q. Doctrina ab Anselmo in universum tradita oppido probanda non est. Sane opinio, etsi vere probabilis, ad usum deduci nequit quum periculum subest aliquid intrinsece malum pera-

(1) Laymann, I, tr. I, c. V, § IV, 42; Diana, *De contract.* resp. CXXXIX; Tamburini, l. I, c. III, § IV, v. *Restitutio*; Sporer. tr. I, 85; Lehmkuhl, I, 1147; Rosmini, *Coscienza*, 639; Ballerini-Palmieri, tr, *De conscientia*, 172, 173. Hanc sententiam probabilem habuere Reuter, *Theol. Moralis*, 449; Gury, *Casus conscientiae*, I, 717.

(2) Schilder, Bosius et Tannerus apud La Croix, l. c., quibus adhaeret e recentioribus Génicot, I, 602.

gendi, sed tutiori omnino adhaerendum. Iamvero, huiusmodi periculum tunc maxime subest quum Sacramenta conficiuntur, quorum vis non a theologorum opinionibus sed a divina institutione omnino pendet. Qui enim in conficiendis Sacramentis, tutiore opinione seposita, probabilem sequitur, in periculum incidit inanem ritum usurpandi (ideoque profanandi Sacramentum) et damnificandi suscipientem, quorum utrumque intrinsece malum est: quippe ita se gerens iniuriam irrogat Christo et damnum infert homini qui postulat Sacramentum. Itaque a tutiore via discedere nefas est. Quam doctrinam sanxit Innocentius XI hanc propositionem condemnans: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi* (1) Haec generatim. Quia tamen quandoque contingit ut via tutior non pateat, urgeatque necessitas Sacramentum conficiendi, ne tanto bono careat qui forte eo indigus est, hisce in adiunctis licet in Sacramento conficiendo probabilem opinionem sectari, conditione adiecta: hac enim ratione, quoad eius fieri potest, indigentis bono prospicitur simulque reverentiae Sacramenti debitae, si fors ad irritum cadit (2).

38. — Resp. ad II Q. Anselmi agendi ratio adaeque improbanda. Incertum est enim valeatne Baptismus paucis aquae guttulis et infantis manu aspersa collatus; quamvis liceat hiemali tempore parum aquae calefactae baptismali miscere ut pueruli valetudini consulatur (3). Item poenitenti dubie parato absolutionem impertire, Sacramentum in profanationis discrimen coniicit. Demum acidulum adhibere vinum in Eucharistia conficienda, etsi forte Sacramentum irritum non faciat, de reverentia detrahit Christo debita (4). Excipe, si necessitate aliqua cogente, adiectaque ad cautelam conditione, haec Anselmus peregerit.

XIV.

Dum Bernardus sacerdos die Iovis in multam noctem coenam produceret carnibusque vesceretur, en horologii sonitus dimidium noctis renunciantis. Quid faciet? Ratus aliud horologium nondum sonuisse, haec secum ipse ait; «Duo horologia perinde habenda sunt ac duo doctores diversa sentientes, hoc est opinionem suam aeque probabilem efferentes; eccur igitur magis illi quam huic mihi adhaerendum erit?». Quamobrem pergit manducare carnes, quoad secundum horologium

(1) Videsis S. Alphonsum, I, 48, 49, et Viva, *Damnatae theses*, in prop. I Innocenti XI.

(2) Consulito opusc. *De regulis* esc., c. II, a. II, § I, 37.

(3) *Rituale Rom., De materia Baptismi* et S. O. Congregatio, 8 nov. 1770, 1 dec. 1898.

(4) S. Alphonsus, VI, 207.

suam vocem edat. Ast postera die Sacrum facturus angitur animo, tum quia dubitat ne carnes manducando peccaverit, tum quia timet ne ieiunium fregerit: adit erga Prudentium parochum eique rem omnem pandit.

Quaeritur. Quid Prudentius dubitanti respondebit?

Quaestionis solutio.

39. — Resp. ad Q. Duo sunt quae in quaestionem veniunt; 1° num liceat carnes edere dubitanti an hora iam incoeperit qua carnium esus prohibetur; 2° num liceat Sacrum facere dubitanti an ieiunium fregerit. Statim animadverte, principium *Lex dubia non obligat* ad proposita dubia solvenda nequicquam valere: quippe sive lex die Veneris carnes vetans, sive lex Eucharistiam sumpturis ieiunium praecipiens, clara est et aperta, dubitatio autem non nascitur nisi ex ignorantia facti cui legis obligatio nectitur.

40. — 1°. In prima quaestione dubium circa factum versatur quod obligationi legis terminos praefinit, nempe an advenerit tempus quo carnium esus interdicitur, vel (ut latius quaestionem instituamus) an tempus transierit quo eiusmodi interdictio vigebat. Plures huic dubio occurri posse rentur eo principio: *in dubio melior est conditio possidentis*, adeo ut si libertas praeierat tempore, pro libertate sit respondendum; si lex, pro lege: hinc si dubites de mediae noctis adventu in die Iovis, dicunt te adhuc carnes comedere posse, minime vero si de media nocte dubites in die Veneris (1). At regula possessionis, quae iure obtinet praesertim in foro externo ubi de meo et tuo lis est, quia praesumptionem ingerit dominii in possidente exsistentis, hic perperam usurpatur: nam per metaphoram ad legem et libertatem transfertur, nempe ad *morale* earum *dominium* significandum. Porro si metaphoram removeas, quid significat, τὸ *possidere*, nisi legem obligare vel minus? Hoc autem est de quo quaeritur. Praeterea ex eo quod lex vel libertas paulo ante obtinebat, quo iure inferre licet alterutram paulo post obtinere, nimirum eo temporis puncto de quo dubitas? quaenam exinde sive pro lege sive pro libertate exsurgit praesumptio? (2). Hisce ita se habentibus, satius ac magis aequitati consonum ducimus, probabilitatis gradibus hinc inde perpensis, hac ratione dubium persolvere, ut quod verisimilius est amplectamur; si vero aequi ponderis utrinque prostent argumenta, pro lege respon-

(1) Sanchez, *De matrim.* l. II, disp. XLI, 40; Laymann, l. 1, tr. I, c. V, §IV, 31; Sporer, 75, 87; La Croix, 470, V, cum Busembaum; S. Alphonsus, I, 32.

(2) Ita prae ceteris Fagnanus, Billuart, Collet, Cuniliati, Charmes, Arignani, Brocardi, Costantini, quos citavimus in opusc. *De regulis* etc., n. 56, quibus addi possunt; Natalis Alexander, l. III, *De peccatis*, c. IV, a. I, Regula XVII; Pramaggiore, *De conscientia*, c. V, pag. 102-106; Martinet apud Gastaldi, l, pag. 70-72.

deamus, reverentia enim legi debita postulare videtur ut cum ipsa de temporis puncto non decertemus, quum dubitatio non ex aliquo legis vitio ortum habet, sed ex ignorantia nostra (1). Recole dicta n. 29.

41. — II°. Ad aliam progrediamur quaestionem, an liceat Sacrum facere vel Eucharistiam sumere dubitanti sitne a dimidia nocte ieiunus. Lex Ecclesiae certa statuit ad sacram mensam neminem accedere posse qui ieiunus non sit. Quaestio in hoc potissimum cardine versatur, an lex ista ut *prohibitiva* sit habenda vel ut *praeceptiva*: nimirum an lex Ecclesiae a sacra mensa non ieiunos arceat, vel accedentes iubeat esse ieiunos. Sunt qui affirmant legem esse prohibitivam, propterea neminem a sacra mensa prohibendum esse nisi de facto ieiunio certus sit: qui enim dubitat, adhuc libertatem suam possidet contra legem (2). Quae ratio S. Alphonso non videtur ceu futilis contemnenda, praesertim si dubium de facto ieiunio negativum sit (3). Sunt alii contra qui ieiunii legem praeceptivam esse contendunt, talem nempe quae ieiunium tamquam conditionem requirit ut quis reverenter ac licite ad sacram Synaxim accedat: propterea de non facto ieiunio ei constare debet, opinativa saltem certitudine, ut sine iniuria Sacramenti illud recipiat. Horum sententia nobis magis arridet, tum quia Sacramenti reverentiae magis cavet, tum quia Ecclesiae decretis magis consonat. *Huiusmodi Sacramentum non debet a fidelibus recipi non ieiunis*: ita in Constantiensi concilio sess. XIII statum fuit. *Si quis non est iciunus post mediam noctem non potest communicare nec celebrare*: ita in rubricis Missalis Romani, *De defectibus* etc. tit. IX. Et in *Codice pontificii iuris*: *Sacerdoti celebrare ne liceat, nisi ieiunio naturali a media nocte servato* (4). Haec statuta, etsi prohibentis formam exprimere videntur, praeceptum continent ieiunium servandi. Quid enim interest inter haec duo: *Non accedes ad Eucharistiam, nisi ieiunus*; et *Accedens, ieiunus esto?* Cur, amabo, non ieiunus prohiberis accedere, nisi quia iuberis accedere ieiunus? Quapropter quae priori sententiae patroni proferunt ut vim praeceptivam Ecclesiae legi adimant (absit verbo invidia) subtilius fortasse sunt dicta quem vere (5). Ceterum, quia de re intrinsece mala non agitur et ob doctorum discrepantiam legislatoris mens non satis perspecta videri potest, non eos damnabimus qui aliter senserint.

(1) Rosmini, *Coscienza*, 721-723.

(2) Lugo, *De Euch.* disp. XV, 43; Génicot, II, 201.

(3) S. Alphonsus, l, 38 et VI, 282; Ballerini-Palmieri, tr. *De conscientia*, 168.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 808.

(5) Rosmini, *Coscienza* 718; Salmanticenses, *De legibus*, c. II, punct. VI, n. 121; Bonacina, *De restit. in genere*, disp I, q. II, p. III, § incidens, 8; Benedictus XIV, *Del S. Sacrifizio della Messa*, sez. II, n. XCIX; Sanchez, l. c.; Lugo (parum sibi consentiens); Pramaggiore, 118, 119. D'Annibale, qui regulam possessionis pro aris tuetur et focis, perpetuam non esse et in praesenti quaestione deficere fatetur (I, 268. nota 30).

Ex dictis palam fit quid Prudentius Bernardo respondere debuisset. Si dubitans de mediae noctis adventu verisimilius indicavit secundum horologium non errare, non peccavit carnes edens; secus peccavit imprudenter se periculo committens legem violandi. Post carnium esum dubitanti an ieiunium fregerit, consultius fuisset a Sacro celebrando se sustinere ob Sacramenti reverentiam, praesertim si nulla aderat celebrandi necessitas.

XV.

Arnobius, vi testamenti legitima solemnitate carentis, Iulii haereditatem adit, illi theologorum opinioni innixus qui huiusmodi testamenta in foro conscientiae obtinere docent: legata vero pauperibus et propinquis in testamento descripta solvere detrectat, illorum opinioni innixus qui huiusmodi testamenta irrita prorsus esse decernunt.

Alias in diei festi pervigilio, quum horologium noctis dimidium renunciasset, illico carnes manducavit ob probabilem mediae noctis adventum: at post horae quadrantem, cum alterum horologium dimidiae noctis signum dedisset, statim ab esu carnium se sustinuit, ut posset crastina die ad sacram Synaxim accedere. Haec autem sibi licere autumat, quippe nil vetat opinionem mutare; immo sapientis est mutare consilium.

Quaeritur I°. An et quando liceat in rebus moralibus sententiam mutare?

Q. II°. Quodnam de Arnobii agendi ratione in utraque facti specie sit ferendum iudicium?

Quaestionum solutio.

42. — Resp. ad I. Q. Quisque cordatus et prudens, inter duas oppositas sententias constitutus, rem suo momento ante ponderare debet quam decernat utra sit eligenda: rationalis enim et probi hominis est veritatem pro virili parte inquirere et inventam sectari; quumque certo iudicio illam assequi non valet, in ea sententia conquiescere quae potiora prae se fert veritatis indicia. *In eligendis opinionibus*, inquit Angelicus Doctor, *oportet nos suaderi a certioribus, idest sequi opinionem eorum qui certius ad veritatem pervenerunt* (1). Quod si deinceps, re diligentius perpensa, in reiecta primum sententia clariora veritatis indicia pernoscat, optime se geret sententiam mutando, nam iniurius veritati foret in ea sententia persistens quam putat magis a veritate remotam. Probabilistae instar regulae constituunt: fas esse probabilem sententiam in aliam probabilem mutare, dumne lex aliqua infringatur (2).

(1) *Metaphys*, l. V, lec. IX.

(2) Lugo, *De Euch.* disp. XV, 46; Sporer, *De conscientia*, 35; La Croix, *De conscientia*, 370 et seq.; Lehmkuhl, *Casus*, I, 65; Piscetta, I, tr. *De actibus*, 69 contra Tamburini, *De Decal.* l. I, c. III, § 5.

Quae regula nobis nimis lata videtur, nisi legis nomine illam quoque ceteris supereminentem includant, qua iubemur obsequium veritati praestare, ad illam omni nisu contendere, eaque non inventa, in illa sententia consistere quae maiorem veri similitudinem profert. Pro arbitrio autem sententiam mutare, scilicet modo hanc modo illam pro libito ac commodo suo amplexari, a ratione et aequitate prorsus alienum est: quippe veritas una est, neque in sententiis inter se repugnantibus simul inesse potest.

43. — Resp. ad II Q. In prima facti specie maxime improbandus Arnobius. Quidquid enim sit de vi testamenti informis, profecto validum et irritum simul esse nequit; propterea Arnobius turpiter et inique sibimet contradicit, dum Iulii haereditatem assecutus legata in testamento descripta solvere recusat: *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum* (1). In altera facti specie carnes edens non peccavit, si probabilius mediam noctem advenisse putavit; consultius tamen egisset crastina die ob reverentiam Sacramenti ab eucharistica mensa se abstinendo, nisi opinativa saltem certitudine de ieiunio non fracto sibi constitisset. Recole superius dicta n. 41.

XVI.

Pancratius miles haec confessario suo dubia pandit: « 1°. Princeps me ad arma vocat, ast vehementer suspicor bellum gerendum iniquum esse: obediam vel minus? 2°. Alias, inter bellandum, votum Deo vovi preces aliquas quotidie recitandi et triginta argenteos tenuioribus erogandi, nunc vero dubito an preces per annum unum vel in perpetuum recitandas promiserim; de argenteis autem incertus sum an eos largitus sim necne: quaeso, quid agam? ».

Quaeritur. Qua ratione confessarius Pancratium hisce dubiis expediet?

Quaestionis solutio.

44. — Resp. ad Q. I°. Cum bellum iniustum sit intrinsece malum, nefas est militi, sive civis sit sive exterus pretio conductus, in bello evidenter iniusto pugnare: quod enim in se malum est nunquam licite fieri potest. Si exterus de belli iustitia ante dubitet quam miles conscribatur, conscribi nequit nisi, dubio posito, de belli iustitia certior fiat, quia secus in discrimen se voluntarie coniiceret rem iniustam patrandi. Si vero miles conductitius iam ante conscriptus fuerit quam indiceretur bellum, in eadem versatur conditione qua civis: nempe uterque arma sumere et bellare potest, tametsi de belli iustitia sit anceps. *Vir iustus*

(1) *Prov.* XX, 10; Vouters, *De systemate morali*, § 2 in fine; Lehmkuhl, *Casus*, I, 69, Piscetta, 80; Bucceroni, *De conscientia*, III, 128; Sebastiani, *Summarium*, 95; Ferreres, *Epitome*, 75, Cerato, *De iustitia*, 88; Génicot, I, 81.

(verba sunt S. Augustini), *si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei praeceptum certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi* (1). Haec una omnium sententia est, quam plerique argumento possessionis evincere conantur: scilicet (ut alii dicunt), quia miles dubio durante suam possidet libertatem, vel (ut aliis placet) quia iubendi potestatem possidet princeps (2). Potior et vera ratio haec est, quia ad principem spectat de iustitia belli iudicium ferre; propterea auctoritas principis iubentis sufficit morali certitudini pariendae, quae nititur in veritatis praesumptione, ac tamdiu perdurat quamdiu certis argumentis praesumptio convellatur (3). Patet ex his quomodo priori Pancratii dubio confessarius occurrere potest.

45. — II°. Votum accipitur instar privatae legis quam quis libens volens sibi dicit: quapropter votorum interpretatio perinde ac cuiusvis legis humanae facienda est. Atvero, quum dubium in factum aliquod cadit quod legis humanae titulum constituit, titulo nutante, lex ipsa nutet necesse est, eiusque obligatio solvatur, nam *Lex dubia non obligat.* Quapropter si dubites an quidquam voveris, vel an in voto quod nuncupasti quidquam contineatur, desinit obligatio voti, pro ea saltem parte de qua dubitas (4). Haec cum ita sint, Pancratius non alia obligatione tenetur nisi recitandi per annum unum preces Deo promissas.

46. — III°. Tertium Pancratii dubium respicit factum quo legis iussum impletur, seu quo praestito legis vinculum solvitur. Sunt qui docent, huic dubio occurrendum eo principio: *In dubio melior est conditio possidentis:* et quia lex certa per incertam satisfactionem a possessione sua non deiicitur, idcirco eam suo robore stare contendunt (5).

(1) *Contra Faustum,* l. XXII, c. LXXV.

(2) Sporer, *In V praecept. Decal.* c. II, sect. II, § 3, 103; S. Alphonsus, I, 31.

(3) Laymann, l. II, tr. III, c. XII, 8; Clericatus, *Erotemata,* CLXIV, n. 4; La Croix, l. III, p. I, dub. V, a. II, 868 cum Busembaum; S. Alphonsus, l. III, 408; Brocardus, *De conscientia,* q. II, a. VI, § 9, sect. III; *Compendium Salmanticense,* tr. *De caritate,* n. 228, 229; Mansi, *Epitome,* v. *Irregularitas:* Gerdil, *Opere scelte,* vol. II, *Pensieri sui doveri spettanti ai differenti stati della vita, Doveri dei militari,* § XIII, n. XV; Ferreres, *Epitome,* 280; Génicot, I, 384.; Rosmini, *Coscienza,* 626; *Logica,* 218-220. Vide et opusc. *De regulis,* etc., 49.

(4) S. Alphonsus, I, 28 cum plerisque doctoribus.

(5) S. Alphonsus, I, 29. Ita S. Doctor quaestionem de voto dirimit; alibi tamen quaestionem instituens: *Quid in dubio an legem impleveris?* universim respondet: *In dubio negativo teneris implere,* **secus in positivo** (I, 99). In quo nobiscum sentit; de dubio enim positivo nos loquimur. Cf. et l. IV, 150, ubi positive dubitantem an divini Officii pensum ex integro perfecerit, S. Doctor eximit obligatione illud iterum perficiendi.

Verum, eorum pace, si positive (gravibus scilicet ductus argumentis) dubitas praecepto legis te satisfecisse, iam legis possessio ideoque et obligatio in incertum vocantur. Quia tamen non legis vitio sed ignorantiae tuae dubium huiusmodi est tribuendum, idcirco aequitati ac rationi consonum videtur ut pro maiore probabilitate res definiatur; quod si par utrinque probabilitatis pondus appareat, ob legis obsequium tutior teneatur via, ea nempe quae legi favet. Demum, si praecepti materia dividua fuerit, pro rata dubii parte divisio fiat, hac enim divisione periculum utrinque diribetur (1). Poterit ergo Pancratius pro gradibus probabilitatis hinc inde stantibus argenteos partim retinere, partim egenis tribuere.

XVII.

Lucius, Commodus et Rufus sacerdotes de theologorum auctoritate in re morali disceptant. Lucius omnem morum doctrinam ex SS. Literarum documentis, ex RR. Pontificum et Ecclesiae magisterio atque e rationis penu promendam affirmat: theologorum vero auctoritatem extenuat, immo penitus eradit, tum quia saepissime delirant, tum quia vix unquam inter se conveniunt, ita ut iure de iis dici possit: *Quot capita, tot sententiae*. Contradicit Commodus, qui omnem fidem theologis adhibendam esse contendit, nam ipsorum est quaestiones de moribus ex instituto tractare: *tractant fabrilia fabri*; quod si inter se dissideant, sat erit in eorum sententiam descendere quam plurimorum suffragia communiunt. Utrique Rufus obsistit: Lucio, quia detrectare fidem iis qui data opera in aliquam disciplinam incumbunt, insipientis hominis est; Commodo, quia doctrinae praestantiam ex docentium numero metiri, ridiculum prorsus, quippe ponderare magis docentes oportet quam numerare, plus enim ponderis in uno doctore cordato et gravi invenitur saepe quam in centum minutulis. Hinc vel unius doctoris sequi sententiam fas esse putat, praesertim si doctor e recentioribus sumatur, nam perplures veterum opiniones hodie obsolevisse nemo unus ignorat.

Quaeritur I°. Quid valeat theologorum auctoritas in re morali?

Q. II°. Quid de singulis disputantium sententiis?

Quaestionum solutio.

47. — Resp. ad I Q. Agendorum doctrinam e certioribus fontibus, quoad eius fieri potest, hauriendam esse, nemo inficias iverit nisi plane nihil sapiat. Quapropter ubi SS. Literarum, RR. Pontificum, Ecclesiae, rectae rationis documenta praesto sint, supervacaneum est quid theologi

(1) Rosmini, *Coscienza*, 724; *Compendio di Etica*, 250. Videsis et opusc. *De regulis* etc., 56 et dicta superius, n. 28.

tradunt inquirere. At plura sunt neque in SS. Literis tradita neque Ecclesiae magisterio definita, neque humanae rationi satis pervia (quae post Adae peccatum in multis caligat); tunc theologorum auctoritas expetenda est, praestat enim in qualibet scientia doctos, vel in arte peritos, prae ceteris audire. Ex his liquet ad theologorum auctoritatem tunc esse confugiendum, quum certiores veritatis fontes nobis non patent. *Locus ab auctoritate quae fundatur super ratione humana,* ait S. Thomas, *est infirmissimus* (1). Quibus praepositis, iam cominus agamus.

I°. Si theologi omnes in unam sententiam concurrunt, eorum auctoritas oppido maxima est, tum quia doctorum in aliqua re consensus certum exhibet veritatis indicium, tum quia communem theologorum sententiam ii, quibus christiani populi instituendi cura commissa est, securi sequuntur; propterea si sententia illa a veritate deficeret, Ecclesia eam tolerando populum christianum silentio suo decipere videretur. Quamobrem cum Melchiore Cano concludere libet: *Concordem omnium theologorum scholae de fide aut moribus sententiam contradicere, si haeresis non est, at haeresi proximum est* (2).

II°. Si theologi (quod saepe contingit) in diversas sententias abeant, expendenda in primis rationum momenta quae pro sua quisque sententia profert, dedecet enim rationalem hominem more pecudum ductari, ac theologorum numerum exquirere quum ratio suppetit. Audi S. Alphonsum: *Confessarius antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere, et cum occurrit ei aliqua ratio ita convincens pro tutiori opinione cui adaequatam responsionem suppetere non aspicit, tunc oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum auctoritas illi faveat, modo auctoritas non sit tanti ponderis ut videatur ei magis quam rationi apparenti deferendum, iuxta id quod docet S. Thomas:* **Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur.** *Sed iste casus valde rarus erit* (3).

III°. Si argumentis intrinsecis, hoc est a ratione ductis, quaestio finiri nequit, nudae theologorum auctoritati, extrinsecae videlicet, concedendum est, licebitque et ad numerum attendere diversa sentientium. Difficile opus sane ac periculosae aleae plenum, non enim par omnium auctoritas est, poeta dicente:

Plus esse in uno saepe quam in turba boni (4).

Auctoritatem auget praeclara vitae sanctitas: nam *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, magis quam septem circumspectores sedentes*

(1) I^a, q. I, a. VIII ad 2^um.

(2) *De locis theologicis,* l. VIII, c. IV, 3 concl.

(3) *Morale systema*, prope finem. Attende singula verba: *aliquis, parvae scientiae, ratio apparens, valde rarus casus.*

(4) *Phoedri fabulae*, lib. IV, fab. IV.

in excelso ad speculandum (1). Insuper et in iis numerandis ratio habenda est scholae in qua forte theologi quique instituti fuere, nam plerumque plus habet ponderis testimonium eorum qui ex diversis scholis, quam eorum qui ex una prodierunt, quia placita ex scholis accepta libertati iudicii plus minus officiunt (2). Haec prae oculis tenenda sunt, ne extrinsecae theologorum auctoritati inconsulte fidamus (3).

IV°. Unius doctoris sententia, quae ceterorum omnium sententiae repugnet, profecto falsi dogmatis suspicionem ingerit: hinc Alexander VII propositionem hanc n. XXVII diris devovit: *Si liber sit alicuius iunioris et moderni, debet opinio censeri probabilis dum non constat reiectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.* Fieri tamen quandoque potest ut unus doctor, ingenio, doctrina, rerum usu, vitaeque sanctitate praecellens, quaestionem aliquam diligenter pertractans, novis validisque argumentis communem sententiam refutet suamque suadeat, ac tam solida probabilitate eam pollere demonstret, ut iam liceat illi adhaerere. Verum hac in hypothesi manifestum est, ratione potius nos niti quam extrinseca doctoris auctoritate (4).

48. — Resp. ad II Q. I°. Improbandus Lucius qui theologos exsibilat eorumque auctoritatem pessumdat. Non equidem ignoramus quorumdam theologorum deliramenta (quaenam fatuitas sine patrono?) et opiniones bonis moribus adversas, quas non semel RR. Pontifices damnarunt ne christianae reipublicae perniciem inferrent; at nonnullorum culpam in omnes transferre iniquum est.

II°. Neque omnino probandus Commodus, qui theologorum numero potius quam ratione fidere videtur:

Non vis, non numerus, melior sed causa triumphat.

III°. Plus aequo Rufus extrinsecae theologorum auctoritati defert, qui universim unius doctoris praesertim recentioris sententiam sequi fas esse retur: vix enim unquam, nisi doctor sit omni exceptione maior, prudenter id fieri potest. Ceterum meminisse iterum iuvabit, theologorum opiniones, ut ut probabiles, ad usum non posse deduci quum intrinseci mali periculum subest, quod per tutiorem sententiam omnino declinare iubemur (5).

(1) *Eccli.* XXXVII, 18.

(2) Rosmini, *Logica*, 934.

(3) De extrinseca doctorum auctoritate vide quae scripsimus in opusc. *De regulis* etc., c. II, a. III, § 1, et Rosmini, *Logica*, 939-944; *Coscienza*, 743 et seq., 762-769.

(4) Viva, *Damnatae theses*, in prop. XXVII Alexandri VII, n. VI-VIII; La Croix, 155; Sporer, 41; Génicot, I, 66.

(5) Viva, l. c., n. IX.

XVIII.

Quintilianus sacerdos, ratus unicam proximam morum regulam esse conscientiam, quum piacularibus confessionibus excipiendis dat operam, priusquam poenitentes a peccatis absolutos dimittat, id unum ab eis exquirit, utrum conscientiae obsecuti fuerint vel eidem reluctaverint, deque eorum morali bonitate ad hanc normam iudicium instituit.

Quaeritur. An Quintiliani doctrina et agendi ratio aliquo capite sit carpenda?

Quaestionis solutio.

49. — Resp. ad Q. 1°. A Quintiliani doctrina exordiamur, qui conscientiam minus accurate unicam proximam morum regulam appellat. Hoc ut planius fiat longiore nobis opus est oratione.

Humanorum actuum moralitatem a convenientia cum lege vel a discrepantia dimetiri oportet, adeo ut actus ille vocetur bonus qui consonat legi, ille malus qui a lege discordat. Lex igitur (de naturali in praesentiarum loquimur) princeps est agendorum regula, remota tamen. Lex autem naturalis in duplici veluti statu seu momento spectari potest. Primitus lex in ipsa entium perceptione includitur, dein ab entibus perceptis passim abstrahitur certisque formulis expressa nobis proponitur. In priori momento nondum conscientia se prodit, sed ipsa entia percepta obsequium et reverentiam pro sua dignitate a nobis exigunt, sensumque moralem in nobis excitant, qui est proxima agendorum regula qua dirigimur. In secundo momento legis iussa ab entium perceptione, rationis ope, distincta menti nostrae obversantur, v. c. *Deum cole*, *Parentes honora*. *Nemini iniuriam facito:* haec autem iussa deinceps per actus reflexos (italice: *atti di riflessione*) ratio ad ea applicat quae facienda sunt, syllogismum quemdam instituens, cuius conclusio conscientia vocatur. *Lex naturalis*, inquit Doctor Aquinas, *nominat ipsa principia universalia iuris: conscientia vero nominat applicationem quamdam legis naturalis ad aliquod faciendum per modum conclusionis cuiusdam* (1). Sit exemplum. Lex clamat: *Furari malum est:* en propositio maior syllogismi. Ratio subdit: *Actus iste furtum est:* en propositio minor. Ratio adhuc pergit: *Ergo iste actus est malus:* en syllogismi conclusio quam conscientiam vocamus. Ex his pronum est colligere, regulam morum *remotam* non aliam esse quam legem, sive in priori, sive in posteriori momento spectatam; *proximam* vero regulam modo esse moralem sensum, modo conscientiam; propterea Quintilianum errare, qui *unicam* proximam morum regulam arbitratur esse conscientiam. Post haec obiter animadvertimus, sensum moralem non plane exulare ab homine, conscientia adveniente; propterea tam ante quam post

(1) In II *Sent.* dist. XXIV, q. II, a. IV.

conscientiae ortum actus morales perfici a nobis posse, seu (quod idem est) ad actus morales perficiendos non semper ac necessario conscientiam requiri (1). Rursus: si haec quae de conscientia dicimus cum illis conferas quae de iudicio practico n. 25 dicta sunt, facile inferes conscientiae iudicium *speculativum* magis proprie appellandum esse quam *practicum* quippe quod intellectu, non voluntate perficitur. Idque Doctor Aquinas innuere videtur his verbis: *Iudicium conscientiae consistit in* **pura cognitione**; *iudicium autem liberi arbitrii in* **applicatione cognitionis ad affectionem**, *quod quidem iudicium est iudicium electionis* (2).

50. — II°. Quintiliani doctrinam ceu minus accuratam notavimus; at multo magis eius agendi ratio notanda. Fieri enim potest ut poenitens ob ignorantiam vel errorem falsa conscientia laboret; ignorantia autem vel error, si vincibilia sint atque culpanda, agentem ex falsa conscientia a peccato non eximunt. *Si conscientia erret errore voluntario*, ita S. Thomas, *vel directe vel propter negligentiam, quia est error circa id quod quis scire tenetur, tunc talis error conscientiae non excusat quin voluntas concordans conscientiae sic erranti sit mala* (3). Quapropter confessarius, qui medici, magistri ac patris munere fungitur, antequam poenitentem absolvat, in eius conscientiam inspiciat oportet, et si forte ignorantia aut errore infectam invenerit, enixe conetur ad veritatem exigere. Hoc tamen caute praestandum, nam interdum veritas ad tempus est reticenda ne obsit, quae proderit deinceps opportune prolata: *mala aurea in lectis argenteis*, ait Sapiens, *qui loquitur verbum in tempore suo* (4). Ut autem confessarius id praestet, hanc duplicem normam prae oculis habeat: 1°. Quum in poenitentis conscientia formale peccatum invenerit, confessarius illum ante doceat quam absolvat; 2°. Quum vero a poenitentis conscientia peccatum abest, eatenus illum doceat quatenus eius bono expedire iudicaverit,

(1) Videndus Rosmini, *Coscienza*, 37-71, 134-140; *Compendio di Etica*, 58-64, *Metodica*, 387-388, 395-399; Fasolis, *Etica*, nn. 129, 470-473; Pestalozza, *Compendium philosophiae*. Ethicae l. I, 136. *Le postille d'un anonimo*, c. V, a. I, 4; Missiaglia, *Osservazioni*, ecc. c. IV. Vide etiam Gerdil, *Opere scelte*, vol. II, Dissertazione *Della origine del senso morale*. Duplicem hanc agendi rationem Angelicus Doctor videtur agnoscere affirmans hominem bifariam posse recte iudicare, nimirum *vel secundum perfectum rationis usum, vel* **propter quamdam connaturalitatem** *et ea de quibus iam est iudicandum*: quod iis praesertim contingit qui ex habitu quidquam agunt (II^a II^{ae}, q. XLV, a. II). Doctrinam de sensu morali superius traditam uberius explanavit vindicavitque Filalete, *Il P. Payani e la* **Civiltà Cattolica**, et rursus, *Replica di Filalete*, Firenze, tip. arcivescovile, 1917.

(2) *De veritate*, q. XVII, a. I, ad 4^{um}. Vide Rosmini, *Coscienza*, nn. 18-22; Filalete, opusc. cit. et opusculum *De regulis*, n. 1, nota 1.

(3) I^a II^{ae}, q. XIX, a. VI.

(4) *Prov.* XXV, 11.

ne forte materiale peccatum in formale convertatur. Utriusque normae ratio plana est: nam in priore hypothesi poenitens qui cum falsa conscientia operatur formaliter peccat, propterea statim est docendus ut caveat peccatum; in posteriore non peccat nisi materialiter, materiale autem peccatum permittere licet, si prudens timor adsit ne formale evadat. Ut confessarius dignoscere queat utrum in poenitentis conscientia formale insit peccatum necne, obiectum spectare iuvabit circa quod ignorantia aut error versatur. Si obiectum primaria naturalis legis praecepta eorumque proximas deductiones, vel potiora sui status officia respiciat, vix unquam aberit formale peccatum; quod facilius abesse poterit si obiectum ad remotiora legis naturalis praecepta vel ad positivae legis statuta pertineat. Denique, antequam poenitentem moneat, eius indolem et mores et animum confessarius explorabit, an audire et doceri paratus, ex his enim probabili coniectura assequi poterit an monitio sit profutura vel minus (1). Haec teneat Quintilianus, ut suo suorumque poenitentium bono in posterum melius consulere valeat.

XIX.

Anselmus vetus parochus nonnullis premitur dubiis, quae ponere exoptat priusquam diem obeat supremum. Nam a lege abstinendi ab epulis vetitis nonnunquam exemit pueros qui, etsi nondum septennes, expedito pollebant rationis usu; a ieiunii lege sexagenarios aliquot, adhuc valentes viribus, liberos declaravit; nonnullas quoque feminas quae quinquagesimum aetatis annum ingressae fuerant; hoc ipsum praestitit cum adolescente de quo incertum erat an vigesimum primum annum explesset, et cum sene de quo non satis constabat essetne sexagenarius vel minus. Praeterea plus semel infantes Baptismate non abluit, quos domi quidem tinctos fuisse noverat, sed ab obstetrice quae perfunctorie Sacramenti ritum usurpare consueverat. Ad haec sacrarum exercitationum tempore plures poenitentes a peccatis absolvit, dubius an explicitum instaurandae vitae propositum animo gererent.

Quaerit Anselmus: I°. Rectene egerit in singula quaque facti specie: sin vero minus, quomodo agere debuisset?

II°. An quidquam sibi agendum supersit ut acta reparet, si quid deliquit?

Quaestionum solutio.

51. — Ut quaestionibus ab Anselmo propositis satisfaciamus, per singulas factorum species percurremus, doctrinam ad memoriam revocantes quam supra tradidimus ad dubia excutienda et certam nobis conscientiam comparandam.

(1) Alphonsus, VI, 610-616; Rosmimi, *Coscienza*, 406 et seq.

I°. Pueri nondum septennes, expeditum tamen rationis usum adepti, illis Ecclesiae legibus servandis apti sunt quae iis congruunt: at quia neque aperta legislatoris voluntas, neque firma doctorum sententia, neque certa consuetudo eos ante septennium hisce legibus devincit, propterea usque adhuc incertum erat an lex eos attingeret, legis autem incertae obligatio nulla. Hodie *Codex pontificii iuris* quaestionem canone 12 finivit statuens: *Legibus mere ecclesiasticis non tenentur baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui licet, rationis usum assecuti septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur* (1).

II°. Aetatis annum quo lex ieiunium praecipiens incipit obligare Ecclesia non constituit: quapropter quilibet aptus ieiunio servando hac lege teneri dicendus esset. Attamen explorata consuetudo adolescentes exemit qui vigesimum primum annum nondum expleverint: utrum vero et senes eximeret impleto vel inchoato sexagesimo anno, diu olim disceptatum fuit, quampluribus id affirmantibus, sive ob consuetudinem late obtinentem, sive ob non spernenda rationum momenta quibus haec consuetudo nititur, sive ob Ecclesiae silentium, ex quo coniicere licet nolle eos lege sua complecti: hinc concludebant, legis dubiae obligationem urgeri non posse (2). Hodie, post christianae doctrinae compendium iussu Pii X anno 1912 Romae editum, dubitatio omnis sublata est, namque ieiunii praeceptum a vigesimo primo ad sexagesimum annum pertingere diserte traditur (3). Quod rursus hoc *Codicis pontificii iuris* canone firmatur: *Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad incoeptum sexagesimum.* **Omnes,** inquit, ergo et feminae (4).

III°. Sunt qui feminas quinquagesimo ineunte anno ieiunii lege solvi contendunt, tum quia citius viris senescunt, tum quia frequentiori (sin minus copiosiori) indigent cibo. Communior tamen sententia eas a ieiunio non eximit, quod (experientia teste) facilius sine valetudinis detrimento ferre valent, quippe quae minore egent alimento (5). Ab hac sententia (cui calculum addere videtur *Iuris pontificii Codex* canone modo relato) non recedendum putamus; priorem tamen cum S. Alphonso neque improbare audemus neque probabilem dicere.

(1) Vide opusculum *De regulis* etc. nn. 48-50. Quamvis S. Alphonsus aliter sentiat, *probabilem* tamen hanc sententiam appellat (I, 155; III, 270, 1012). Vide dicenda n. 80.

(2) Vide opusculum *De regulis* etc. n. 50; S. Alphonsum, III, 1036; Gousset, I, 309; D'Annibale, III, 135.

(3) *Catechismo della dottrina cristiana pubblicato per ordine di S. Santità Pio X*, n. 221.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 1254. Vide sis Vermeersch, *Summa* 494.

(5) S. Alphonsus, III, 1037 (cum Laymann, La Croix, Salmanticensibus aliisque); Scavini, I, 399; D'Annibale, III, 135, nota 2; Tanquerey, *De Virtutibus et praeceptis*, 1122.

IV°. Dubium an lege ieiunii teneantur adolescens et senex, quum satis non constat an ille vigesimum primum annum compleverit et hic sexagesimum saltem inchoaverit, versatur circa factum quo legis limites praefiniuntur. Hoc in dubio, quod non ex legis vitio sed ex ignorantia nostra proficiscitur, illud tenendum quod probabilius est (ut alias diximus n. 28), in pari autem probabilitate obsequendum legi (1).

V°. Quum Baptismi Sacramentum ad animae salutem omnino sit necessarium, quippe quod nedum ceterorum Sacramentorum sed aeternae vitae est ianua, parochorum est curare ut nemo e suis tanto careat Sacramento. Quapropter, si sedula inquisitione facta de ritu servato in Baptismo privatim collato ac de conferentis mente grave dubium maneat de vi Baptismi, Sacramentum, adhibita conditionali forma, iterandum est: in his enim quae ad animae salutem sunt necessaria tutior tenenda est via. Conditio autem prospicit Sacramenti reverentiae, quod sine causa iterare sacrilegum foret. *Hac conditionali forma* (verba sunt Ritualis Romani) *non passim aut leviter uti licet, sed prudenter et ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatum* (2).

VI°. Etsi probabilior sententia docet, propositum non peccandi explicitum esse non oportere sed virtuale seu implicitum sufficere, quia tamen res in disceptationem venit, omni studio curandum ut poenitentes explicitum emendandae vitae propositum eliciant, ne Sacramentum ad irritum cedat, illudque suscipientes divina gratia fraudentur (3). Post factum tamen, quia probabilius Sacramentum valuit et confessionis praecepto obtemperatum fuit, non est necessario instauranda confessio, quia peccata forte non dimissa poterunt per contritionis actum vel indirecte in alia confessione deleri (4). Excipe si poenitens in proximo mortis periculo constitutus esset, vel nulla deinceps daretur ei confessionis peragendae facultas: tunc enim, nisi adsit perfecta contritio, urget confitendi necessitas, ne salus animae in discrimen adducatur.

52. — Resp. ad I Q. Post haec iam possumus priori Anselmi quaestioni paucis satisfacere. Nimirum in prima et secunda facti specie recte egit; in tertia videndum an pro norma superius tradita maiorem probabilitatem sit secutus; in quarta inconsulte fecisse videtur: in quinta male, nisi forte talia rerum adiuncta fuissent, quae suaderent absolutionem conditionate impertiri.

(1) Vide opusc. cit. n. 56 *c*).

(2) *Rituale Rom., De forma Baptismi.*

(3) S. Alphonsus, VI, 450.

(4) Viva, *Damnatae theses*, in prop. LXV Innocentii XI, n. X; La Croix, l. VI, p. II, 680, 1208; D'Annibale, III, 313. Vide opusc. *De regulis* etc., n. 56, *d*), et dicenda n. 528.

53. — Resp. ad II Q. In prima et secunda facti specie, quum recte egerit, nil prorsus Anselmo agendum superest: in tertio, quinquagenarias feminas a ieiunio liberans, minus prudenter se gessit, sententiae innixus cuius probabilitas valde est incerta; quapropter, nisi forte ob tenuem valetudinem aliave peculiaria rerum vel personarum adiuncta indulgendum eis fuisset, debet Anselmus imprudenter dicta revocare easque ad ieiunium deinceps servandum adducere: in quarta, si maioris probabilitatis normam posthabuit, videndum possitne adhuc error reparari: in quinta explorandum an de Baptismo rite collato prudens dubium maneat et Baptismus adhuc iterari queat: in sexta nihil agendum, nisi duplex periculum adsit de quo dictum est.

IN TRACTATUM
DE LEGIBUS

XX.

Petronius, quum a praeceptore suo didicisset leges omnes ab aeterna tanquam fonte derivari, nequit in hac doctrina conquiescere. «Quippe lex aeterna ipse Deus est (ita ratiocinatur) cum sit ratio et voluntas Dei, Deus autem est immutabilis: at vero qui fieri potest ut a Deo deriventur lex naturalis et positiva, seu divina seu humana, quas saepissime mutationibus obnoxias videmus? Et sane mutatur lex naturalis: nam naturalis lex iubet depositum domino quaerenti reddere, secretum servare, nemini necem inferre; attamen depositum abnuere licet quod in perniciem custodientis repetitur, secretum pandere quod sine gravi reipublicae damno servari nequit, inimicum occidere ad vitam tuendam. Plura item hodie iure naturae vetita censentur, quae olim licita habebantur, ut puta inimicorum odium, polygamia, coniugium fratris cum sorore et id genus alia. Praeterea Deus ipse naturae leges nonnunquam relaxavit, veluti quum praecepit Abrahae ut filium suum mactaret, Hebraeis ut Aegyptiorum spolia auferrent, Oseae ut ad prostibulum accederet; quum Hebraeis indulsit ut alienis foenerarentur, ut uxori adulterae repudii libellum darent. Quid? quod ipse R. Pontifex iuramenti et voti vinculum per dispensationem solvit? Etiam lex positiva divina mutationi subest: nam legem veterem a Christo abrogatam fuisse omnibus compertum est. Multo magis mutantur leges humanae: quot enim et quam inter se pugnantes ab hominibus sancitae fuerint ac quotidie sanciantur quis est qui nesciat? Quinimmo plura humano iure permitti cernimus quae iuri naturae adversantur, cuiusmodi sunt meretricia, usurae et dominiorum translationes».

Quaeritur I°. Quid sit lex aeterna, quid naturalis, quid positiva divina et humana?

Q. II°. An leges omnes ab aeterna deriventur et quomodo?

Q. III°. An leges mutari possint?

Q. IV°. Qua ratione cum legis aeternae immutabilitate componi queant illa omnia quae a Petronio proferuntur?

Quaestionum solutio.

54. — Resp. ad I Q. Latissimo sensu accepta, lex non est nisi quaedam agendorum norma: seu, ut verbis utamur S. Thomae, *lex est quaedam regula et mensura secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur* (1). Minus late accepta, nempe quatenus ad mores refertur, a Seneca *iusti et iniusti regula* concinne definitur(2). Quaevis autem regula aliud non est nisi aliqua mentis notio, seu idea menti praesens, ad quam agenda conferimus ut de iis iudicemus. Porro idea prima ceterarumque parens, ut philosophia nos docet, est idea entis, quae iudiciorum omnium ideoque et moralium norma existit. Propterea ad ideam entis, qua pernoscimus quid bonum sit vel malum, omnis lex revocatur (3). *In luce primae veritatis* (ita Doctor Angelicus) *omnia intelligimus et* iudicamus (4). Prima autem veritas non est nisi entis idea, namque ex recepto in scholis adagio: *Ens et verum convertuntur*. Post haec explicatius lex moralis definiri potest: *Notio mentis qua de actuum moralitate iudicium fit, et ad quam iidem actus sunt exigendi* (5). Hisce positis, iam ad singulas leges veniamus.

55. — I°. Idea entis, ut modo innuimus, seu τὸ esse obiectivum quo bonum et malum pernoscimus, iudiciorum moralium regula, ideoque suprema moralis lex est. At vero esse obiectivum, quod in creatis mentibus per participationem inest, in Deo est per essentiam, immo est ipsamet essentia divina: hoc autem esse in Deo spectatum, quatenus totius boni moralis archetypon exhibet, nempe entis ordinem intrinsecum eiusque exigentiam manifestat, illud est quod legis aeter-

(1) I^{a} II^{ae}, q. XC, a. I.

(2) *De beneficiis*, l. IV, c. VII.

(3) Vide Rosmini, *Nuovo Saggio*, 558-574; *Principii della scienza morale*, c. I et IV quod inscribitur: *L'idea dell'essere considerata come il principio della morale*; Fasolis, *Etica*, nn. 42, 57, 182-184; Pestalozza, *Compendium philosophiae, Ethicae*, l. I, 34, 35; Ferrè, *Degli universali*, l. IX, 1200 et seq. Vide quae Filalete opusculis supra citatis (n. 49, nota) habet.

(4) I^{a}, q. LXXVIII, a. I ad 1^{um}.

(5) Rosmini, *Principii della scienza morale*, c. I, a. I. Legem exterioribus formis exutam ad mentis notionem revocari et S. Thomas docet, qui legem naturalem conceptionem *homini naturaliter inditam* vocat, legem autem aeternam ideo talem appellat, quia *ratio divina habet* conceptum *aeternum* (in IV *Sent.* dist. XXXIII, q. I, a. I et I^{a} II^{ae}, q. CXI, a. I). Vide sis Gastaldi, I, pag. 84, 85, 94-97.

nae nomen obtinet. Quae legis aeternae notio ab ea non discrepat quam cum SS. Augustino et Thoma catholici doctores tradere solent. Nam, auctore Augustino, *lex aeterna est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari iubens et perturbari vetans* (1). Auctore vero Thoma, *lex aeterna nihil aliud est quam ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum* (2). Ex hac duplici legis aeternae definitione liquet, eam in naturali seu intrinseco entium ordine pro veritate agnoscendo ac servando versari, quem ordinem divinae sapientiae ratio exhibet; divinae autem sapientiae ratio veritas est, Psalmista dicente: *Principium verborum tuorum veritas, lex tua veritas* (3). Equidem Augustinus divinam voluntatem rationi sociat, quia Dei ratio et voluntas plane concordant, immo re non differunt, quippe unum sunt; attamen, si logicum ordinem attendas, etiam in Deo ratio praeit voluntati, nequit enim divina voluntas quidquam velle quod rationi non congruit; propterea in ratione seu in mente divina magis quam in voluntate lex aeterna constituenda est. *Dicendum*, ita nervose argumentatur Angelicus Doctor, *quod cum bonum intellectum sit obiectum voluntatis, impossibile est Deum velle nisi quod ratio suae sapientiae habet. Quae quidem est sicut* **lex iustitiae** *secundum quam eius voluntas recta et iusta est* (4). Et rursus: *Voluntas non habet rationem primae regulae, sed est* **regula recta**; *dirigitur enim per rationem et intellectum, non solum in nobis sed* **et in Deo** (5). Quae verba confirmant, legem aeternam divina voluntate non constitui, quum divina voluntas ideo iusta concipiatur, quia cum sapientiae ratione concordat (6).

Ex his liceat obiter inferre quid sid bonum et malum intrinsecum, et quo nomine utrumque ab extrinseco discriminetur. Quum lex ae-

(1) *Contra Faustum*, l. XVII, c. XXVII.
(2) I^{a} II^{ae}, q. XCIII, a. I.
(3) *Psalm.* CXVIII, 160, 142.
(4) I^{a}, q. XXI, a. II, ad 2^{um}.
(5) *De veritate*, q. XXIII, a. VI.
(6) Huic doctrinae contradicit eximius Suarez, qui ratus omnem legem esse *voluntatem* aut *voluntatis intimationem*, contendit legem aeternam libero Dei decreto fuisse constitutam; voluntatem Dei ex se ipsa sanctam esse, non autem ob convenientiam cum aliqua lege; honestatis dictamina, quae in divino intellectu libera voluntatis decreta praecedunt, legis rationem non habere, ad Deum quod attinet; idcirco negat legem aeternam *simpliciter necessariam* esse, neque aliam illi immutabilitatem tribuit nisi *consequentem*, quae scilicet liberum Dei decretum consequitur (*De legibus*, l. II, c. II, n. 5 et seq., c. III, n. 3 et seq. et alibi): quae omnia, post ea quae superius tradidimus, satis absona videntur. Longe rectius de legis aeternae natura disserit Hooke in tract. *De vera religione*, p. I, *De lege natur.* a. II (*Theologiae cursus completus*, tom. II, edit. Migne), cui quadantenus accedit Lehmkuhl, de legis naturalis immutabilitate disserens (I, 285).

terna intrinsecum entis ordinem eiusque exigentiam manifestet, quidquid ad ordinem illum servandum vel perficiendum confert, *bonum intrinsecum* nuncupatur (tam *obligatorium* quod vocant, quam *supraerogatorium*, nempe sive ex *praecepto* factum sive ex *consilio*); quidquid vero illi ordini repugnat, *malum intrinsecum* dicitur. At quia plura sunt quae cum entis ordine necessarium nexum seu relationem non habent, hoc est neque ad ordinem illum servandum perficiendumve conducunt, neque illi adversantur (ex quibus *licitum* constituitur), si horum aliquod positiva lege praecipi vel prohiberi contingat, *boni* vel *mali extrinseci* nomen obtinet, quasi bonitatem suam vel pravitatem, quam insitam non gerit, extrinsecus recipiat (1). De lege aeterna satis.

56. — II°. *Lex naturalis*, ait S. Thomas, *nihil aliud est quam conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis* (2). Lex huiusmodi a lege aeterna non differt, sed est participatio eius per rationis lumen homini facta, ideo et *rationalis* vocatur. *Lex naturae* (ita Leo XIII in Encycl. *Libertas*) *est ipsa lex aeterna insita in iis qui ratione utuntur*. Nimirum lex aeterna est ratio divinae sapientiae, veritas subsistens, ipse Deus; lex naturalis est divini luminis seu veritatis participatio, veritas in forma ideali tantum menti nostrae lucens, entis idea qua (ut diximus) tanquam regula utimur ut bonum a malo internoscere valeamus. Audiatur Angelicus Doctor: *Participatio legis aeternae in rationali creatura lex naturalis dicitur; unde cum Psal. IV dixisset:* **Sacrificate sacrificium iustitiae**, *quasi quibusdam quaerentibus quae sunt iustitiae opera, subiungit:* **Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?** *Cui quaestioni respondens dicit:* **Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine**, *quasi lumen rationis naturalis quo discernimus quid sit bonum et quid malum, quod pertinet ad naturalem legem, nihil aliud sit quam impressio divini luminis in nobis* (3). Haec cum ita sint, in aperto est legem naturalem iisdem characteribus praeditam esse oportere quibus lex aeterna praefulget, nimirum necessariam esse, absolutam, immutabilem, quae intrinsecus bona sunt iubentem, quae mala vetantem. Hinc S. Doctor, ut adstruat a praeceptis naturalis legis Deum dispen-

(1) In sententia Suarezii discrimen inter bonum vel malum intrinsecum et bonum vel malum extrinsecum vix non evanescit: si enim utrumque libera Dei voluntate constitutum fuit, eccur Deus decreto suo efficere non posset ut aliter res se haberet? Qua ratione haec Suarezii sententia cum doctrina componi queat quam ipse profitetur, nimirum *actiones esse natura sua ita intrinsece malas ut nullo modo pendeant in malitia a prohibitione extrinseca, nec ex iudicio vel voluntate Dei*, profecto assequi non valemus. Recole dicta n. 28.

(2) In IV *Sent.* dist. XXXIII, q. I, a. 1. Vide Rosmini, *Compendio di Etica*, 52-54.

(3) I^{a} II^{ae}, q. XCI, a. II. Cf. et 1^{a}, q. LXXXIV, a. V. Vide Rosmini, *Compendio di Etica*, 55-58; *Coscienza*, 554.

sare nequire, ita ratiocinatur: *Deus negare seipsum non potest. Negaret autem seipsum, si ordinem suae iustitiae auferret, cum ipse sit sua iustitia* (1).

57. — III°. Lex positiva ea dicitur quae libera sive Dei sive hominis voluntate constituitur: Bifariam proinde dividitur, in *divinam* et *humanam*. Divina voluntas, quippe quae sancta est ac reverenda in semetipsa, iure, ut ita dicam, suo quasvis leges ferre potest: voluntas vero humana, quae sancta in se ipsa non est, eatenus tantum est reverenda quatenus a Deo leges condendi potestatem accepit. Ex quo palam fit, utriusque positivae legis, divinae scilicet et humanae, vim et obligationem in lege naturali niti, quae obsequium et obedientiam praestare iubet tum Deo, tum iis qui a Deo imperandi potestatem obtinuere. At quia Dei voluntas bona et sancta nihil praeter bonum et sanctum velle potest, propterea nunquam obsequium ei detrectare licet: voluntati autem hominis, quae bona non est nisi ob convenientiam cum naturali ac divina lege, tunc tantum parendum, quum eius iussa naturali ac divinae legi non adversantur. Quandoque contingit aliquod legis naturalis praeceptum positiva lege sanciri atque firmari (ut videre est in Decalogo, naturalis legis praecepta continente); tunc lex positiva *mixta* vel non *pure positiva* appellari solet (2).

58. — Resp. ad II Q. De naturali lege vix quaestio fieri potest, cum *lex naturalis non sit aliquid diversum a lege aeterna, sed quaedam participatio eius* (3). Leges autem positivae bifariam ab aeterna tanquam a fonte profluere dici possunt. 1°. Quia lex aeterna totius boni moralis archetypon exhibet, propterea nihil honesti cogitari potest quod cum ea plane non conveniat, nihil inhonesti quod ab ea non discrepet. 2°. Quia in cuiusvis legislatoris scitis nulla inesset vis obligandi, nisi lex aliqua superior obsequium eidem legislatori praestandum iuberet. Hinc illud divinae sapientiae effatum: *Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt; per me principes imperant et potentes decernunt iustitiam* (4).

59. — Resp. ad III Q. Cum lex aeterna sit divinae sapientiae ratio, lex iustitiae, ipsa veritas, ipse Deus, mutari nequit quin Deus ipse mutetur, quod dicere impium est. *Illa lex quae summa ratio nominatur* (ita S. Augustinus), *cui semper obtemperandum est,... per quam illa, quam temporalem vocandam diximus, recte fertur recteque mutatur, potestne cuiquam intelligenti non incommutabilis aeternaque videri?* (5). Idem dic de lege naturali, quae ab aeterna diversa non est.

(1) I^{a} II^{ae}, q. C, a. VIII ad 2^{um}.

(2) Rosmini, *Compendio di Etica*, 210-212; *Coscienza*, 175-188; *Sistema filosofico*, 219-220; *Storia comparativa dei sistemi morali*, c. VIII, a. I.

(3) I^{a} II^{ae}, q. XCI, a. II, ad 1^{um}.

(4) *Prov.* VIII, 15, 16.

(5) *De lib. arbitrio*, l. I, c. VI.

atque in ordine entium intrinseco fundamentum habet. Ceterae autem leges, quae a libera iubentis voluntate proficiscuntur, mutationi sunt obnoxiae ac reipsa saepissime mutantur.

60. — Resp. ad IV Q. Occurrendum in primis difficultatibus quae Petronius congerit ut legis naturalis immutabilitatem infirmat.

1°. Plura sunt legis naturalis praecepta, quae etsi lata formula atque absoluta proferuntur, verumtamen tacitam clausulam adnexam ferunt, qua certum modum definitionemque recipiunt: v. c. in praecepto depositum reddendi secretumque servandi haec subauditur conditio: *Modo sine tuo vel reipublicae damno id valeas praestare;* in praecepto hominem non interficiendi haec subintelligitur clausula: *Dumne fiat ad sui vel reipublicae incolumitatem tutandam, vel legitima auctoritate ad malefactores puniendos;* uno verbo *dumne occisio sit iusta.* Quae clausulae, si quid videmus, ex aliquo legis naturalis praecepto oriuntur, quod cum priore colliditur eique modum limitesque definit; seu (si magis libet) ex ipso entium ordine, qui gravius laederetur priore praecepto servato quam posthabito. Quae cum ita sint, clausulis illis advenientibus, praeceptum cadit, non quasi praeceptum mutationem receperit, sed quia usque illuc non pertingebat.

61. — Inimicos odisse numquam licitum fuit: quinimmo in veteri Testamento inimicorum dilectio praecipiebatur (1). Utique Christus ait: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum* (2); at nuspiam hoc legitur in SS. Literis, sed a Scribis legem perperam interpretantibus dictum fuit.

62. Ad polygamiam quod attinet, ultro damus eam naturali lege vetari, quia adversatur tum perfectae coniunctioni quam matrimonium postulat, tum aequitati quae mutua coniugum iura vult esse paria, tum humani generis incremento, tum rectae institutioni prolis, tum domesticae tranquillitati (3). Hinc Lamech, qui primus in SS. Literis polygamiae sectator perhibetur (4), a Tertulliano *vir maledictus* (5), a

(1) Vide sis *Exod* XXII, 4, 5 et *Prov.* XXV, 21.

(2) Matth, V, 43.

(3) Rosmini, *Diritto*, vol. II, 1319-1331, 1334-1341. Haec est communis sententia in quam loquuntur S. Thomas, *Suppl.* III^{ae} p., q. LXV, a. II; Bellarminus, Estius, Sylvius (apud Benedictum XIV, *De Syn. dioec.* l. XIII, c. XXI, n. 9) et e recentioribus Carrière, *De matrim.* 177 et seq., et Lehmkuhl, II, 918. contra pauculos, quorum doctrinam *singularem* vocat Benedictus XIV (l. c.) *improbabilem et a communi theologorum sententia alienam.* Huic doctrinae, quamvis oscitanter, accessit Perrone, qui docet quidem polygamiam iuri naturae minus esse conformem, immo adversari *quodammodo;* contendit tamen, iure naturae inspecto, neque *irritas* neque *illicitas* esse nuptias priore adhuc uxore vivente celebratas: quod idem est ac dicere polygamiam iure naturae vetitam non esse (*De matrim.* l. III. sect. I, c. I, a. II).

(4) *Gen.* IV, 19.

(5) *De exhortatione castitatis,* V.

16382

S. Hieronymo *sanguinarius et homicida* (1), a Nicholao I *adulter* nuncupatur. (2) Fatemur tamen, veteres patriarchas et hebraicum populum polygamiam sectantes culpa eximendos esse: quod in confesso est apud SS. Patres (3) et ex SS. Literis colligitur, quae hebraici populi et patriarcharum polygamiam commemorant quin eis crimini vertant (4). Theologorum plerique per divinam dispensationem id eis licuisse putant, quam in secundariis iuris naturae praeceptis dari posse contendunt, ac reipsa patriarchis per divinam inspirationem datam opinantur ac per eos in ceteros derivatam (5). At praeterquam quod huiusce dispensationis in SS. Literis nullum invenitur vestigium, difficile captu est, quomodo per dispensationem illud a polygamia auferri valeat quod turpe et contra naturalem legem in ea inesse pernoscimus: quapropter aliter rem confici posse putamus, distinctione facta inter legem eiusque obligationem. Nimirum, quamvis omnis lex ad obligationem inducendam sit nata, ut tamen vere eam inducat necesse est ut tum lex tum eius vis ab iis percipiatur qui obligandi sunt: sive enim ignoretur lex, sive eius vis non sentiatur, iam illa moralis necessitas oriri nequit in qua obligatio sita est. Quamobrem, quo infirmiores sunt vires mentis ad aliquod legis iussum assequendum et voluntatis ad illud prosequendum, eo facilius contingere potest ut iussum illud eiusque vis non percipiatur: idque eo magis quum de remotioribus legis naturalis praeceptis agitur, quae perspicaciorem postulant intellectum quo noscantur, validioremque voluntatem qua impleantur. Iamvero antequam Christus uberiori sua gratia hominum mentes voluntatesque reficeret, compertum habemus eos nonnullis gravioribus et exquisitioribus officiis percipiendis iuxta ac implendis pares non fuisse: hinc ob *sclerocardiam* (quae est cordis duritia, seu voluntatis ad bonum segnities) plura quae hodie iuri naturae contraria censentur, ab Hebraeis pro licitis habebantur: veluti acceptas iniurias ulcisci, convicium reddere, oculum pro oculo ac dentem pro dente repetere, in locum uxoris reiectae alteram sibi adsciscere (6). Etenim, Apostolo teste, *nihil ad*

(1) Lib. *Contra Iovinionum.*

(2) *Responsa ad consulta Bulgarorum.*

(3) Vide S. Augustinum, *De bono coniug.* c. XV et XVII; *De civit Dei*, l. XVI, c. XXXVIII; S. Chrysostomum, hom LVI, in *Gen.* et *De virginit.*, c. XLIV; Innocentium III. c. *Gaudemus*, De divort. Vide sis Dell'Aquila, *Dizionario biblico*, v. Lamech.

(4) Vide S. Thomam, *Supplem.* l. c. In lege Moysi duas uxores habenti quaedam servanda praecipiuntur, nulla tamen ei idcirco fit obiurgatio (*Deuteron.* XXI, 15).

(5) Vide S. Thomam et Benedictum XIV ll. cc.; Natalem Alexandrum, *De matrimonio*, c. I, a. VI, prop. II et Billuart, *De matrim.* diss. V, a. I, § 2, et Dell'Aquila, *Dizionario biblico*, v. Poligamia.

(6) De hac ante Christi adventum humana infirmitate ad plura naturalis legis iussa servanda videndus S. Ioan. Chrysostomus, lib. *De virginit*, c. XLIV.

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO THEOL.

perfectum adduxit lex (1). Christus autem, postquam declaraverat se ad legem perficiendam in hunc mundum venisse, *Non veni legem solvere sed adimplere*, plura servare iussit, quae quamvis ad naturalem legem pertineant, tamen ante eius adventum ob humanae naturae infirmitatem licita censebantur (2). Per Christum namque divinum promissum per Ezechielem factum impletum est: *Spiritum novum tribuam in visceribus eorum; auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum* (3). Quibus animadversis, de polygamia hoc dicendum putamus, ideo patriarchas et hebraicum populum eam sectantes sine noxa fuisse, quia ob humanam infirmitatem naturalis praecepti vis non satis percipiebatur, seu (quod idem est) quia lex non suo sed hominum vitio omnem obligandi vim exerere non valebat (4). Hac ratione posita, nedum hebraicus sed et ceteri veteres populi a culpa eximuntur, quippe qui in eadem conditione versabantur (5). Ast hodie, instaurata per Christum monogamiae lege, nusquam gentium fas erit polygamiam sectari.

63. — Connubia fratrum cum sororibus iure naturae vetita censentur sub hac tacita clausula: *Nisi ad humanum genus conservandum necessaria forent.* Re enim vera horum connubiorum turpitudo tanta non est ut nullo unquam nomine honestari valeant: quandoquidem non idcirco lege naturae improbantur quia supremis matrimonii finibus repugnant, idest procreandae proli atque instituendae, sed tantum quatenus plenae coniugum coniunctioni prolisque vigori quidquam detrahunt, aliaque gignunt incommoda in humanae naturae damnum et dedecus vergentia. Quum autem in mundi exordio coniugia haec ad genus humanum servandum necessaria omnino fuerint, iam iniri poterant quia in humanae naturae damnum vel dedecus non redundabant, (6).

(1) *Hebr.* VII, 19.

(2) Matth, V, 17.

(3) Ezech, XI, 19.

(4) Rosmini, *Diritto*, vol. 1; *Introduzione*, V, et vol. II, nn. 1292 et seq. et 1336, praesertim in adnotatione. Si verba S. Thomae sedulo perpendas, eius sententiam a nostra non multum distare perspicies: ipse enim docet, secundaria legis naturae praecepta pro diversis rerum adiunctis quamdoque efficacia destitui; quod ubi contingat, *licite ea praetermitti possunt* (*Supplem.* III^{ae} p. q. LXV, a. II). Quamobrem divina dispensatio, quam deinceps requirit, accipienda videtur pro authentica declaratione deficientis efficaciae praecepti.

(5) Ethnicos quoque a polygamiae culpa plerique theologi immunes faciunt (vide Carrière, *De matrim.*, 198 et Lehmkuhl, l. c.): et iure prorsus, quia SS. Literae quae huius moris mentionem faciunt, nunquam illum notant (cf. *Gen.*, XII, 10 et seq.; XX, XXVI, 34; XXVIII, 9; *Esther*, II). Hoc autem explicatu difficile est, nisi ratio quam exhibuimus rata habeatur: divina enim dispensatio per interiorem inspirationem ethniciis patefacta gratis asseritur et inepte.

(6) Rosmini, *Diritto*, vol. II, 1132-1145.

64. — II°. Quae ex SS. Literis Petronius congerit, ut efficiat Deum per dispensationem nonnunquam legis naturalis praecepta relaxasse, optime explicari possunt quin ad legis naturalis dispensationem confugiamus. Sane Deus, qui est supremus omnium Dominus, *absoluto* in res ac personas omnes dominio pollet; hominum vero dominium in res ac personas suas *relativum* est, divino obnoxium, quasi dicam precarium (1). Quapropter, si Deus rerum personarumque dominium ex altero homine in alterum transferat, mutato iurium subiecto, iam desinit iniustum esse quod antea erat: paucis, subducitur praecepto materia, firmo manente praecepto. Quibus positis, neque filii nex a Deo Abrahae praecepta, neque Aegyptiorum spoliatio, neque foeneratio alienis facta iniustae fuere, quippe quae absoluto ac supremo Domino consentiente peractae sunt (2). Eadem fere ratione Oseae factum interpretatur Angelicus Doctor: *Osea accedens ad uxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non est moechatus nec fornicatus, quia accessit ad eam quae sua erat secundum mandatum Dei qui est auctor institutionis matrimonii* (3). Alii tamen cum S. Augustino putant id unum Prophetae a Deo praeceptum fuisse, ut mulierem meretricio addictam legitimo sibi coniugio copularet: *Quid enim inimicum fidei christianae, si meretrix, relicta fornicatione, in castum coniugium commutetur?* (4). Demum difficultati ex repudio uxoris petitae eadem ratione satisfacere possumus qua usi sumus de polygamia loquentes. *Ob cordis duritiam,* Christo ipso docente, permisit Moyses Hebraeis uxores dimittere (5), scilicet ob morbidam humanae naturae conditionem, ob quam homines quibusdam naturalis legis praeceptis percipiendis atque servandis impares erant, antequam per Christi gratiam naturae vires instaurarentur (6).

65. — III°. Iuramenta et vota Deo nuncupata omnino esse servanda lex naturae clamat. Obligatio autem huius praecepti in iure nititur, quod vi promissionis sibi factae Deus habet, quodque lex naturae sartum tectum custodire nos iubet, At si Deus, sive per se sive per alium, de iure suo concedat, promissionis vinculum relaxatur et praecepti obligatio solvitur. Iamvero R. Pontifex Dei nomine, hoc est potestate a Deo accepta, voti ac iuramenti dispensationem tribuit (sive

(1) Rosmini, *Diritto*, vol. II, 536 et seq., 1750 et seq.

(2) S. Ambrosius illud *Deuteronomii: Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam sed alieno*, sic explicat, ut alienorum nomine hostes hebraici populi intelligantur. *Quis erat tunc alieni*gena *nisi Amalech, nisi Amorrhaeus, nisi hostes? cui iure inferuntur arma, huic legitime indicantur usurae* (lib. *De Tobia*, c. XV).

(3) I^{a} II^{ae}, q. C. a. VIII, ad 3^{um}.

(4) *Contra Faustum*, l. XXII, c. LXXX.

(5) Matth, XIX, 8.

(6) Rosmini, *Diritto*, vol. II, 1291 et seq.

potestas haec vere ac proprie *dispensatoria* dicatur, ut placet pluribus, sive *declaratoria* tantum vinculi a Deo soluti, ut placet aliis): dispensatione autem facta, desinit esse debitum quod antea vi promissionis debitum erat, ideoque legis naturalis praeceptum, quasi subducta materia, ex se ruit (1).

66. — IV°. Lex positiva, seu divina seu humana, ea est quae libera Dei vel hominis voluntate fertur: porro eam mutari immo et abrogari posse eadem voluntate qua constituta fuit, nemo non videt, namque adagium est: *Per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur*. In lege veteri tria praeceptorum genera continebantur: *caeremonialia*, quae ad exteriorem Dei cultum; *iudicialia*, quae ad iudicia potissimum definienda; *moralia*, quae ad mores pertinebant. Illa et ista per novam legem abrogata fuere, quippe quae temporaria erant et caduca, *infirma et egena elementa*, ut ea Paulus appellat (2); haec abrogari non poterant, quippe quae in lege naturali continebantur, quapropter Christus ea confirmavit dicens: *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas, non veni solvere sed adimplere* (3). An praecepta moralia, quatenus per Moysen *positiva lege* promulgata, desiierint, disceptatum fuit (4): at quorsum disceptatio haec, si Christus ea firmavit ac rata habuit?

67. — V°. Leges humanas mutari posse, immo quandoque debere, omnibus exploratum est. Mutari *possunt* hae leges, quia libera hominis voluntate sunt constitutae; quandoque etiam *debent*, quia, personarum rerum temporumque adiunctis mutatis, contingere potest ut ad bonum commune non amplius conducant. Quod si nonnunquam humana lege quaedam permittuntur legi naturali adversantia, id vel ex legumlatorum vitio evenire dicendum est (quippe homines sunt), vel ex eo quod omnia mala leges humanae removere non valent, vel quod praestat interdum minora mala permittere ut maiora praecaveantur (5). Hac posteriori de causa usurae et meretricia humanis legibus saepe non coercentur. Quod autem attinet ad dominiorum translationes legitimae praescriptionis vi peractas, dicimus eas iuri naturali non repugnare; quae est, ut alias innuimus (n. 35), communis doctorum sententia, quam demonstrare ad institutum nostrum in praesenti non pertinet.

Hisce disiectis quae a Petronio contra legis aeternae immutabilitatem obiiciebantur, manet quod ab initio constituimus, leges omnes ab aeterna tanquam a fonte profluere.

(1) Videsis Suarez, *De legibus*, l. II, c. XIV.

(2) *Galat.* IV, 9.

(3) Matth. V, 17. Vide sis Gatti, *Cristologia*, Conf. LXXXI, *Cristo restauratore e legislatore.*

(4) Vide Suarez, *De legibus*, l. IX, c. XI, nn. 7 et seq.

(5) Vide S. Thomam, I^{a} II^{ae}, q. XCIII, a. III, ad 3^{um}.

XXI.

Iis quae modo de morali lege universim ac de naturali speciatim locuti sumus contradicit Petronius, contendens supremam morum regulam nulla obligandi vi pollere, nisi divina voluntas illi consocietur. « Mentis notio seu idea, qualiscumque ea sit (ita ipse ratiocinatur), est inane quiddam et vacuum, nullam iubentis seu vetantis personam referens (italice *impersonale*), propterea auctoritate imperandi et obligandi carens. Mentis notio ad summum quae sunt agenda indicabit, moralem tamen agendi necessitatem seu obligationem non inducet: quibus enim quisque superior non est, quidquam tamquam subditis praecipere nequaquam potest. Igitur (concludit Petronius) legi naturali divini mandati formam tribuamus oportet, nisi omnem obligandi vim ei adimere velimus ».

Quaeritur I°. An lex naturalis sit indicativa tantum vel etiam praeceptiva?

Q. II°. An divinum praeceptum includat?

Q. III°. An quum primum homini manifestatur expressam divini mandati formam exhibeat?

Quaestionum solutio.

68. — Resp. ad I Q. Naturalem legem nedum indicativam boni sed et praeceptivam esse affirmamus. Etenim entis idea, quatenus tamquam iudiciorum moralium regula spectatur, non aliud est quam τὸ esse obiectivum boni moralis essentiam exhibens; propterea non nudam agendi regulam nobis suppeditat, sed entis ordinem eiusque exigentiam adeo profert, ut moralem et indeclinabilem necessitatem inducat illum ordinem servandi (1). Perperam Petronius asserit, entis ideam superiorem homini non esse: idcirco omni obligandi auctoritate destitutam. Pinguis error hic est illorum qui ideam entis, quae est rationis lumen, ab ipsa ratione removentes, rationem excaecant; vel obiectivum lumen cum subiectiva hominis facultate permiscentes, omnem ei auctoritatem adimunt. Quem errorem iamdiu confixerat Angelicus Doctor his verbis: *Ratio humana* **secundum se** *non est regula rerum, sed* **principia ei naturaliter indita** *sunt regulae quaedam generales et mensurae eorum quae sunt per hominem agenda* (2). Nimirum entis idea aliud non est nisi rationis lumen; hoc autem *participatio est divini luminis, quaedam impressio veritatis primae, irradiatio et*

(1) Videndus tractatus *De legibus* eximii Suarezii, l. II, c. VI, ubi plura eaque acute de hac quaestione dicuntur.

(2) I^{a} II^{ae}, q. XCIII, a. III, ad 2^{um}.

participatio legis aeternae (1); quapropter iisdem fulget characteribus quibus lex aeterna. Hinc S. Thomas illud explicans Psalmi: *Signatum est* **super nos** *lumen vultus tui,* ait: *Quia* **est superior** *in nobis* (2).

69. — Resp. ad II Q. Utique divinum praeceptum in naturali lege continetur, sed implicite tantum. Sane, quum ratio et voluntas in Deo unum sint, quidquid divinae sapientiae ratio dictat esse servandum, illud et voluntas servari iubet; quapropter merito lex naturalis divinum praeceptum includere dici potest, Quum autem ad notitiam Dei. entis nempe sanctissimi, quis pervenerit, illico agnoscet divina etiam voluntate illud praecipi quod naturali lege praeceptum est. Haec cum ita sint, iam fit perspicuum, in divinum praeceptum, seu implicitum seu explicitum, illum semper offendere qui naturae legem violaverit.

70. — Resp. ad III Q. Quum quaeritur an prima naturalis legis manifestatio formam divini mandati prae se ferat, de ordine cognitionis nostrae loquimur, seu de ordine quo lex primo nobis innotescit: quod monuisse operae pretium est ad ambiguitates praecavendas. Hoc praefati, negamus naturalem legem manifestari in forma expressa divini mandati: idque non uno conficimus argumento. Et 1° si lex naturalis deberet ab initio divinum prae se ferre mandatum, nemo ea lege teneretur quoad Deum ignoraret; propterea Deum ignoranti mentiri, furari, fraudes moliri, aliaque id genus scelestissima licerent, quippe exlex esset nulloque obstrictus officio: quis autem sanus haec dixerit? 2° Nemo potest divini mandati vim percipere, hoc est cognoscere Deo obtemperandum esse, nisi aliqua lex praeeat qua iubeatur omni enti pro sua dignitate obsequium tribuere, propterea Deo eiusque mandatis obedire. Nequit ergo naturalis lex vix nobis nota expressam divini mandati formam exhibere, sed tanquam entium exigentia primitus innotescere dicenda est. Ad eum fere modum quo docentis auctoritas non est supremum veritatis criterium, quia ut docenti fidem adhibeamus ratio praeeat oportet quae huiusmodi auctoritatem commendet; ita praecipientis auctoritas in ordine cognitionis nostrae nequit prima lex esse, quia alia lex praeeat necesse est qua iubeamur praecipientis auctoritati obsequium praebere, 3°. Ad extremum, si lex naturalis expressam divini mandati formam ab initio prae se ferret, positivae legis divinae formam indueret, iamque nulla lex pure naturalis existeret (3). Itaque, ut rem omnem paucis concludamus, quum primo mentibus nostris lex naturalis inscribitur, entium ordinem eo-

(1) S. Thomas, I^{a}, q. XII, a. XI, ad 3^{um}; I^{a}, q. LXXXVIII, a. III, ad 1^{um}; I^{a} II^{ae}, q. XCIII, a. II.

(2) In *Psalm.* IV.

(3) Rosmini, *Storia comparativa dei sistemi morali*, c. III e VI; *Diritto. Sistema morale,* sez. II, XIV, sez. III, I; *Dialettica,* c. XXVII; *Compendio di Etica,* n. 292; *Coscienza,* 545-556; Fasolis, *Etica,* nn. 48-54.

rumque exigentiam nobis manifestat, legislatoris personam interim celans; subinde, Dei existentia cognita atque perspecta, facili gradu mens nostra per *reflexionem deontologicam*, quam vocant, ad ipsum Esse subsistens, quod sanctissimum est et undequaque perfectum ascendens, cognoscit hanc esse eius voluntatem, ut naturalis ordo integer servetur (1).

XXII.

Ambrosius, electus et renunciatus Episcopus, etsi nondum sacerdotio maiore auctus, in clericorum suorum mores emendandos sibi toto pectore incumbendum duxit: eapropter legem tulit qua clerus ab ingressu in popinas, nisi itineris causa, atque a taxillorum lusu interdiceretur; qui vero secus fecerit, decem multaretur argenteis. Cyrillus vetus sacerdos mussitat, potestatis suae fines Ambrosium transilisse. « Lex enim », ita ipse, « cum sit ordinatio rationis, versari in honestis debet, subditorum viribus accommodari, in commune bonum constitui, ac demum ab eo ferri qui regimen communitatis tenet: quae omnia ab Ambrosii iussis exulant prorsus. Sane quomodo ordinatio rationis ea potest vocari, qua honestae animi relaxationes vetantur? quomodo subditorum viribus accomodata quae arduum, quiddam et heroicum iubet, cuiusmodi est homini defatigato sitique vexato ab honesto lusu ac modico potu abstinere? quomodo in commune bonum constitutum illud dicendum, quo clerus dumtaxat oneratur? Ad haec, cum potestas Ecclesiae praesulibus a Christo collata spiritualis sit, ad pecuniarias poenas irrogandas perperam trahitur. Ad extremum, cum Ambrosius suprema pontificia dignitate nondum sit auctus, propterea legiferam potestatem necdum sit consecutus, eius iussa omni robore carent ». Haec cum rescisset Ambrosius, Cyrillum in monasterium recludi iubet, ut ibi per octiduum sacris commentationibus exercitatus ad saniora se recipiat consilia. Verum Cyrillus magis magisque mussitat, quia pro uno homine lex fieri nequit; renuit insuper piis commentationibus vacare, quia interiores actus nulla humana potestate imperari queunt.

Quaeritur I°. Quaenam sint humanae legis conditiones ut ea firma consistat?

Q. II°. Quaenam sit eius materia?

Q. III°. An interiores actus et heroici humana lege praecipi possint?

Q. IV°. An pecuniarias poenas et corporeas Ecclesia statuere valeat?

Q. V°. An legifera potestas Episcopo nondum consecrato competat?

Q. VI°. Quid de Cyrillo eiusque sentiendi et agendi ratione dicendum?

Quaestionum solutio.

71. — Resp. ad I Q. S. Thomas hanc profert legis definitionem, quae apprime humanis legibus aptatur: *Lex est quaedam rationis ordinatio ad bonum commune et ab eo qui curam communitatis habet,*

(1) Rosmini, *Teosofia*, 1055-1056.

promulgata (1). Ex qua definitione facillime conditiones eruuntur quae sunt necessariae ut humana lex constet.

Et I° quidem *iusta* sit oportet, secus a rationis ordine recederet atque a lege aeterna, quae est *lex princeps* (ut eam Tullius appellat) (2), et a qua leges omnes derivantur. *Lex humana*, ita Doctor Angelicus, *in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam, et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis sed violentiae cuiusdam* (3).

II°. Sit *possibilis*, hoc est subditorum viribus accommodata: quippe ea iubere quae perfici nequeunt, nedum foret ineptum, sed a recta ratione abhorrens. Legislatoris itaque est subditorum vires perpendere et explorare quid illorum humeri valeant, quid ferre recusent: vires, inquam, nedum *physicas* seu corporis, sed et *morales* seu animi, lex enim cui servandae subditorum vires impares sunt, contemnitur et in eorum perniciem vertitur. Huc facit illud Christi: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres et vinum effunditur* (4).

III°. Sit *ad commune bonum*: nam legis humanae finis est totius communitatis bono prospicere (in quo discriminatur lex a *praecepto* stricte sumpto, quo prospicitur singulorum bono); propterea lex quae ad commune bonum non confert, a ratione deficit, quippe quae nec iusta est nec aequa, et iubentis potestatem excedit (5). Ceterum, si dubites de legis iustitia et honestate, vel an legislator suae potestatis fines excesserit, pro lege respondendum, quia iudicium de his ad legislatorem spectat, qui recte egisse praesumendus est; secus apage leges (6).

IV°. *A legitimo principe feratur*: principis autem nomine eum intelligimus qui perfectae communitati praeest, Ecclesiae nempe vel civitati, quae politici regiminis sunt capaces. Quum leges condere sit iurisdictionis actus, nisi ab eo exerceri non potest qui in subditos iurisdictionem habet (7).

V°. Ad extremum sit *promulgata*. Quomodo enim lex servari potest, quoad subditos latet? Nec sufficit ut legislatoris mens utcumque innotescat, sed congruis certisque signis per legislatorem intimetur necesse est, adeo ut ad communitatis notitiam, pro qua fertur, pervenire

(1) I^{a} II^{ae}, q. XC, a. IV.
(2) *De legibus*, II, IV.
(3) I^{a} II^{ae}, q. XCIII, a. III, ad 2^{um}.
(4) Matth., IX, 17.
(5) I^{a} II^{ae}, q. XC, a. II.
(6) S. Alphonsus, I, 63; D'Annibale, I, 161; Rosmini, *Diritto*, vol. I, 2430 *Coscienza*, 626-680.
(7) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. XC, a. III, D'Annibale, l. c.

valeat (1). Hinc axiomatis instar illud receptum est: *Leges instituuntur, cum promulgantur.*

72. — Resp. ad II Q. Lex humana alia *canonica* dicitur, quae ab Ecclesia: alia *civilis,* quae a civitate prodit. Quapropter tum Ecclesiae cum civitatis finis proximus est inspiciendus, ut callere valeamus quorsum utriusque societatis legifera potestas pertineat. Iamvero finis Ecclesiae proximus est Christi fideles ad sanctitatem provehere; civitatis vero, iura civium moderari ac tueri eorumque quietum convictum curare; nempe illius est in aeterna, huius in temporalia subditorum negotia incumbere. Cum autem utraque societas a Deo potestatem recipiat, idonea istrumenta (quae *media* vocant) ad finem suum adhibeat oportet (2). Hinc utrique fas est exteriores actus bonos praecipere et malos prohibere, immo et indifferentes; non omnes tamen et pro libito, sed quatenus ad finem suum obtinendum legislator necessarios existimaverit (3). *Exteriores*, inquimus, nam de interioribus mox dicemus. Nec quidquam refert si forte exterior actus sit occultus: hoc enim per accidens fit neque eius naturam mutat. Hinc Ecclesia in blasphemos, haereticos, simoniacos animadvertit, quamvis eorum crimina occulta maneant (4).

73. — Resp. ad III Q. Iº. Interiores actus humana lege *indirecte* praecipi posse convenit inter omnes. Nempe si interior actus tam necessario nexu interiori cohaereat, ut, illo deficiente, iste perperam praeciperetur, debet omnino praecipi posse; secus ipse actus exterior legi humanae subduceretur et communi bono iam consultum non esset. Hinc Ecclesia clericis suis divini Officii pensum, Christicolis auditionem Sacri et annuam Eucharistiae sumptionem praecipiens, indirecte praecepit ut haec omnia attente ac devote perficiantur; item princeps iubens milites excubias agere, vel subditos contractum inire, indirecte iubet tum illos vigilare animo, tum hos consensum praestare (5).

Utrum vero humana lex *directe* interiores actus praecipere valeat necne, distinguendum inter legem canonicam et civilem. De civili apud omnes receptum est non valere: quippe proximus civitatis finis satis obtinetur si exteriores actus ad legis normam componantur. *Legis humanae finis est temporalis tranquillitas civitatis*, ait S. Thomas, *ad quem finem pervenit lex cohibendo exteriores actus* (6). De lege

(1) S. Thomas, Iª IIªᵉ, q. XC, a. IV; Rosmini, *Coscienza,* 671-677.

(2) De natura et fine utriusque societatis vide quae paucis disserit Rosmini, *Compendio di Etica*, 467-469, 489-502, et fusius in opere *Filosofia del Diritto*, vol. II. Vide et Aichner, *Compendium iuris eccles.* § 30.

(3) S. Thomas, Iª IIªᵉ, q. XCVI, a. II et III.

(4) S. Alphonsus, I, 64; Suarez, *De legibus,* l. III, c. XII.

(5) S. Alphonsus, I, 64; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XIV Alexandri VII, n. V; Bonacina, *De legibus*, disp. I, q. I, p. V, n. 7.

(6) Iª IIªᵉ, q. XCVIII, a. I.

autem canonica disceptatur. Probabilis quidem neque paucorum sententia est, posse Ecclesiam huiusmodi actus lege *directiva*, ut aiunt, sin minus *coactiva* praecipere, quum ad finem suum id maxime conferat (1). Probabilior tamen nobis videtur sententia contraria, quam et communiorem putamus. Potissima ratio haec est, quia interiores actus hominem latent, unus enim *Deus scrutatur renes et corda* (2); propterea Ecclesia neque de iis iudicium ferre, neque eos congruis poenis afficere valet. *De his potest homo legem facere, de quibus potest iudicare*, ita S. Thomas, *iudicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus qui latent, sed solum de exterioribus actibus qui apparent: et tamen ad perfectionem virtutis requiritur quod in utrisque actibus homo rectus existat: et ideo lex humana non potuit cohibere et ordinare sufficienter actus interiores, sed necessarium fuit quod ad hoc superveniret lex divina* (3). Esto legiferam potestatem, si absolute loquamur, sine iudiciaria et coactiva posse consistere: at quum ad commune regimen, non ad privatum singulorum bonum ea maxime spectet, rei naturae atque Ecclesiae institutioni magis consentaneum videtur ut ad ea tantum se porrigat quae cognoscere ac cohibere valet. Neque inficiabimur potuisse Deum Ecclesiae suae hanc potestatem conferre; attamen neque ex sacris Literis, neque ex traditione, neque ex Ecclesiae usu reipsa contulisse constat (4).

74. — II°. Actus heroici nequeunt generatim atque indiscriminatim lege humana imperari, quippe qui nimis ardui sunt et communes subditorum vires excedunt: lex autem quae subditorum viribus non accommodatur, aliena est a recta ratione, immo nec possibilis est. *Generatim* diximus et *indiscriminatim*, quia legislatori fas est interdum arduum aliquod praecipere sive ne grave respublica detrimentum capiat, sive ut magnum aliquod bonum consequatur, privatis enim commodis potiores habendae sunt reipublicae necessitates. Hinc, si princeps iubeat milites belli tempore in statione consistere, aut Episcopus sacerdotes suos pestilentiae laborantibus Sacramenta ministrare, haec iussa etiam cum vitae discrimine servanda sunt. Item si quis libera voluntate eiusmodi vitae genus amplexus est cui obligatio nectitur tales actus

(1) Ita sentiunt cum Concina et Sylvio Viva (l. c., n. VI): La Croix, *De legibus*, 652; Collet, c. IV, a. I, sect. II; Alasia, diss. IV, c. III, a. IV, 10, et ex recentioribus Ballerini ad Gury, II, 89 et *Op. theol. mor.*, tr. *De legibus*, 125-129; Lehmkuhl, I, 221; Sebastiani, *Summarium*, 46.

(2) *Apoc.* II, 23.

(3) I^{a} II^{ae}, q. XCI, a. IV. Vide et q. C, a. IX.

(4) Ita sentiunt cum S. Thoma, Suarez, *De legibus*, l. IV, c. XIII; Bonacina, l. c., n. 8; Reiffenstuel, *De legibus*, dist. I, 46, 50; Sporer, tract. I, c. III, sect. VI, n. 44; Illsung, tr. l, disp. II, a. II; *Compendium Salmant., De legibus*, 212-220; Voit, I, 146, 147; S. Alphonsus, I, 64; D'Annibale, I, 200; Tanquerey, *De legibus*, n. 264; Costantini, 127.

praestandi, v. gr. ad exteras regiones proficiscendi, Romano iubente Pontifice ad Evangelium infidelibus annunciandum (1).

75. — Resp. ad IV Q. Legifera potestas iudiciariam et coercitivam secum trahit; perperam enim conderentur leges nisi earum violatores congruis poenis plecti possent. Quumque homo non spiritu tantum sed et carne ossibusque constet, perque corporis afflictationem peccandi libido compescatur, etiam pecuniariis ac corporeis poenis licebit Ecclesiae obtrectantes suis legibus punire (2). Hac potestate vel ab aevo apostolico Ecclesia perpetuo usa est (3). Contrariam Synodi Pistoriensis doctrinam damnavit Pius VI (4).

76. — Resp. ad V Q. Legifera potestas, quum iurisdictionis non ordinis sit, Episcopo convenit etiam non consecrato, modo electus et confirmatus fuerit, exhibitisque apostolicis Literis, suae sedis seu dioceseos rite possessionem ceperit (5).

77. — Resp. ad VI Q. Ex dictis perspicies quam male senserit atque se gesserit Cyrillus. Poterat enim Ambrosius, etsi nondum consecratus, leges ferre, quippe qui iurisdictionem iam rite fuerat adeptus. In iis autem quae ab eo statuta sunt nulla desideratur conditio necessaria ut lex constet. Neque illud officit, quod Ambrosii iussa unum clerum respiciant, nam commune bonum postulat ut quidam personarum ordines suis legibus regantur ; clericos autem bonis moribus esse instructos universae christianae reipublicae interest. Postremo, quod mussitantem sacerdotem ac suis legibus obtrectantem Ambrosius in monasterium recludi iusserit, hoc poenae magis quam legis rationem habet. Iure autem et consulto Ambrosius hac poena Cyrillum multavit, ut salutari castigatione emendatus ad saniora consilia ac meliorem frugem se reciperet.

XXIII.

Sergius, etsi nondum septennis, expedito pollet suae rationis usu; minime vero Publius, quamvis decem annos natus. Achilles, iamdudum pueritia egressus experrectoque ingenio praeditus, identidem furit insania. His Arnobius pater vetitas ab Ecclesia dapes ponit, temploque interdicit quum die festo sacra mysteria celebrantur: ad haec,

(1) Benedictus XIV, *De Syn. dioec.* l. XIII, c. XIX; S. Alphonsus, I, 114; III, 472; Tanquerey, 263; Génicot, I, 90.

(2) Vide *Codicem iuris canonici*, canone 2214, § 1.

(3) I *Tim.* V, 19; I *Cor.* IV, 21; V, 3. Videsis Gousset, *Esposition des principes du Droit canonique*, ch. IV, q. II; Rosmini, *Diritto*, vol. II, 807 et seq.; Aichner, § 216.

(4) Const. *Auctorem fidei*, prop. IV et V.

(5) Ferraris, *Bibliotheca canonica*, v. *Episcopus*, a. II, 36 et *Vicarius capit.* a. I, 56; Bouvier, *De legibus*, p. II, c. I, prop. I; Aichner § 83.

interdum animi causa in sacrarum virginum septa illos immittit, ratus Ecclesiae praeceptis eos non obstringi. Quinimmo Publium et Achillem (quo tempore hic insania corripitur) ad iram, ad verba blasphema, ad turpes actus excitat, quia neque naturalis legis vinculo eos ligatos existimat.

Quaeritur I°. An qui impeditum habent suae rationis usum legi naturae sint obnoxii?

Q. II°. An Ecclesiae legibus pueri nondum septennes quandoque, septennes vero et amentes semper devinciantur?

Q. III°. Peccetne Arnobius filios suos ad actus seu iure naturae seu Ecclesiae legibus vetitos inducens?

Quaestionum solutio.

78. — Resp. ad I Q. Perspicuitatis ergo duplex legis naturalis promulgatio distinguenda est; alia imperfecta, quae *radicalis, implicita, potentialis* vocari posset; alia perfecta, quam *explicitam* vel *actualem* appellabimus. Illa tunc fit quum primum lex homini innotescit; haec quum eius vis et obligatio percipitur, Promulgatio imperfecta homini coaeva est: quippe, quum lex naturalis non aliud sit quam rationis lumen, seu entis idea qua homo fit intelligens, congenita nobis est, *non scribitur sed innascitur,* ut verbis S. Ambrosii utamur (1). Hinc S. Thomas: *Promulgatio legis naturae est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam* (2). Promulgatio perfecta serius accidit, quum nempe legis notio tanquam regula iudiciorum moralium percipitur, ad quam actiones nostrae sunt exigendae: haec promulgatio tunc fit cum quisque suorum actuum dominium per libertatem adipiscitur, seu (ut vulgo aiunt) cum ad annos discretionis pervenerit. Hinc rursus Doctor Aquinas: *Puer non potest uti lege naturali quae ei habitualiter inest, propter defectum aetatis* (3). Haec cum ita sint, vixdum quispiam, etsi nondum septennis, expeditum rationis usum consequitur, naturali legi obnoxius dicendus est, quippe qui suorum actuum dominium habet; propterea legem violando culpabiliter peccat. Qui vero nondum liberi rationis usus, ideoque neque dominii suorum actuum est potitus, quadantenus legi naturali dici potest obnoxius, quatenus et ipse voluntate sua bonos vel malos actus exerere valet; proinde etiam peccare, quamvis non libere nec culpabiliter hoc faciat. Nemo enim inficiaverit, et in puerulis rationem et voluntatem inesse, qua tum actus bonos eliciunt, cuiusmodi sunt parentibus obsequium exhibere, bene ceteris velle, iniurias facile obli-

(1) Epist. *ad Irenaeum,* LXXIII (al. XLI).
(2) I^{a} II^{ae}, q. XC, a. IV, ad 1^{um}.
(3) I^{a} II^{ae}, q. XCIV, a. I, ad 3^{um}.

visci: tum malos, veluti mentiri, irasci, furari (1): hi autem actus tam merito quam culpa vacant, quippe qui instinctu seu necessitate fiunt, ideoque agenti imputari nequeunt (2). Hinc iam licet inferre, valde eos delinquere qui ad actus intrinsece malos, seu lege naturali prohibitos, infantes vel perpetuo amentes excitant, nam aliquid inordinatum in eorum animos inducunt voluntatemque depravant, quod oppido malum est. Quamvis enim perpetuo amentes liberum suae rationis ac voluntatis usum nunquam fortasse sint adepturi, homines tamen sunt, super quos divini vultus lumen signatum est, propterea iis quoque maxima debetur reverentia (3).

79. — Resp. ad II Q. Generatim dicendum, Ecclesiae legibus neminem teneri qui suae mentis ac libertatis compos non est: iniquum enim foret legibus ac poenis illum obnoxium facere qui suorum actuum dominium nondum obtinuit. Quo posito, de pueris primo, tum de amentibus dicamus.

80. — I°. Expeditum rationis usum pueri circa septennium ut plurimum adipiscuntur: *ut plurimum*, quia in frigidioribus regionibus serius id evenire solet. Verum non ex diversa coeli plaga tantum aestimanda res est, sed ex cuiusque ingenii alacritate, et institutione, et ceteris adiunctis; non enim eodem temporis spatio singula adolescunt ingenia, de quibus idem fere ac de fructibus dici potest, qui pro diversa arborum natura et aëris temperie et soli feracitate modo citius modo tardius maturescunt (4). Hoc maneat ergo, pueros adhuc doli nescios Ecclesiae legibus generatim non teneri etsi septennes; septennes vero expeditum rationis usum habentes teneri, dumne res praecepta provectiorem postulet aetatem, quemadmodum in praecepto

(1) Legenda quae de peccatis infantiae diserte Augustinus scribit *Confessionum*, l. I, c. VII et IX cui titulus: *Infantiam quoque peccatis esse obnoxiam.* Hipponensi Doctori concinit Aquinas illum Psalmi L versiculum explanans: *In peccatis concepit me mater mea.* Scribit enim: *Alia litera habet:* Alit me mater mea. *Et hoc ad* **peccata actualia** *refertur, quia* **etiam in pueris** *inordinati motus inveniuntur, ut Augustinus in I Confess. dicit* (*Expositio in Psalm.* L, 3). Plura videsis in opusculis quae evulgavit Filalete hisce titulis inscriptis: *Il. P. Pagani e la* **Civiltà Cattolica**; *Replica di Filalete; Risposta ultima di Filalete,* Firenze, tip. arcivescovile, 1917.

(2) Videsis Rosmini, *Antropologia*, nn. 574-578; *Metodica*, 134, 135, 391-398; *Il razionalismo*, 96, 207; *Coscienza*, 100-103 et recole dicta de voluntario simplici, n. 1.

(3) S. Alphonsus, I, 118; La Croix, l. V, 48; Reuter, *Neo-confessarius*, p. II, c. II, q. I, n. 87 (in notula a Lehmkuhl apposita); *Compendium Salmanticense; De legibus.* 187; Illsung, tr. I, disp. II, a. II, § III; D'Annibale, I, 173; Gousset, I, 161; Génicot, I, 93; Lehmkuhl, I, 226; Costantini, 122.

(4) Affirmat Gobat, expeditum rationis usum in Germania puellas plerumque post octavum aetatis annum, pueros post nonum cum dimidio adipisci: Lehmkuhl tamen in septennibus hodie illum inveniri plerumque contendit. Vide Reuter, *Neo-Confessarius*, l. c., n. 100.

ieiunii contingit (1). *Generatim*, inquimus, nam quod attinet ad praecepta semel in anno accedendi ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta, Lateranense Concilium (cui Tridentinum et *Codex pontificii iuris* canone 859 plane concinunt) non septennium sed *discretionis aetatem* requirit: quapropter, si certo constet puerum aetatem illam attigisse, omnino certum erit utroque praecepto teneri. Quaenam vero sit discretionis aetas, authentico decreto S. Congregatio de Sacramentorum disciplina die 8 augusti anni 1910 hisce verbis edisseruit: *Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad S. Communionem ea est in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra.... Cognitio religionis quae in puero requiritur ut ipse ad primam Communionem reverenter se praeparet, ea est qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione quam ipsius fert aetas ad SS. Eucharistiam accedat* (2). Indicium de puelli idoneitate esto confessario et parentibus, iisque qui loco parentum sunt; parochi autem est vigilare ut haec rite serventur, nempe ut inepti a sacra mensa arceantur, apti vero accedant, quin singulos debeat praevio experimento probare (3).

Quid de pueris qui nondum expleto septennio sunt doli capaces? Affirmabant plures, quorum sententia S. Alphonso probabilior visa est, eos teneri: legis enim est, quotquot idoneos invenerit ligare, eiusmodi autem sunt pueri ante septennium suae rationis compotes (4). Alii tamen non pauci, quorum sententiam *merito probabilem* S. Alphonsus appellat (5), eos a legis vinculo solutos existimabant. Profecto *legislator*, ait Doctor Angelicus, *attendit id quod communiter habetur et in pluribus accidit* (6); at perfectus rationis usus septennium antevenire non solet. Addebant, consuetudinem (quae optima legum interpres existit) ita rem interpretari. Ad haec, temporis punctum definire quo quis sui compos esse incipit, difficile negotium est et anxietatibus plenum. Postremo (palmare argumentum), quum de legislatoris mente non constet, incerta lex est; propterea eius obligatio urgeri nequit (7).

(1) S. Alphonsus, I, 120; Sanchez, *Opus morale*, l. I, c. XII, 2; Laymann, l. I, tr. IV, c. X, c. V et ceteri communiter.

(2) *Acta Apostolicae Sedis*, an. II, vol. II, pag. 577-583. Huic Decreto concina sunt quae in *Codice pontificii iuris* canone 854 statuuntur, et authentica declaratione firmantur, quam videre est in *Monitore ecclesiastico*, aprile 1918.

(3) *Codex iuris canonici*, canone citato et Vermeersch, *Summa*, 332.

(4) S. Alphonsus, l. c. Sanchez, l. c., n. 6; Suarez, p. III, disp. LXXXII, sect. IV; Laymann, l. c.; Gastaldi, I, pag. 382.

(5) S. Alphonsus, III, 270.

(6) II^{a} II^{ae}, q. CXVII, a. IV.

(7) Ita sentiunt Diana, Ioan, Sanchez, Castropalaus (apud La Croix, l. I, 776); Voit, II, 208; Alasia, disp. IV, c. IV, a. I; D'Annibale, I, 204; Génicot, I, 94.

Attamen post S. Congregationis Decretum quod supra memoravimus, fassi sunt omnes excipienda esse praecepta Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta semel in anno recipiendi, quibus puer, etsi nondum septennis, tenetur vix ad discretionis aetatem pervenerit. De ceteris autem praeceptis omnis dubitandi ratio hodie sublata est, ex quo mentem suam Ecclesia hoc canone patefecit: *Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui Baptismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum non expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur* (1). Optimum tamen factu est si pueruli servandis Ecclesiae legibus assuescant, tum ut eas maturius reverentia prosequantur, tum ut confirmata aetate facilius custodiant. Immo ad Eucharistiam quod attinet, etsi pueruli ante discretionis annos praecepto illam sumendi non tenentur, eadem in mortis periculo refici possunt et debent, quum aliquem ex ea fructum percipere valent. *In periculo mortis* (*ita Pontificii iuris Codex* canone 854, § 2) *ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare.*

81. — II°. Ad amentes quod attinet, hi, sive in amentiam perpetuam ab infantia, sive deinceps inciderint, pueris aequiparantur. *Infanti assimilantur* (ita *Codex iuris* canone 88) *quotquot usu rationis* sunt habitu *destituti*. Quod si expeditum rationis usum adepti identidem insaniant, excusantur quidem insaniae tempore a praecepto servando, vinculo tamen legis non solvuntur, quippe qui rationis usum retinent, quamvis aliquantisper impeditum, non aliter ac dormientes et ebrii: quapropter, cum mentis suae sunt, legem servare debent. Multo minus eximuntur lege *paroxysmi*, ii nempe qui una in re desipiunt, in ceteris sapiunt (2).

Post haec iam in aperto est, pueris perfecto rationis usu nondum pollentibus, aut pollentibus ante septennium, item amentibus perpetuo fas esse (dumne peculiare praeceptum obsit) vetitas suggerere dapes temploque dum Sacra fiunt interdicere; neutiquam vero amentibus qui vel ad tempus vel in una re insaniunt, Diximus *dumne peculiare praeceptum obsit*, obest enim quandoque. Ita Pius IX, pontifex maximus, constituta excommunicationis poena, sanxerat ne in sacrarum virginum septa pueri immitterentur, quod et antiquiora iura constituerant (3). Vide dicenda n. 436.

(1) *Codex iuris canonici*, can. 12.

(2) Sanchez, l. ci, n. 4; Laymann, Voit, ll. cc.; *Compendium Salmaticense*, 191, 192; Illsung, l. c.

(3) Concilium Tridentinum, sess. XXV, c. V, *De regularibus;* Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis*, Excom. R. Pontifici simpliciter reservatae, n. VI. Videsis Ferraris, *Bibliotheca canonica*, v. *Moniales*, a. III, n. 58 et dicenda in tract. *De censuris.*

82. — Resp. ad III Q. Non peccat Arnobius Sergio et Paulo vetitos praebens cibos, temploque eos interdicens; contra peccat ita cum Achille se gerens; eos vero in sacrarum virginum septa mittens peccat, hodie tamen censura non feritur. Demum Publium et Achillem ad iram, blasphemias turpiaque provocans, gravius peccare dicendus est.

XXIV.

Eusebius parochus hebraeum hominem et haereticum calvinianum ad catholicae Ecclesiae gremium se recipientes christiano Baptismo tinxit. Vix autem collato Baptismo, iubet eos confiteri sua peccata, quia Ecclesiae leges de ieiunio servando, de audiendo Sacro, de se a pravorum librorum lectione prohibendo transgressi sunt. Insuper utrumque monet, ab uxore ante Baptismum ducta divertat, quoad nuptias coram parocho suo et testibus instauraverit, quippe clandestinas nuptias pro infectis habendas esse neminem fugit.

Quaeritur I°. An infideles hominès et haeretici Ecclesiae legibus teneantur?

Q. II°. Rectene in omnibus Eusebius se gesserit?

Quaestionum solutio.

83. — Resp. ad I Q. I°. Infidelium nomine eos omnes accipimus qui christiano Baptismo initiati non fuere, sive polytheismum, sive hebraicam religionem, sive nullam profiteantur, sive in Christum iam credant, sed in catechumenorum numero adhuc sint. Hi cum potestati Ecclesiae non subdantur, eius legibus non sunt obstricti. Sane Ecclesiae potestas in charactere fundamentum habet, quo homo in Baptismo consignatur et mystico Christi corpori, quod est Ecclesia, tanquam membrum adnectitur; propterea in eos qui charactere signati non sunt, nihil Ecclesia potest. *Quid mihi*, ait Paulus, *de iis qui foris sunt iudicare?* (1). Expedit tamen ut catechumeni ad aliquas Ecclesiae leges servandas inducantur, tum ut ad Baptismi gratiam se praeparent, tum ut eas deinceps facilius observent (2). Idque de legibus omnibus intelligendum est, de illis etiam quas irritantes vocant, quia actus quosdam irritos faciunt, cuiusmodi sunt quae christianorum sponsalia et coniugia nonnunquam dirimunt. Haec plana sunt et in confesso apud omnes, et firmantur canone 12 *Codicis iuris: Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui Baptismum non receperunt* (3).

(1) I *Cor.* V, 12.

(2) Génicot, I, 94.

(3) S. Alphonsus, I, 118; Reiffenstuel, *De legibus*, dist. III, q. I, 5, 6; Suarez, *De legibus*, l. IV, c. XIX, n. 2 etc.; et *Codex iuris canonici*, can. 12 supra citato.

84. — II°. Haereticos (idem de apostatis et schismaticis dic) omnibus Ecclesiae legibus per se subesse, fere omnium sententia est: ius enim quod Ecclesia per characterem in eos acquisivit, itidem ac character, perpetuum est. Audiatur Suarez, qui quam perspicue ita rem explicat: *Haeretici sunt vere subiecti ecclesiasticae iurisdictioni, nam retinent characterem baptismalem, quod est fundamentum huius subiectionis. Et licet secundum praesentem statum non sint absolute membra, tamen aliquando fuerunt membra, et contra ius Ecclesiae acquisitum deliquerunt se ab illa separando, semperque ad illam redire cogi possunt, quia signum ecclesiasticae iurisdictionis in se retinent, et ratione illius veluti inchoationem quamdam habent membrorum Ecclesiae. Unde fit ut praeceptis eius obligentur et contra illa peccent illa non servando* (1). Hanc *fere omnium* diximus esse sententiam, adeo ut Lugo absurdissimum iudicaverit illi refragari (2). Fuerunt tamen pauculi, qui arbitrati sunt Ecclesiam ceu benignam matrem ac prudentissimam, ad peccata cavenda nolle haereticos obligare, quos probe novit suis iussis non esse obtemperaturos, secus enim potestate sua ad destructionem uteretur magis quam ad aedificationem (3). Verum de hac Ecclesiae voluntate nullo modo constat, immo ex iis quae inferius sumus dicturi contrarium constabit. Diximus etiam, haereticos *per se* Ecclesiae legibus subesse, nam *per accidens* saepissime eas infringendo non peccant: quod nobis declarandum. Duplex dispescitur haereticorum genus: alterum eorum qui in haeresi nati ne suspicantur quidem se extra Ecclesiam versari, cuius leges ignorant vel ad se pertinere nullatenus credunt. Illi, qui haeretici *malae fidei* seu *formales* vocantur, et legibus Ecclesiae tenentur et peccant eas violando; hi, qui *bonae fidei*, seu *materiales* audiunt, quamvis Ecclesiae subiecti, a peccato excusantur quoad bona fides perduraverit, namque *aliud est ad legem non teneri* (ita S. Alphonsus), *aliud a lege excusari* (4).

85. — Ad leges irritantes quod attinet, haeretici omnes, sive formales sint sive materiales, vim earum fugere nequeunt quae et ignorantes percellunt (5). Fuerunt quidem theologi ac iuris pontificii periti paucissimi numero, qui haereticos hisce legibus exemptos voluere, innixi consuetudini quam RR. Pontificum silentio firmari arbitrati

(1) *De legibus*, l. c. De Ecclesiae iuribus in homines baptizatos vide quae habet Rosmini, *Diritto*, vol. II, 737-744, 877-882.

(2) *De poenitentia*, disp. XV, 147.

(3) Frassinetti, I, 30, nota 7, cui accedit Bucceroni, *De legibus*, III, 194. Hanc sententiam, ob non spernendam rationem in qua nititur, non respuit Génicot (I, 94) quoad leges quae proxime animarum sanctificationem respiciunt, cuiusmodi sunt leges de festis ieiuniisque servandis; immo Sebastiani (*Summarium*, 40) hanc sententiam communem appellat.

(4) S. Alphonsus, I, 118.

(5) Vide *Codicem iuris canonici*, can. 16, § 1.

sunt (1). At RR. Pontifices nequaquam siluere, immo saepe saepius et apertissime Ecclesiae legibus etiam irritantibus, haereticos esse obnoxios decreverunt. Nam, ceteris praetermissis, Benedictus XIV (Constit. *Matrimonia*) haereticorum coniugia vel mixta in Belgio et Hollandia inita sine forma a Tridentino concilio praescripta, valere declaravit, *dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum*. Item (in Constit. *Singulari nobis* ad Cardinalem Eboracensem) post haec verba : *Haeretici Ecclesiae subditi sunt, et legibus ecclesiasticis tenentur*, irritum esse iussit ob cultus disparitatem matrimonium mulieris haereticae cum hebraeo contractum. Pius vero VI (Brevi ad archiepiscopum Moguntinum die 8 octobris anni 1803 dato) de haereticorum matrimoniis loquens ait: *Hi baptizati, ergo Ecclesiae filii, quamquam rebelles et transfugae, eiusdem Ecclesiae legibus subiiciuntur; quare iam in illos potestatem exercere nunquam praetermisit Ecclesia*. Ex his inferre licet, impedimenta criminis, disparitatis cultus, cognationis seu naturalis seu spiritualis, affinitatis, publicae honestatis, voti, raptus, ordinis, aetatis, etiam haereticis ad Ecclesiae sinum revertentibus, necesse esse, remoto per dispensationem impedimento renovatoque consensu, coniugia instaurare (2).

86. — De clandestinitatis impedimento quaestio mota est. Nempe Tridentinum Concilium neque vera neque rata habenda esse decrevit matrimonia quae parocho certoque testium numero praesente non contrahuntur (3). At, quidquid senserint aliqui, S. Sedes iterum iterumque declaravit, tridentinum decretum, ubi rite promulgatum fuit, etiam haereticos obligare, eorumque coniugia clandestina irrita prorsus esse. Ceterum postquam iussu et auctoritate Pii X decretum *Ne temere* editum fuit, quod a die Paschatis anni 1908 vim legis obtinuit, nonnihil mutationis in forma connubii celebrandi inductum fuit. Cum autem connubii forma vi huius Decreti servanda fere ex integro in *Codicem iuris canonici* inserta fuerit, sat hic nobis erit eiusdem *Codicis* statuta referre quae canone 1099 continentur, quibusque ii declarantur qui ad praescriptam formam servandam tenentur. 1° *Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint) quoties inter se matrimonium ineunt;* 2° *Iidem de quibus supra, si cum catholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium*

(1) Ita Laymann (l. V, tr. X, p. II, c. IV, 7) et Schmalzgrueber (l. I, tit. I, 379, 380).

(2) Lessius, *Auctarium*, v. *Matrimonium*, cas. XVII; Reiffenstuel, l. IV *Decret.* tit. III, 142; S. Alphonsus, VI, 1105; Bouvier, *De legibus*, c. V, a. III; Carriére, *De matrim.* 613; Perrone, *De matrim.* l. II, sect. I, c. VI, a. I; Aichner, § 208; Lehmkuhl, I, 228; II, 901; Tanquerey, *De matrim.* n. 924; Sebastiani, *Summarium*, 547.

(3) Sess. XXVI, *De reform. matrim.*

contrahant; 3° *Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adscrictis*. Cum **omnes** ad hanc formam servandam teneri dicantur, iam palam fit abrogatam fuisse exceptionem vi Constitutionis *Provida* a Pio X factam pro matrimoniis mixtis in Germania et Hungaria clandestine celebratis, quae posthac pro validis haberi nequeunt.

87. — Resp. ad II Q. I°. Eusebius, hebraeo ad fidem converso confessionem iniungens ob violata Ecclesiae praecepta, inscitissime egit: nam, praeterquam quod Baptismo omnia delentur peccata, quomodo hebraeus poterat in Ecclesiae leges peccare, quibus non tenebatur? De calviniano praestat inspicere an Baptismum *absolute* receperit vel *conditionate*, quia de vi prioris Baptismi ambigebatur. Si absolute, hebraeo aequiparatur, quia nondum Ecclesiae cooptatus erat; si conditionate, anteactae vitae peccata confiteatur oportet; de violatis tamen Ecclesiae praeceptis neutiquam se accusare debet, nisi haereticus *formalis* extiterit. Hisce inspectis, facile conficies rectene an minus Eusebius se gesserit.

II°. Ad coniugia instauranda quod attinet, de hebraeo videndum an uxor ante Baptismum ducta christiana fuerit vel non. Si primum, iure ac merito Eusebius iussit illum ab uxore divertere: nam ob impedimentum disparitatis cultus quo christiana mulier tenebatur, coniugium irritum cesserat, neque per Baptismum poterat convalescere. Si secundum, insipienter egit: quandoquidem impedimenta ab Ecclesia constituta infideles non tenent, quorum coniugia valida sunt, dumne iure naturae infirmentur.

Ut de vi coniugii a calviniano prius initi quam ad Ecclesiam reverteretur iudicium feramus, explorandum an absolute vel conditionate Baptismo ablutus fuerit: nam si absolute, in eadem versabatur conditione qua hebraeus, propterea idem sentiendum de eius coniugio instaurando quod de hebraei coniugio modo diximus. Si vero conditionate Baptismum recepit, inquirendum an ante nupserit quam decretum *Ne temere* vim suam exereret, vel postea. Et I° si nupserit *ante*, ubi tridentina lex vigebat, irritae eius nuptiae fuerunt ideoque instaurandae; minime vero si alibi nupserit. II°. Si vero nupserit *postea*, eius nuptiae constitere si in haeresi ipse natus erat; contra, si in Ecclesia catholica baptizatus fuerat, vel in eam receptus deinde ab ea recesserat, pro infectis habendae sunt (1). Hisce exploratis, aequum de Eusebii agendi ratione cum calviniano ad fidem reverso iudicium ferre poteris.

XXV.

Romualdus, religiosorum virorum familiae praepositus, legem tulit qua statis diebus familiares singuli a carnium esu prohibebantur; ipse tamen, quamvis commoda uteretur valetudine, legem hanc clan-

(1) Vide sis duos *Pontificii Codicis* canones supra citatos.

culum violabat. Id cum odoratus esset Marius, novitius omnium nasutissimus, protinus sodalibus suis rem patefecit, ratus tam sibi quam ceteris iam licere legem impune frangere in quam praelatus ipse committere non verebatur.

Quaeritur I°. An legislator suae legis vinculo obstringatur?

Q. II°. An et quatenus religiosi viri praelatorum suorum praeceptis obtemperare debeant?

Q. III°. Quid de Romualdo et Mario?

Quaestionum solutio.

88. — Resp. ad I Q. Quaedam sunt praenotanda, tum ut certis limitibus quaestio nostra coerceatur, tum ut planiora fiant quae dicturi sumus. I°. Legifera potestas modo in singulari persona residet, quae suprema et absoluta auctoritate in suos subditos pollet, ac proinde iure suo suaque voluntate leges condere valet; modo vero in communitate residet, quae per alios a se delegatos eam exercet, qui proinde communitatis vices gerunt eiusque nomine non suo leges ferunt. II°. Recolenda legis definitio quam alias exhibuimus: nempe lex est *mentis notio qua de actuum moralitate iudicium fit, et ad quam iidem actus sunt exigendi.* Ex qua definitione duplex legis officium dignoscitur: scilicet *indicandi* quod honestum est ac rationi conforme, et *obligandi* ad aliquid praestandum vel omittendum. Ad hoc duplex officium theologi respiciunt, cum legi duplicem vim inesse docent, *directivam* scilicet et *coactivam.* III°. Legem humanam alias distinximus in *pure positivam,* quae legislatoris arbitrio seu libera voluntate constituitur, et in *mixtam,* quae aliquod legis naturalis iussum continet vel definit. De lege pure positiva in praesentiarum quaerimus, quippe naturalis legis vinculo nemo unquam se eximere potest.

89. — His positis, I° si legislator suprema et absoluta auctoritate non pollet, quippe qui communitatis nomine ac demandata sibi potestate legibus condendis operam suam confert, suis legibus tenetur. Non enim desinit esse communitatis membrum eique subdi eo quod facultatem ab ea receperit leges condendi; quapropter iis legibus solvi non potest quae pro universa communitate constituuntur. Hinc in regimine *repraesentativo* quod vocant (sive democraticum sit, sive aristocraticum, sive mixtum) princeps, consules, oratores legibus ferendis, optimates, senatores, legibus a se positis obligantur; item canonici illis quae a canonicorum collegio, et Episcopi illis quae a synodo provinciali sancitae sunt. Attamen R. Pontifex legibus a concilio oecumenico latis non obstringitur, quippe qui concilio non est subiectus (1).

(1) Reiffenstuel, dis. III, q. II; *Compendium Salmanticense,* c. IV, p. I; Voit, I, 177; Alasia, diss. IV, c. IV, n. I; Bouvier, c. IV, a. I; Tanquerey, 287; D'Annibale, I, 204: Sebastiani, *Summarium,* 25.

90. — IIº. Si legislator suprema atque absoluta auctoritate pollet, suoque nomine leges fert, iisdem non est obnoxius quoad vim coactivam, sed quoad directivam tantum. Haec communis doctorum sententia (1). Sane, cum ex voluntate sua tota legis vis pendeat, si seipsum a lege velit immunem, tota legis *obligantis* vis cadit; quumque nemo in eum potestatem habeat, neque iudicari, neque cogi, neque puniri a quopiam potest. Hinc illud Ulpiani: *Princeps legibus solutus est* (2). Attamen, quatenus lex est agendi regula, seu vi *dirigendi* actus praedita est, ab ea non eximitur; ratio enim et aequitas suadent ne illi regulae se subducat quam ceteris tenendam iubet: nam si *turpis est omnis par suo universo non congruens*, ut Augustinus ait (3), eo turpior illa dicenda quae, cum sit nobilior, prae ceteris universo congruere debet. Hinc Ambrosius Valentiniano imperatori: *Quod praescripsisti aliis, praescripsisti et tibi* (4). Quapropter, si accurate loqui velimus, obligatio suae legis servandae non ex ipsa lege sed ex lege naturali dimanat, quae vult ut legislator ad suae legis normam se ipsum componat. Haec firmare libet auctoritate Angelici Doctoris lucide scribentis: *Princeps dicitur esse solutus a lege quantum ad vim coactivam legis; nullus enim proprie cogitur a seipso; lex enim non habet vim coactivam nisi ex principis potestate. Sic igitur princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud Psal. 50*: **Tibi soli peccavi** etc. *dicit Glossa*, **quod rex non habet hominem qui sua facta diiudicet.** *Sed quantum ad vim directivam legis princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur, extra de Constitutionibus, cap. Cum omnes:* **Quod quisque iuris in alterum statuit ipse eodem iure uti debet.** *Et sapientis dicit auctoritas:* **Patere legem quam ipse tuleris** (5)... *Unde quantum ad Dei iudicium, princeps non est solutus a lege quantum ad vim directivam eius, sed debet voluntarius, non coactus legem implere* (6).

91. — An legislator suam legem infringens graviter peccet, a theologis disputatur (7). Quum obligatio legis suae servandae a naturali

(1) Suarez, *De legibus*, l. III, c. XXXV; Natalis Alexander, *De Decalogo*, c. I, a. III, Regula XXII; Habert, *De legibus*, c. IV; S. Alphonsus, I, 119, ceterique theologi supra citati. Lege quae scribit Rosmini, *Diritto*, vol. II, 2433-2442 sub titulo: *Se l'autocrata sia soggetto alle leggi.*

(2) Dig. I, III, 31.

(3) *Confess.* l. III, c. VIII.

(4) Epist. III *ad Valentinianum.*

(5) Haec sententia Catonis est.

(6) Iª IIªᵉ, q. XCVI, a V. ad 3ᵘᵐ.

(7) Affirmant Laymann, Vasquez, Soto, quibus adhaeret Bouvier (l. c.) negant Salmanticenses, Lessius, Bonacina, quibus consentiunt S. Alphonsus (l. c.) et Ballerini (*Op. theol. mor.*, tr. *De legibus*, 160) qui hanc sententiam communiorem vocat.

lege dimanet, gravitatem peccati ex gravitate naturalis praecepti metiri oportet. Quapropter, si legislator ad legem suam servandam ex praecepto caritatis obligetur (v. c. ad ceterorum scandalum cavendum), vel ex praecepto iustitiae (v. c. ad cavendum damnum, ut puta si lex rerum pretium constituat vel contractus aliquos irritos faciat), graviter delinquere potest. Si vero ex decentia tantum obligetur, leviter peccabit. Quod ex eo firmatur quod communiter acceptum est, posse legislatorem a legis suae vinculo subiectos valide per dispensationem liberare etiam sine causa, ita ut contra legem agendo iam non peccent. Si autem ceteros a legis vinculo potest solvere, quidni seipsum? numne deterioris conditionis est legislator quam subditus? Et si dispensatio valet, omnis legi vis adimitur.

92. — Resp. ad II Q. Religiosus vi voti obedientiae praelato suo parere debet in omnibus quae regulis et constitutionibus sodalitatis suae non adversantur. Quae obligatio gravis est vel levis pro natura rei praeceptae et praecipientis voluntate. Voluntas autem praecipientis tum ex verbis colligitur quibus praeceptum concipitur (v. c. *Iubeo in nomine Domini Iesu Christi*, vel *in virtute sanctae obedientiae*) tum ex poenis quibus praecepti violator feritur (ut puta si excommunicatione seu latae seu ferendae sententiae multetur) (1). Novitii minus stricte ligantur praelati praeceptis, quum obedientiam non voverint; ratione tamen pacti sive expliciti sive taciti, eo ipso quod religiosum ordinem ingressi sunt, iis qui ordini praesunt obtemperent necesse est, nam *dignum est ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam*, quemadmodum in cap. *Recolentes* III scriptum legimus (2). Quod et *Codex pontificii iuris* hoc canone firmat: *Novitius potestati Magistri ac Superiorum religionis subest eisque obedire tenetur* (3).

93. — Resp. ad III Q. Romualdus in legem suam non peccavit, qua immunis erat; potuit tamen plus minus in naturalem legem offendere, praesertim quia adeo clanculum non egit ut emunctas novitii nares effugeret. Novitius vero tota re erravit se ac sodales a praelati lege liberos iactans, quam noverat a praelato ipso non servari. Illud Christi meminerit: *Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei: omnia ergo quae dixerint vobis servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere* (4). Multo magis erravit praelati noxam sodalibus revelans, quam pie celare debuisset. Illud quoque meminerit: *Turpitudinem patris tui non discooperies* (5), nolitque Cham imitari, ne patris maledictionem incurrat.

(1) S. Alphonsus, IV, 38.
(2) Ferraris, *Bibliotheca canonica*, v. *Novitiatus*, n. 11; Aichner, § 138.
(3) *Codex iuris canonici*, can. 561, § 2.
(4) Matth, XXIII, 2, 3.
(5) *Levit.* XVIII, 7.

XXVI.

Flavia, quum ex Italia in Galliam ancillandi gratia se contulisset, nulla gallorum lege obstrictam se putat, ita namque ratiocinatur: « Itala sum neque in perpetuum apud gallos remansura, immo fortasse ad patrios lares quamprimum revertar: eccur igitur lege devinciar quae mea non est?». Hinc ieiunium celebrat pridie festum diem S. Petri, non vero subsequenti sabbato, ut apud gallos moris est: neque ab esu carnium se temperat triduo sacrarum rogationum, quemadmodum consuetudo fert in pluribus Galliae dioecesibus recepta.

Ludovicus gallus, quum negotii expediendi causa exteras regiones peragrat, regionum in quibus obiter diversatur renuit servare leges: hinc sibi ius et fas esse putat ephemerides legere ab Episcopis vetitas, festa eorumque pervigilia per hebdomadam occurentia violare, quoties in Gallia festa haec ad proximum dominicum diem transferuntur: cum autem apud hispanos versatur, ab ovis et lacticiniis abstinentiae tempore se prohibet, quibus vi Bullae *Crociatae* hispani licite vescuntur. Contra Marcellus, itineris socius, cuiusque loci leges religiose servat: apud italos ieiunium in pervigilio S. Petri eiusque festum diem celebrat, apud hispanos vero Bullae *Crociatae* privilegio utitur, quippe illud Ambrosii solemne habet: *Quum Romam venio, ieiuno sabbato; quum hic sum, non ieiuno. Sic et tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, eius morem serva.*

Merulus, fistulae haud imperitus modulator, huc illuc victitans discurrit, propterea nulla cuiusque loci lege se ligatum existimat, namque ait: « Nusquam gentium domicilium foveo, omnia mea mecum porto: ecquis ergo mortalium lege sua me percellere valebit?».

Quaeritur I°. Quinam veniunt incolae, advenae, peregrini et vagi nomine?

Q. II°. Quibus legibus incolae et advenae sunt obstricti?

Q. III°. Quibus peregrini?

Q. IV°. Quibus vagi?

Q. V°. Quid in propositis facti speciebus dicendum?

Quaestionum solutio.

94. — Resp. ad I Q. Incola, quasi locum *colens,* ille dicitur qui alicubi domicilium fovet. Advenam illum appellamus qui, domicilio suo servato, alio *advenit,* ibique quasi-domicilium constituit (1). Peregrinum illum dicimus qui exiens e loco suo, et quasi *peregre* agens,

(1) Sunt theologi qui advenam illum vocant qui, pristino domicilio relicto, alio in loco domicilium figit; sunt etiam qui advenae nomine illum accipiunt, qui alicubi ad breve tempus moratur, quem nos peregrinum vocamus. Haec monuisse iuvat ad ambiguitates praecavendas.

in alium locum se confert ibique aliquandiu habitat quin tamen domicilium aut quasi-domicilium acquirat. Vagus ille est qui domicilio caret, sed huc illuc *pervagatur* nuspiam consistens (1). - Ast quando domicilium habere vel obtinere quispiam dicendus? - Domicilium eo loci quis habet ubi veluti in sede sua perpetuo commoratur. Acquiritur autem domicilium *voluntate* et *facto*; quae voluntas si expressis verbis declaratur, eo ipso domicilium acquiritur: si vero reticeatur, ex facto praesumitur, nempe ex bonorum translatione, ex aedificatione domus, ex diuturna mora etc. Haec illis cohaerent quae in Iure Romano habentur: nam ibi domicilium quispiam obtinere censetur, *ubi larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde cum profectus est, peregrinari videtur; quo si rediit, peregrinari iam destitit*(2). Quasi-domicilium eo loci quis habet, ubi versatur animo manendi per maiorem anni partem (scilicet ultra sex menses), sive ratione studiorum, sive famulatus, sive publici muneris fungendi, sive stipendia in praesidiis merendi; non vero litis aut negotii expediendi causa, quamvis forte praeter opinionem diutius ibi contigerit immorari, vel commoratio ad decennium sit producta. Etiam quasi-domicilium *voluntate* et *facto* acquiritur, nempe cum quis eo loci devenerit animo permanendi saltem ad maiorem anni partem, vel reipsa ad maiorem partem anni commoratio producatur (3). Hae domicilii et quasi-domicilii notiones cum illis apprime cohaerent quas *Codex iuris canonici* explicatius effert canone 91, §§ 1 et 2: *Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariato apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum. Quasi-domicilium acquiritur commoratione uti supra, quae vel coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem.*

95. — Resp. ad II Q. In hac et sequentibus quaestionibus de legibus proprie dictis sermonem facimus, quae locum seu territorium directe afficiunt et indirecte personas; non autem de praeceptis, quae in personas directe cadunt easque ubique locorum comitantur, quippe quae, ut vulgo aiunt, *eorum ossibus haerent.*

1°. De incolis vix ulla quaestio moveri potest: quum enim ratione domicilii sint subditi loci in quo domicilium fovent, in aperto est loci legibus eos esse obnoxios. Quod si duplex domicilium foveant (v. c. aestivum alterum, alterum hibernum), utriusque legibus tenen-

(1) Haec nomenclatura plane cum illa concordat quam de incolis, advenis peregrinis et vagis *Codex iuris canonici* exhibet canone 91.

(2) Const. *Cives*, 7; *De incolis*, X, 39.

(3) S. Alphonsus, I, 121; Aichner, § 164; D'Annibale, I, 82-86.

tur quo tempore in alterutro morantur. Et si alio domicilium transferant, illico pristini domicilii legibus soluti, legibus novi domicilii devinciuntur.

II°. De advenis convenit, eos quasi-domicilii legibus teneri eo tempore quo extra domicilium degunt: etenim ratione quasi-domicilii fiunt quasi incolae temporanei loci, propterea illis subduntur qui in loco iurisdictionem habent. Haec plana sunt et communiter recepta (1).

96. — Resp. ad III Q. Certa ab incertis internoscere iuvat.

I°. Certum est peregrinos iis legibus teneri quae iure communi sunt constitutae: nam ius commune ubique gentium obtinet, nisi alicubi per privilegium relaxetur. *Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.* Ita canone 13 *Codicis pontificii iuris.* Et quia privilegium affixum est loco, si forte peregrinus in patria ab aliquo iuris communis statuto per privilegium eximatur, extra patriam a privilegio excidit et in ius commune recidit (2). Excipe si privilegium sit personale, hoc enim personam sequitur.

II°. Legibus suae patrie peregrinus iam non tenetur, nisi ob fictionem iuris in patria delinquere censeatur. Quae sententia communis est et certa: nam *extra territorium ius dicenti* (ita Bonifacius VIII) *impune non paretur* (3). Sane principis vel praelati iurisdictio territorii finibus continetur, etenim ad bonum regimen sui territorii legifera potestas ei collata fuit; quapropter subditus qui extra territorium se constituit, legibus ibi vigentibus se subducit (4). Excepimus, si *ob fictionem iuris in patria delinquere censeatur*, quia actio praecepta vel vetita ibi omitti vel patrari censetur ubi fieri vel omitti debuisset: v. c. si sacerdos ad synodum venire iussus alio divertat, si parochus in sua paroecia non resideat, si quis domum vendat in suo territorio sitam, territorii legibus non servatis, hi perinde ac praesentes essent legem violant, poenasque, si quae statutae sint, incurrunt (5). Ad rem *Iuris pontificii Codex* canone 14, § 1: *Peregrini non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio nocet, aut leges sint personales.*

III°. Nonnullis legibus loci in quo peregrinatur obstringi peregrinum, omnes fatentur. 1°. Ratione *delicti*, nempe si contra ius naturale vel commune commiserit: unusquisque enim forum sortitur

(1) S. Alphonsus, l. c.; Sanchez, *De matrim.*, l. III, disp. XVIII, 3, 9; Bonacina, *De legibus*, disp. I, p. VI, 38, 42; Alasia, diss. IV, c. IV, a. V. 11, 12: D'Annibale, l. c.

(2) S. Alphonsus, l. c.; Bonacina, l. c. 35.

(3) C. *Animarum, de constit. in 6°.*

(4) S. Alphonsus l. c.; Sanchez, l. c., 18; Bonacina, l. c., 58; Suarez, *De legibus*, l. III, c. XXXIII; Reiffenstuel, *De leg.* dist. III, q. III, 30.

(5) Alasia, l. c., 4; Bouvier, *De legibus*, p. II, c. V, a. V.

ubi deliquit (1). 2°. Ratione *contractus*: nam contrahentes forum loci sortiuntur in quo contractus initur. 3°. Ratione *publici ordinis*: scilicet si lex huiusmodi sit quae nequeat violari quin ordo publicus susdeque vertatur, aut publica tranquillitas turbetur: v. c. si lex arma ferre prohibeat, vel pretia mercium definiat, aut vectigalia solvenda praescribat: haec enim ad bonum ditionis regimen sunt necessaria. 4°. Ratione *scandali* quod ex violata lege ceteris obvenire posset, veluti si peregrinus in omnium oculis festo die servilibus operibus vacaret. Haec apud omnes sunt recepta et ex lege naturali proficiscuntur, quae hisce in adiunctis iubet statuta loci omnino serventur (2).

IV°. An praeterea ceteris loci legibus peregrini teneantur, usque hodie in disputationem venerat. Affirmabant plures iique graves doctores, quorum sententia sat probabilis S. Alphonso visa est (3). Ne multi simus, missa facimus argumenta quibus sententiam suam hi tueri nitebantur, ut ea attingamus quibus contraria suadetur sententia, cui tanquam probabiliori S. Alphonsus adhaesit, quaeque recentioribus magis arrisit. Praecipuum huius sententiae fundamentum hoc est, quia ut quis alterius iurisdictioni sit obnoxius non sufficit in eius territorio aliquantisper versetur, sed communitati quasi membrum adnectatur necesse est (4). Peregrinus autem obiter alterius territorium, quasi viator, ingreditur, in patriam mox reversurus; quapropter iniurie legibus ibi vigentibus subiiceretur. Praeterea, tum quia de voluntate legislatoris non satis constat: tum quia etiam si de voluntate constaret, de potestate merito dubitatur, legis vinculum, ad peregrinos quod attinet, incertum est, adeo ut iure illud usurpare liceat: *Lex dubia non obligat* (5). His potissime rationum momentis sententia haec fulciebatur, quae hodie certa prorsus evasit post quam *Codex pontificii iuris* hisce verbis eam edixit: *Peregrini legibus territorii non adstringuntur in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum solemnia determinant* (6).

97. — Resp. ad IV Q. Vagi, itidem ac peregrini, ea omnia quae iure communi sunt constituta servare debent, nam ius commune ubique obtinet. Legibus autem locorum, non secus ac peregrini, tenentur ratione delicti, contractus, ordinis publici et scandali vitandi. An vero ceteris legibus loci in universum teneantur, affirmant plerique, ne di-

(1) C. fin. *De foro competenti.*

(2) S. Alphonsus, l. c.; Reiffenstuel, 23; Voit, I, 215; Alasia, 13, 15, 16.

(3) S. Alphonsus, l. c. Hanc sententiam tuentur Suarez, 3; Reiffenstuel, 26; Alasia, 17; Bouvier, l. c., aliique: hi tamen, in definienda temporis mora necessaria ut peregrinus loci legibus obligetur, non satis conveniunt.

(4) L. *Haeres obsens,* § *Proinde*, ff. *De iudiciis.*

(5) Sanchez, 6; Bonacina, 48, 49; Laymann, l. I, tr. IV, c. XII, 4; Voit, I, 214; Gousset, I, 168; Aichner, § 208; D'Annibale, I, 205; Lehmkuhl, I, 235.

(6) *Codex iuris canonici,* can. 14, § 2.

cantur exleges esse (1). In contrariam sententiam antehac loquebantur non pauci, vagos peregrinis aequiparantes, nullo enim iure cautum erat ut vagi locorum legibus ligarentur (2). Hodie tamen eos ligari certissimum est, quum *Codex pontificii iuris* diserte haec statuat: *Vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur* (3).

98. — Resp. ad V Q. Flavia, quum in Gallia quasi-domicilium foveat. Italiae legibus soluta. Galliae leges ceu advena servare debet; male proinde ratiocinatur. Ludovicus, quia peregrinus, legibus regionum in quibus obiter diversatur non est obnoxius, iis exceptis quae superius numeravimus: at privilegio decidit ieiunia et festa transferendi, quippe quae iure communi constituta sunt; contra in Hispania degens antiquo iure vigente, privilegio Bullae *Crociatae* a Iulio II anno 1509 Hispanis tributo frui potuit; at quod olim per privilegium Hispanis datum fuerat, hodie omnibus datur hoc *Iuris pontificii Codicis* statuto: *Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium* (4). Marcellus recte agit cum apud italos ieiunium et festum S. Petri religiose servat, quae sunt iuris communis; recte hispano utitur privilegio, cum in Hispania versatur; at latius aequo illud Ambrosii ad universas cuiuscumque regionis leges transfert, nam prolata Ambrosii verba haec sequuntur quae praecedentium sensum coarctant: *Si cuiquam non vis esse scandalo, nec quempiam tibi.* Merulus nullibi domicilium fovet, quippe vagus est: non ideo tamen exlegem se putet, nam vi pontificii canonis recitati obligantur vagi tam generalibus quam particularibus legibus eo in loco vigentibus in quo versantur.

XXVII.

Augustus italus, cum per Galliam transiret in Italiam reversurus, pridie diei festi S. Petri ieiunium non servavit nequo festo die interfuit Sacro, ratus integrum sibi esse gallorum privilegio se conformare, qui festum in diem dominicam transferunt, ieiunium autem in sabbatum. Ad suos autem reversus, sabbato ieiunium fregit, ne a communi agendi ratione discederet.

Iulius gallus, cum per Italiam iter haberet, S. Petri pervigilium ieiunio transegit: sequenti autem sabbato cum in Galliam pervenisset, dubitat an debeat cum ceteris ieiunium servare.

Quaeritur I°. An Augustus quidquam peccaverit?

Q. II°. Quid Iulio dubitanti sit respondendum?

(1) Sanchez, 15; Bonacina, 54; Alasia, 17; Bouvier, l. c.

(2) Busembaum apud S. Alphonsum, I, 124; Laymann, 7; Voit, I, 217; La Croix, *De legibus*, 685; D'Annibale, I, 86, nota (42); Lehmkuhl, l. c.

(3) *Codex iuris canonicis*, can. 14, § 4.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 1250.

Quaestionum solutio.

99. — Resp. ad I Q. Potuit Augustus, privilegio usus quod in Gallia obtinet, pervigilium S. Petri sine ieiunio transigere dieque festo a Sacro se sustinere; ad suos autem reversus nihil amplius ei praestandum supererat, quippe transierat tempus vi iuris communis in Italia ieiunio assignatum (1).

100. — Resp. ad II Q. Ieiunii praeceptum unum est, quod serius in Gallia, vi privilegii, ocius obtinet alibi vi iuris communis; praeceptum autem quod semel obligat, sufficit semel implere (2).

XXVIII.

Bernardus, animi causa alias atque alias regiones peragrans, ad dioecesim pervenit in qua ex peculiari indulto festus dies solemni ritu agitur. Quum autem idem festum eodem ritu in sua diocesi ex indulto colatur, anceps est debeatne die illo ab omni servili opere se sustinere et Sacro interesse; quapropter viro theologo dubium suum aperit.

Quaeritur: Quid theologus respondebit?

Quaestionis solutio.

101. — Resp. ad Q. Quum lex utrobique vigeat, plures sunt theologi qui peregrinum legi obnoxium faciunt, saltem, ut ait Bonacina, *ex aequitate* (3). Verum, si de stricta obligatione loquamur, in contrariam sententiam concedimus: nimirum dicimus neutra lege peregrinum obstringi, non suae dioeceseos a qua abest, non alienae cui subditus non est (4). Quae sententia apprime cohaeret iis quae superius disputavimus. Hinc patet quid Bernardo theologus respondere poterit.

XXIX.

Gaudentius sacerdos, in dioecesi proxima mediolanensi parochus, quotannis sacro Cinerum die Mediolanum pergit, ubi bacchanalium licentia in aliquot dies pertrahi solet; idque non aliam ob causam nisi ut serius quadragesimale ieiunium inchoare valeat. Praeterea, quum Episcopus decretum tulerit, ne quis sacerdos christianae plebi regendae

(1) Busembaum apud S. Alph., I, 125; La Croix, 687; Alasia, 8, ceterique communiter.

(2) Reiffenstuel, l. c., 42; Bonacina, l. c., 57; Lessius, l. IV, tr. II, 52; D'Annibale, 204, nota 41, contra alios.

(3) Bonacina, l. c., 52; S. Alphonsus, l, 121.

(4) Lessius, Laymann, Diana, Tamburini, Sanchez, La Croix, 686; Reuter et Gury, I, 95, qui id *probabile* rentur; D'Annibale, I, 205; Tanquerey, *De legibus*, 290; Piscetta, tr. *De legibus*, 154; Sebastiani, *Summarium*, 47.

praepositus paschali die absit curia sua, secus sacris sit interdictus; neve clericus quisquam aleis ludere scenicisque spectaculis interesse audeat, secus certa pecuniae summa multetur; quumque Gaudentio nominatim vetuerit quarumdam ephemeridum lectionem, haec omnia nihil pensi faciens, Gaudentius pridie paschalem diem Mediolanum se confert, ratus sibi extra dioeceseos fines constituto impune licere Episcopi decreta violare, quibus extra praecipientis territorium nulla vis constat.

Quaeritur I°. Liceatne in fraudem legis a patriae vel dioeceseos suae finibus abscedere?

Q. II°. An in fraudem legis ille agat qui in alienum territorium eo animo se confert ut vim legis effugiat?

Q. III°. An fregisse leges latasque poenas incidisse Gaudentius censendus sit?

Quaestionum solutio.

102. — Resp. ad I Q. Fraudem legi facere dicendus qui, vinculo legis manente, a patria vel dioecesi discedit ne legem impleat. *Vinculo legis manente*, inquimus, quod tunc fit quum quis, corpore a territorio absens, in territorio delinquere censetur, seu fictione iuris, seu quia personali praecepto ligatur quod eius ossibus haeret. Quo posito, luce clarius patet nequaquam licere in fraudem legis a patria vel dioecesi abscedere, nam eiusmodi discessus legis vinculum non solvit.

103. — Resp. ad II Q. Quaestio haec, in contrarias partes a theologis disputata, non uno expedienda est verbo. Sententia affirmantium plures eosque spectatissimos patronos nacta est (1). Hi nituntur potissime RR. Pontificum auctoritate. Nam S. Concilii Congregatio, Urbano VIII approbante, irritum esse iussit matrimonium eorum qui ad id loci pergunt ubi tridentinum decretum de clandestinis nuptiis promulgatum non fuit, eo animo ut ibi matrimonium ineant, tridentina lege posthabita; Clemens vero X Constitutione *Superna* absolvi non posse declaravit poenitentes illos, qui sua dioecesi excedunt in qua peccatum reservatum est, atque aliam petunt in qua reservatio non adest ut absolutionem obtineant a reservato. Ex duplici hoc decreto confici posse videtur, in fraudem legis agere illum, qui in alienum territorium eo animo venit ut legis vinculo se subducat. Est etiam vulgatum adagium: *Fraus et dolus alicui patrocinari non debent* (2); patrocinarentur autem quam maxime ei qui consulto territorium suum relinquit ut lege eximatur, si reipsa eximeretur. Haec profecto sua probabilitate non carent.

(1) Reiffenstuel, l. c., 41; Benedictus XIV, *De Synodo*, l. XIII, c. IV, 10; Alasia, l. c., 5; Voit, I, 213; Bouvier, l. c.

(2) C. 15 et 16 *De rescript.*

Sunt tamen theologi, neque pauciores numero neque minoris pretii, qui in contrariam sententiam abeunt, quam hisce argumentis sustentant. Nulla lege quisquam prohibetur a suo territorio discedere; quapropter peregrinus territorium relinquens, quavis de causa id faciat, utitur iure suo; *nullus* autem *videtur dolo facere, qui iure suo utitur* (1). Fraudem legi ille facere dicendus, qui legis vinculo obstrictus manens vim legis eludere conatur; minime vero qui eo loci consistit ubi lex illum non attingit, nam in legem offendere nequit qua iam non tenetur. Quae in bina facti specie de clandestinis nuptiis ac de reservatione RR. Pontifices sarta voluere, perperam ad regulam in universum constituendam trahuntur, quum exceptionis loco sint potius habenda; exceptio autem regulam confirmat (2). Quid, quod utrique Constitutionis Clementinae exceptioni nunc derogatum est? De priore, quae poenitentem respicit reservati criminis reum, vide quae de peccatorum reservatione n. 633 sumus dicturi. De posteriore responsum exstat S. Congregationis de disciplina Sacramentorum die 12 martii anni 1910 datum, quo validum declaratur matrimonium illius qui *in fraudem legis* eo se confert ubi coram solis testibus fas est illud celebrare (3). In hanc sententiam ceu probabiliorem concedimus.

104. — Resp. ad III Q. Etsi ieiunii legem non fregit neque in fraudem legis peccavit Gaudentius in prima facti specie, maxime tamen notanda eius agendi ratio: si enim christianum hominem dedecet legis imperio data opera se subducere ad indulgendum deliciis et mundanis voluptatibus, longe magis sacerdotem dedecet qui ceteris praeire debet exemplo, *ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (4). In secunda specie in Episcopi legem poenamque incurrit, quia fictione iuris in sua dioecesi deliquit. In tertia, quia extra dioecesim lege sui Episcopi non tenebatur, non eam violavit. In postrema in Episcopi praeceptum peccavit, quod, quippe personale, subditum ubique comitatur.

XXX.

Cum res christiana in magno versaretur discrimine, R. Pontifex pro urbe et orbe legem tulit qua ieiunium semel per hebdomadam praestandum certaeque preces a sacerdotibus quotidie ad Deum fundendae indicebantur, Huius edicti nuncium tum per publica diaria, tum per rumores serpentes quum ad dissitas quasque terrae plagas pervolasset, quaestio inter Guillelmum, Augustinum et Rupertum britannos doctores orta est, an leges pontificiae Romae promulgatae statim apud

(1) Reg. 55, ff. *De reg. iuris.*

(2) Sanchez, l. c., 29; Bonacina, l. c., 64; La Croix, l. c., 683; S. Alphonsus, I, 122; D'Annibale, I, 182; Gury, I, 94; Tanquerey, 290 in nota.

(3) *Acta S. Sedis*, an. II, vol. II, pag. 193.

(4) Tit. II, 8.

omnes obtineant. Autumat ille, neminem extra romanam dioecesim legibus pontificiis obstringi, quoad Episcopus dioecesanos suos de iis certiores fecerit. Iste vero post bimestre a promulgatione Romae peracta, vel ab accepto promulgationis nuncio, eas ubique obtinere contendit. Hic demum pro comperto habet, christicolas omnes pontificiis legibus obstringi, vixdum promulgatio Romae facta ad eorum notitiam devenerit, perinde ac singulis leges essent indictae.

Quaeritur I°. Quid sit legis promulgatio et an sit necessaria ut legislatoris voluntas vim legis obtineat?

Q. II°. Qua forma quoque loco humanae leges sint promulgandae?

Q. III°. An et quodnam temporis spatium a promulgata lege labi necesse sit, ut ea pleno robore constet subditosque devinciat?

Q. IV°. Quinam e tribus doctoribus rectius sapere putandus est?

Quaestionum solutio.

105. — Resp. ad I Q. Promulgationis nomine venit actus ille quo legislator legem suam communitati servandam proponit. Quum lex sit agendorum regula communitati proposita, nisi ei innotescat, perperam conderetur et absurde obsequium communitatis exigeret. Hinc illud Gratiani quod et in *Codicem iuris canonici* insertum est: *Leges instituuntur cum promulgantur* (1).

106. — Resp. ad II Q. Inspecta rei natura, neque promulgationis forma, neque locus illius peragendae definita sunt; propterea legislatoris arbitrio definienda relinquuntur. Dicamus seorsum tum quae de civicis, tum quae de pontificiis legibus constituta sunt.

I°. Vigente iustinianaeo iure, leges civitatis in singulis provinciis promulgari oportebat ut vim suam exererent (2). Quum ius illud obsoleverit, hodie inspiciendi sunt cuiusque ditionis codices, ratio item habenda consuetudinum (si quae alicubi sint) quibus forma promulgationis et locus constituuntur.

II°. Ad leges pontificias quod attinet, variatae pro diversitate temporum solemnitates obtinuerunt. Prioribus Ecclesiae saeculis, RR. Pontifices statuta sua per probatos clericos Episcopis vel Metropolitanis mittere consuevere; saeculo XIII ineunte, collectiones decretalium authenticae fieri coeperunt, eodemque saeculo ac deinceps mos invaluit legum apographa affigendi in urbe Roma ad valvas basilicarum, vel in acie campi Florae.

III°. De Episcoporum legibus en *Codicis pontificii iuris* statutum: *Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur; modus autem promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur* (3).

(1) Can. *In istis*. dist. 4; *Codex iuris canonici*, can. 8, § 1.
(2) *Novell.* 66.
(3) *Codex iuris canonici*, can. 335, § 2.

107. — Hic quaeritur utrum promulgatio Romae facta sufficiat obligationi ubique terrarum inducendae, vel praeterea singulis in provinciis vel dioecesibus pontificiae leges sint per Episcopos promulgandae. Plures theologi, praesertim galli, promulgationem Romae factam sufficientem non esse docuerunt (1). Parvi refert eorum argumenta perpendere, quum contraria sententia, quae S. Alphonso *communior* ac *probabilior* videbatur (2), hodie evaserit certa. Re enim vera, quum Roma sit catholici orbis caput ad eamque undique gentes affluant, insuper sive per literas sive per publica diaria quam facillime notitia eorum quae Romae fiunt pervulgetur, fatentur omnes (ne exceptis quidem adversariae sententiae patronis), RR. Pontifices id posse velle ut promulgatio Romae facta pro universo orbe vim habeat. Quo posito, tota quaestio in eo vertitur an ipsi velint. Eos autem velle indubium est. Nam quoties RR. Pontificibus placuit iussa sua in singulis provinciis promulgarentur, hoc fieri decreverunt [quemadmodum factum novimus de interdicto a Lateranensi IV concilio in medicos lato (3) ac de tridentino decreto de clandestinis nuptiis (4)]: haec autem decreta frustra facta fuissent, si omnes leges pontificiae ubique essent promulgandae. Praeterea expressis verbis mentem suam RR. Pontifices aperuerunt. Namque Innocentius III declaravit: *Sufficit ut ad eius (constitutionis) observantiam teneatur, qui novit eam solemniter editam aut publice promulgatam* (5). In constitutionibus autem quae Romae statis locis affiguntur haec clausula (aliave huic similis) apponi solet: *Praesentes literas sic publicatas volumus omnes et singulos, quos concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum personaliter intimatae fuissent.* Haec ita perspicua sunt, ut nulla unquam (6). Novissime vero, ex quo suprema Ecclesiae auctoritate *Commentarium officiale* edi coepit, in quo novae leges et Apostolicae Sedis acta vulgantur, omnis dubitandi ratio (si qua remanserat), penitus adempta fuit. Namque R. Pontifex Pius X, constitutione *De promulgatione legum et evulgatione actorum S. Sedis*, anno 1908 data edixit: *Constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum RR. Pontificum, tum*

(1) Navarrus, *Enchir.* c. XXIII, 44; Reiffenstuel, Natalis Alexander, Continuator Tournely, Billuart, Dens, Bouvier, quorum tamen plures fatentur contrariam sententiam communiorem esse.

(2) S. Alphonsus, I, 60.

(3) Cap. *Cum infirmitas, De poenit. et remiss.*

(4) Sess. XIV, *De reform. matrim.* c. I.

(5) C. *Ad haec,* I, *De postulatione praelatorum.*

(6) Suarez, *De leg.* l. IV, c. XV; Laymann, l. I, tr. IV, c. II; Bonacina, disp. I, q. I, p. IV, 16; La Croix, *De leg.* 579; Ferraris. *Bibliotheca*, v. *Lex*, a. II, 6-8; S. Alphonsus, I, 60; Aichner, § 207; Alasia, diss. IV, c. V, a. I, 11; Gousset, *Exposition des principes du droit canonique*, c. VII, q. III; D'Annibale, I, 202; Tanquerey, 268.

SS. Congregationum et Officiorum scita in eo Commentario de mandato Praelati a secretis, aut maioris administri eius Congregationis vel Officii, a quo illa dimanant, inserta et in vulgus edita, hac una eaque unica ratione legitime promulgata haberi, quoties promulgatione opus sit, nec aliter fuerit a S. Sede provisum (1). Quod edictum novissimus *Iuri pontificii Codex* hoc canone firmavit declaravitque: *Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in* **Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali**, *nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus: et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui* **Actorum** *numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent, aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta* (2).

108. — Resp. ad III Q. Aliquod temporis spatium decurrat oportet ut promulgatae legis notitia ad subditos perveniat eosque legis vinculum obstringat. Legislatoris est inchoandae obligationis tempus statuere; quo elapso, lex vim suam exerit, adeo ut qui eam, etsi ignorans, violaverit, poenam non effugiat: hinc illud: *Ignorantia iuris non excusat.*

I°. Vigente iure iustinianaeo leges civicae a bimestri promulgationis in singulis provinciis peractae obligare coeperant (3); hodie inspiciendi sunt cuiusque ditionis codices quibus hoc tempus praefiniri solet, ratione etiam habita consuetudinum, si forte codices sileant aut minus aperte loquantur.

II°. Leges pontificiae quae fidem et mores respiciunt, statim ac cuipiam innotescunt, obligationem pariunt, quippe quae naturalem legem ac divinam expressius pandunt, quae nova promulgatione non egent. De legibus disciplinam spectantibus non satis antehac definita res erat. Rebantur quidam, legem Romae promulgatam neque in urbe, neque extra urbem obligare nisi post duos menses, normam sumentes a iure civili, quam normam prudentem existimabant, neque a iure pontificio alienam: huic sententiae ceu probabiliori S. Alphonsus adhaesit (4). Alii vero contendebant statim a certa promulgationis notitia leges pontificias obligare, adeo ut Romae primum, subinde passim ad cetera loca obligatio pertingeret: nulla enim est ratio ob quam ad duos menses obligatio differri debeat (5). Cui sententiae grave momentum attulerant S. Poenitentiariae responsa, alterum diei 8 novembris 1821, alterum diei 15 iunii 1870, quibus declaratum fuit Constitutiones *Ecclesiae* Pii VII et *Apostolicae sedis* Pii IX obligare postridie pro-

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, an. I, vol. I, pag. 5-6.
(2) *Codex iuris canonici*, can. 9.
(3) *Novell.* 66.
(4) S. Alphonsus, l. c.
(5) Suarez, 15; Bonacina, 19; Alasia, 14; Aichner, l. c.; Ballerini ad Gury, I, 97.

mulgationis Romae factae (1). Hodie, post constitutionem Pii X modo memoratam et novissimi *Codicis pontificii iuris* editionem omnis quaestio finita est.

109. — Resp. ad IV Q. Nemo unus e tribus doctoribus recte sapere videtur: nam neque necesse est (quamquam utiliter fieri possit) ut per Episcopos lex pontificia dioecesibus singulis indicatur, quemadmodum Guillelmus autumat, neque bimestre fluat a promulgatione Romae habita, ceu Augustinus contendit; neque statim a certa promulgationis Romae factae notitia obligare lex incipit, ut Rupertus opinatur, sed tertio expleto mense a die qui *Actorum Apostolicae Sedis* numero est appositus, nisi rei natura secus postulet, aliudve ipsa lege cautum fuerit.

XXXI.

Cum indica lues grassaretur, Eusebius episcopus legem tulit ne quis sacerdos animarum curae addictus in tanto discrimine curiam suam desereret. Hoc Eusebii scitissimum iussum nihil pensi habens, Arnobius parochus in id consilii venit ut, relicto in curia sua idoneo sacerdote qui naviter sua vice fungeretur, longinquam regionem peteret se in tuto collocaturus. Iter ingressus, dum per haereticorum plagas transit, neque a carnium esu diebus vetitis se abstinet, neque ieiunium servat semel in hebdomada ex voto servandum, neque ab eorum colloquio et conversatione secedit quos excommunicationis vinculo irretitos novit, neque horariarum precum quotidianum pensum solvit, ne forte vitae vel famae periculum incurrat. Verum, quum ad Proculum sacerdotem animi labes Sacramento expiaturus divertisset, gravibus hisce verbis ab eo increpatur: «Ignorasne posse Ecclesiam leges ferre quas nunquam, quodvis timeatur incommodum, liceat violare? Nonne et Christus hoc fecit cum peccatorum confessionem, ut ut gravissimam, omnibus praecepit? Ad haec, periculose aegrotantibus opem ferre, vota servare, fidem profiteri, periculum nec sibi nec alteri concitare, divino iure atque naturae inducta sunt, non humano: fac igitur consulas rationibus tuis».

Quaeritur I°. An legislator leges condere valeat, quarum obligatio et cum incommodo gravi firma consistat?

Q. II°. Quandonam lex humana etiam cum incommodo gravi obligare censetur, quando vero minus?

Q. III°. Quodnam incommodum sit grave putandum?

Q. IV°. Utrum obligatio legem servandi cum gravi incommodo ex humano iure an ex divino et naturali ortum habeat?

Q. V°. Quid de Arnobio et Proculo sentiendum?

(1) D'Annibale, l. c., nota 16.

Quaestionum solutio.

110. — Resp. ad I Q. Ea in legislatore potestas inesse dicenda est, quae ad commune bonum obtinendum est necessaria, secus tutelae atque incolumitati subditorum non satis esset consultum. Atqui commune bonum nonnunquam exigit ut lex etiam cum incommodo gravi servetur: v. c. ne miles adventantibus hostibus terga vertat, ne medicus aegrotos ingravescente morbo relinquat, ne parochus gregem suum deserat rerum angustia pressum. Ergo legislator leges huiusmodi condere valet. Praeterea legislator (ut alias diximus) cuiusvis virtutis actus praecipere potest, arduos etiam et heroicos, necessitate hoc postulante: ergo et actus fortitudinis, quo et dura tolerare, et sua vitamque ipsam, certis in adiunctis, quis prodigere debeat (1).

111. — Resp. ad II Q. I°. Lex humana etiam cum gravi incommodo obligare consetur cum incommodum a re praecepta seiungi nequit (scilicet cum eiusmodi est res praecepta, quae nisi cum gravi incommodo praestari non potest) et sufficiens exstat causa eiusmodi rei praecipiendae. Nam si incommodum ipsa natura rei ferat, ac sufficiens sit causa talis rei praecipiendae, legislator illud voluisse, ac iure prorsus voluisse dicendus est. In dubio autem de sufficientia causae, pro legislatore praesumendum, cuius est de legis iustitia et convenientia iudicare.

II°. Si incommodum extrinsecus obvenit, nempe in re praecepta non inest, eo obveniente, lex *per se* desinit obligare. Re enim vera, quum lex possibilis ac rationi consona esse debeat ut sit iusta, iam talis non esset si communibus subditorum viribus non accommodaretur; quapropter in tali eventu legislator censetur nolle eius obligationem urgere; immo, etsi urgere vellet, nec posset. Ipsa lex divina saepe relaxatur ob grave incommodum superveniens, quemadmodum patet exemplo Davidis panes propositionis comedentis, quod Christus probavit (2), et exemplo Machabaeorum die sabbati pugnantium, quod in iure pontificio affertur et probatur (3): porro, si grave incommodum divinae positivae legis vinculum solvit, quanto magis humanae? Adde, eodem iure pontificio aegrotos eximi lege ieiunii, et viatoribus indulgeri cum excommunicatis communicare victum sibi comparandi causa (4).

Diximus *per se*, nam quandoque *per accidens* etiam cum gravi incommodo lex obligare potest: scilicet cum lex humana nequit violari quin simul lex superior (naturalis nempe) violetur, quae nullam re-

(1) De hac et sequentibus quaestionibus videndus Suarez (*De leg.* l. III, c. XXX) qui docte et lucide eas versat.

(2) Matth. XII, 3, 4.

(3) Cap. 4 *De regul. iuris.*

(4) Cap. 2 *De observ. ieunii* et Cap. *Quoniam multos*, 11, 9, 3.

laxationem patitur. Hinc si legis humanae violatio in contemptum fidei vel legitimae potestatis vergeret, vel in scandalum aliorum iniustumve damnum, etiam cum gravi damno servanda esset, quippe haec sunt adeo mala ut nunquam licite fiant (1). Ceterum, si quis aperte protestaretur, ad grave incommodum declinandum ita se gerere, hacque declaratione omnem a se contemptus suspicionem abigeret et scandalum a ceteris removeret, iam videtur non posse violatae legis damnari (2).

112. — Resp. ad III Q. Grave incommodum illud reputandum quo vita, valetudo, fama, fortunae in discrimen adducuntur. Neque est necesse ut incommodum in praesens adsit, sed sufficit ut prudenti ac probabili iudicio proxime secuturum timeatur. Duo tamen animadvertere iuvat: 1°. Quandoque praecepti materiam dividuam esse, in quo eventu qui potest sine gravi dispendio partem praecepti servare, illam servare debet. Hinc Innocentius XI propositionem hanc n. LIV condemnavit: *Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.* 2°. Incommodi gravitas tum ex re praecepta, tum ex natura et gravitate legis, tum ex personis varie est aestimanda: v. c. gravius incommodum requiritur ut quis eximatur a praecepto Eucharistiae sumendae paschali tempore, quam a Sacro audiendo dominica die; gravius ut parochus excusetur a Sacro festis diebus celebrando, quam a divinis laudibus persolvendis (3).

113. — Resp. ad IV Q. Remote ex iure naturae ortum habet, quo iubemur et cum gravi dispendio ea iussa servare quae ad incolumitatem et tutelam seu civitatis seu Ecclesiae plane sunt necessaria; proxime autem ex iure humano proficiscitur, cuius est definire ac praecipere quae ad commune bonum spectant.

114. — Resp. ad V Q. Episcopi iussum, quippe sempiternae animarum saluti prospiciens, etiam cum vitae periculo ab Arnobio servandum erat: eo magis quod nedum ex caritate sed ex iustitia parochus suorum curam, praesertim difficillimis temporibus, gerere debet, nam *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius fugit, quia mercenarius est et non pertinet ad eum de ovibus* (4). Immo etiam idoneo sacerdote sibi suffecto, nequit parochus iniussu Episcopi suam curiam relinquere (5); tempore autem pestis id explicito decreto

(1) Haec apud omnes sunt recepta. Videndi Suarez, l. c.; Bonacina, *De pecc.* disp. II, q. VIII, 2-8; Reiffenstuel, *De leg.* dist. II, q. III, 23-28; La Croix, *De leg.* 778-779; S. Alphonsus, III, 324; IV, 154; Voit, I, 238, 244, etc.

(2) Frassinetti, *Compendio*, tr. II, n. 23, nota 3, cui consentire videtur Suarez, l. c., n. 7.

(3) D'Annibale, I, 178, nota 6.

(4) Ioan. X 11, 13.

(5) Conc. Trident. Sess. XXIII, *De reform.* c. I.

a Gregorio XIII inhibitum fuit (1). Vitae periculum oppido sufficiens est ut quis lege solvatur sive a carnibus se abstinendi, sive ieiunium servandi, sive vitandi excommunicati consortium, sive divinum Officium recitandi (2): hodie tamen vix credibile est, transeuntem per haereticorum loca periculum istud incurrere. Famae vero periculum Arnobius inepte ac ridicule praetendit, quippe christianum esse et agnosci, nedum famam inficiat, honorificum est. Ex his iam liquet, non uno ex capite potuisse Proculum Arnobium improbare, quamvis non omnia vera sunt nec ad rem quae improbando protulit. Verum est posse Ecclesiam, Christi exemplum secutam et vi potestatis ab eo acceptae, leges condere etiam cum gravi incommodo servandas. Item verum est, ius naturae hoc velle ut aegrotis subveniamus, vota solvamus, profiteamur christianam fidem, nemini periculum concitemus; attamen aegrotis subvenire fidemque profiteri affirmativo praecepto iubemur, quod novimus semper atque ad semper non obligare; vota solvere equidem iure naturae praecipimur, at voti obligatio remote tantum ex iure naturae, proxime vero ex iure humano inducta est, quippe voluntate hominis lex voti constituitur; periculum nobis ceterisve conflare utique iure naturae vetitum est, quamvis interdum, cautionibus adhibitis, possit periculum hoc ex proximo remotum fieri. Quae omnia male miscens Proculus satis consilii inopem se probavit.

XXXII.

Aurelius parochus solet identidem venatum ire scenicisque ludis interesse, quamvis probe sciat Episcopi decreto utrumque clericis interdictum fuisse: nimirum illud ne sacerdotes plebem suam, forte opis indigam, relinquant; hoc ne ceteris malo sint exemplo sibique periculum parent. Ab omni autem culpa Aurelius alienum se putat, quia dum venationi vacat, pio sacerdoti plebis suae curam committit; cum vero spectaculis adest, neque sibi ob provectam aetatem periculum timet, neque ceteris, quia procul a paroeciae finibus ac profanis indutus vestibus hoc facit.

Indictas ab Episcopo preces ad integram Principis valetudinem obtinendam bellique calamitatem propulsandam Renatus sacerdos illico intermisit, vixdum per publica diaria rescivit Principem diem obiisse supremum, pacemque cum hostibus confectam fuisse.

Romualdus parochus ad feminam gravissimo afflictatam morbo accersitus, animadvertit nunquam verum matrimonium constitisse inter eam virumque quocum iamdiu uxorio modo conversabatur. Quid aget? Curat duo adsint probati testes, iisque praesentibus, putati coniuges mutuo consensu nuptias instaurent, denunciationibus postha-

(1) S. Alphonsus, VI, 233.
(2) Clericatus, *Erotemata*, c. IV, cum Tamburino aliisque.

bitis quas tridentina Synodus nuptiali foederi praeponendas gravi praecepto decrevit: quippe in tanto rerum discrimine tridentinam legem, tamquam rei publicae noxiam, ex se concidere vix ambigendum retur.

Quaeritur I°. An legis causa deficiente, lex ipsa deficere dicenda sit?

Q. II°. Quid in triplici facti specie iudicandum?

Quaestionum solutio.

115. — Resp. ad I Q. Quum lex sit rationis iussum, ad finem referri debet qui honestus sit atque communi bono prospiciens: proinde tamdiu lex sustinetur quoad res praecepta ad illum finem conducit. Finis autem legis *contrarie* deficere dicitur, quum res praecepta fit turpis vel noxia; *privative*, quum ad finem obtinendum fit inepta: *adaequate*, si ex toto et pro omnibus finis deficiat; *inadaequate*, si ex parte vel pro aliquibus tantum. His positis, quum finis legis contrarie deficit, sive adaequate sive non, convenit legis obligationem solvi: quae enim turpis fit vel noxia, quippe quae a recta ratione abhorret, desinit esse agendorum regula, desinit esse lex. Quod si legis finis privative et adaequate deficiat, lex pro toto et pro omnibus inutilis facta, cadit tanquam a ratione remota; sin autem privative quidem sed inadaequate legis finis deficere contingat, lex adhuc consistit, nam etsi ex parte vel pro aliquo inutilis evadit, ad commune tamen bonum adhuc aliquatenus conferre atque in ratione niti censetur. Quae est receptissima contra paucos sententia (1).

116. — Resp. ad II Q. In prima facti specie non deficit finis legis contrarie, quandoquidem res praecepta turpis non fit neque noxia: et si forte, ad Aurelium quod attinet, privative deficit (quod valde incertum est), non deficit adaequate, quum utrumque Episcopi scitum sacerdotalis ordinis decori caveat: propterea lex suo robore stat.

In secunda facti specie finis seu ratio legis privative deficit et adaequate, quapropter lex corruere dicenda est.

In postrema specie, nedum privative sed contrarie deficit legis finis, eoque deficiente lex cadit. Sane tridentina lex eo spectat ut sanctitati cum nuptiarum tum nubentium consulatur. Iamvero in tanto necessitatis articulo lex servata in damnum et iniuriam cederet cum nuptiarum tum nupturientium, quod adversatur legislatoris fini. Quapropter, si Episcopus adiri nequeat pro denunciationum dispensatione

(1) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. XCVI, a. VI et q. CIII, a. IV, ad 3^{um}; Suarez, *De leg.* I. VI, c. X; Laymann, l. I, tr. IV, c. XXI; Reiffenstuel, tr. II, dist. II, q. III, 33, 34; Bonacina, disp. I, q. I, p. ult,, § V; La Croix, 863-872; S. Alphonsus, I, 199; D'Annibale, I, 180; Piscetta, I, tr. *De legibus*, 59, 60. Vide sis Rosmini, *Diritto*, II, nn. 2483-2487.

obtinenda, fas est parocho, iis praetermissis, matrimonio interesse (1). Recte igitur Romualdus se gessit, Immo, ex recenti S. Congregationis de sacramentis decreto diei 14 maii anni 1909, nedum parochus, sed quivis sacerdos (parocho vel delegato deficiente) matrimonio valide adsistere potest et ab omnibus iuris ecclesiastici impedimentis dispensare, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita (2). Quae et *Codex pontificii iuris* expresse firmavit (3).

XXXIII.

Anselmus diaconus, pridie pervigilii laute coenatus, integrum fere diem dormiendo transegit ne ieiunii incommoda sentiret; sub extrema autem diei parte expergefactus, coenaque sumpta, adhuc somisomnus meroque gravatus horariarum precum pensum persolvit. Postera die, conscientia malefacti cruciatus, existimans se iam non posse ob amissam Dei gratiam praecepto audiendi Sacrum satisfacere, ad templum quidem iterato se contulit ibique interfuit Sacro, at prima vice ne patris indignationem incurreret, altera vero ut musicis concentibus recrearet animum, immo expressam gerens voluntatem praecepto non satisfaciendi, ne forte novo scelere se pollueret. Eandem ob causam horarias preces eruditionis ac solaminis gratia recitavit.

Quaeritur I°. An actus humana lege praeceptus humano modo fieri debeat?

Q. II°. An cum habituali caritate?

Q. III°. An per modum virtutis, nempe ad illam virtutem exercendam ob quam fuit praeceptus?

Q. IV°. An animo praeceptum implendi?

Q. V°. Quid de singulis ab Anselmo gestis?

Quaestionum solutio.

117. — Resp. ad I Q. Principio monendi sumus: I°. Propositas quaestiones ad ea legis iussa pertinere quae affirmativa vocantur, nam ad negativa servanda nullo opus est actu: idcirco qui ab actu prohibito se sustinet, sive sciens sive nescius, sive libens sive invitus, legis violator non est. II°. Quum quaeritur an humano modo actus

(1) Sanchez, *De matrim.* l. III, disp. X, 26-28; Sporer, *De matrim.* 378; La Croix, *De matrim.* 494; S. Alphonsus, VI, 1007; Carrière, *De matrim.* 430; D'Annibale, III, 453.

(2) *Acta Apostolicae Sedis*, an. I, vol. I, p. 468, 469. Cum de presbyteratu tantum exceptio fiat, haec dispensandi facultas ad ordines hypodiaconatus et diaconatus se porrigit. Vide Mannaioli, *Supplementum*. XXIV.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 1043-1045. Vide dicenda n. 730.

praeceptus fieri debeat, quaeritur an *actus humanus*, sensu theologico, nempe *ex deliberata voluntate procedens*, requiratur (1).

Quibus positis, dicimus humano modo actum lege praeceptum perfici oportere. Re enim vera non brutis animantibus sed homini ratione praedito indicitur lex; propterea qui non suae mentis ac voluntatis compos quidquam agit, iam non agit ut homo, nec legem implere censendus est. — Oppones fortasse, eum qui decimas, tributum, aes alienum solvit, utcumque solvat, lege liberari. — Utique; non ideo tamen quia legem implevit sed quia, sublata praecepti materia, lex cadit (2).

118. — Resp. ad II Q. Generatim caritas sive habitualis sive actualis non est necessaria ad legem implendam, quum neque rei natura, neque legislatoris voluntate exigatur. Non eam exigit rei natura, gratiae enim defectus actum non inficit ita ut malus evadat: hinc damnata Baii propositio n. XVI: *Non est vera legis obedientia quae fit sine caritate.* Non exigit legislatoris voluntas, qui praecipere non solet supra quam rei naturae consentaneum est. *Generatim*, inquimus: nam si quando caritas ita ingrediatur substantiam actus, ut ea deficiente incassum actus praeciperetur, tunc caritas ipsa in praecepto includitur. Hinc qui Sacramenta ceteris ministrare iubetur, aut vivorum Sacramentum recipere, caritatem simul iubetur habere, sine qua iniuria fieret Sacramento. Id firmatur auctoritate Alexandri VII, qui propositionem hanc n. XIV damnavit: *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit praecepto Ecclesiae;* et Innocentii XI, qui hanc n. LV confixit: *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem* (3). Quod et in *Codice pontificii iuris* explicito canone sancitum fuit (4).

(1) *Actiones quae ab homine aguntur illae solae proprie dicuntur humanae quae sunt propriae hominis in quantum est homo.* Ita S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. I, a. I. Ex quo sequitur, nedum voluntatis actus sed et intellectus humanis actibus esse adnumerandos. Theologis tamen placuit, quasi per antonomasiam, actus humanos eos appellare qui ex deliberata voluntate procedunt (vide S. Thomam, l. c.). Hoc animadverterant Alasia (*De act. hum.* diss. I, c. I) et Brocardus (*De conscientia*, a princ.). Vide, si non fastidis, quae de discrimine inter actum humanum, liberum et morale habet Rosmini (*Antropologia*, 568 et seq.; *Compendio di Etica*, 24-26), in quem, nomine reticito, stilum acuit Ballerinius (ad Gury, I, 1), rursumque, expresso nomine *in Opere theologico morali* (tr. *De actibus hum.*, 5-7). Intempestivum ducimus Ballerinii cavillationes refellere, cum alii id iamdiu praestiterint. Vide, si lubet, Gastaldi, I, diss. I pag. 1; Ferrè, *Degli universali*, vol. VIII, 1072, vol. IX, 1224; Missiaglia, *Osservazioni*, c. IX et opusculum cui titulus: *Natura e persona.*

(2) Suarez, *De leg.* l. II. c. X et l. III, c. XXIX; Reiffenstuel, *De leg.* dist. III, 44; Alasia, diss. IV, c. VIII; S. Alphonsus, I, 129; D'Annibale, 166.

(3) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. C, a. IX ad 1^{um}; S. Alphonsus, I, 126, ceterique omnes.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 907.

119. — Resp. ad III Q. Quamvis legislator per actum praeceptum subditos suos ad virtutem adducere velit, attamen non virtutem praecipit sed actum; quapropter qui actum praestat, etsi forte praestando peccat, id totum praestat quod lege praeceptum est; ideo legem implet vel certe non frangit. Hinc qui ieiunium agit ut parcat sumptibus vel continentiae gloriolam captet, qui Sacro interest ut amasiam conspiciat vel parentis voluntati obsecundet, praecepto satisfacit. — Dices: legislatoris finis est ut subditos bonos faciat, nempe ad eam virtutis speciem perducat ad quam praeceptum refertur; quocirca, nisi actus praeceptus per modum virtutis fiat, legislatoris voluntas frustratur, seu lex non impletur. — Ut huic difficultati occurramus, duplex distinguendus est legis finis, alter qui *intrinsecus* dicitur, alter qui *extrinsecus*. Intrinsecus, qui etiam *finis operis* vocatur, ille est qui ita inest in re praecepta ut, si desit, iam non praestetur actus qui praecipitur: v. c. divini Officii pensum et auditio Sacri ad cultum Deo exhibendum praecipiuntur, proinde ea animi reverentia peragenda sunt, qua Deo honor impendatur. Hinc si sacerdos divinum Officium legat ad fallendum tempus, si festo die quis adsit Sacro ut picturas et statuas oculis perlustret, hi profecto opus praeceptum non faciunt, quippe magis ludificare Deum videntur quam colere. Finis extrinsecus ille est quem legislator in praecepto ferendo sibi constituit, quique in ipsa re praecepta non inest. Cum legislator certum actum iubeat, non autem iubeat fiat ad talem finem (neque enim posset hoc in universum iubere, quia potestate caret interiores actus directe praecipiendi); idcirco qui actum praestat, praeceptum implet, quamvis non praestet ad eum finem quem sibi legislator proposuit. *Dicendum* (ita S. Thomas), *quod intentio legislatoris est de duobus: de uno quidem ad quod intendit per praecepta legis inducere, et hoc est virtus. Aliud autem est de quo intendit praeceptum ferre, et hoc est quod ducit vel disponit ad virtutem, scilicet actus virtutis. Non enim idem est finis praecepti et id de quo datur praeceptum; sicut neque in aliis rebus idem est finis et id quod est ad finem* (1). Ex his patet veritas illius axiomatis: *Finis praecepti sub praecepto non cadit* (2).

120. — Resp. ad IV Q. Ad implendum praeceptum requiritur intentio, hoc est voluntas praestandi opus praeceptum, secus humano modo opus non fieret; non autem requiritur voluntas satisfaciendi praecepto, cum haec voluntas lege non praecipiatur. Aliis verbis: legislator id unum iubet, praestes opus praeceptum; quod si praestiteris humano modo, iam praecepto satis fecisti. Immo communissime docent, impleri praeceptum etiamsi opus praestes voluntatem habens non satisfaciendi: nam eo praestito quod lex iubet, legis obli-

(1) I^{a} II^{ae}, q. C, a. IX, ad 2^{um}.

(2) Reiffenstuel, 48-50; Sporer, tr. I, c. III, 49; Bonacina, *De leg.* disp. I, q. I, p. X; Alasia, l. c.

gatio solvitur. Excipe si peculiari legis iussu id cautum sit, vel ex voluntate tua obligatio initium capiat: ut puta si actio ad indulgentiam lucrandam, vel ad sacramentalem poenitentiam, vel ad votum promissumve servandum sit referenda (1).

121. — Resp. ad V Q. Dormiens Anselmus ieiunium non fregit, nihil enim egit contra praeceptum quod negativum est. Si preces horarias recitanti omnino defuit mentis attentio ad orandum necessaria, praecepto non satisfecit, quippe non oravit. Putans vero non impleri praeceptum deficiente habituali caritate, erravit quam qui maxime. Ceterum si Sacro interfuit rite, nempe orans, praeceptum servavit, etsi ob patris metum interfuit, etenim id totum praestitit quod praestandum erat: secus si in audiendis musicis concentibus totus fuit. Demum horariarum precum pensum non persolvit, quia non lectio aut studium, sed actus divini cultus, oratio videlicet, praecepta est.

XXXIV.

Crassus et Macer ieiunii lege se liberos iactant: ille quia expertus didicit, frugi victum sibi multum corporis facere, cumque finis legis sit macerare carnem, idcirco *corruente legis fine, lex ipsa corruat necesse est;* hic quia inedia confectus noctes ducit insomnes pravisque imaginibus inquietas, porro *ob grave incommodum legis humanae vincula relaxantur.* Prudentius diebus ieiunii interdum panis frustulis et liquidis sorbitionibus vires reficit languidas, exquisitis dapibus mensam instruit, coenamque ad multam horam industrius producit, sicque ieiunii legem se belle implere putat, nam tralatitium est *finem praecepti sub praecepto non cadere.*

Quaeritur I°. An et quatenus vera sint apophtegmata recitata?

Q. II°. An iure, Crassus, Macer et Prudentius eadem ad se rapiant?

Quaestionum solutio.

122. — Resp. ad I Q. Sat erit ea quae disertius iam sumus locuti (n. 115) ad compendium conferre, ut statim pateat an et quatenus recitata apophtegmata sint vera.

Et I° finis legis bifariam deficere contingit, *contrarie* scilicet et *privative* (utrumque autem *adaequate* vel *inadaequate*). Si finis legis contrarie deficit (sive adaequate sive minus), item si privative simul et adaequate, lex cadit, quippe quae noxia fit vel inutilis ac propterea vim legis amittit. Secus vero si privative finis deficit, inadaequate

(1) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. CIV, a. III, ad 2^{um}; et I^{a} II^{ae}, q. XCVI, a. III, ad 2^{um}; Reiffenstuel, 43-46; Laymann, l. I, tr. IV; Suarez, l. III, c. XXIX; Bonacina et Alasia, ll. cc.; S. Alphonsus, I, 127, 128; D'Annibale, I, 166; Sebastiani, *Summarium,* 32.

tamen, quia lex adhuc utilis in universum habetur. Hinc patet quo sensu illud accipiendum: *Corruente legis fine, lex ipsa corruat necesse est.*

II°. Quum grave incommodum extrinsecus obvenit (hoc est suapte veluti natura in re praecepta non inest), obligatio legis generatim solvitur, non enim censetur legislator velle onus imponere, cui perferendo communes subditorum vires impares sunt. Diximus *generatim* obligationem solvi: nam quandoque ipso iure naturae ad humanam legem etiam cum gravi incommodo servandam impellimur, ut puta si legis violatio in legislatoris contemptum cedat, vel offendiculum ceteris aut reipublicae damnum importet. Ex his videre licet quo sensu verum sit illud: *Ob grave incommodum legis humanae vincula relaxantur* (recole dicta n. 111).

III°. Quum de fine agitur quem sibi legislator constituit, quin necessario rei praeceptae inhaerescat, qui opus praestat satisfacit legi: nam legislator, (quemadmodum paulo supra iam vidimus) iubet fiat opus, non autem ob finem illum fiat propter quem illud praecepit. En quo sensu verum est effatum: *Finis praecepti sub praecepto non cadit.*

123. — Resp. ad II Q. I°. Quum ieiunii lex non eo tantum spectet ut caro maceretur, sed etiam ut temperantiae virtus colatur, ut admissorum luatur poena, mensque nostra faciliori gradu ad Deum assurgat, in aperto est finem legis neque contrarie neque privative adaequate deficere eo quod Crassi caro ieiunio non tenuatur; propterea nullo iure Crassus illud ad se rapit: *Corruente legis fine, lex ipsa corruat necesse est.*

II°. Ut rectum de Macro feramus iudicium videndum in primis, adeone frequentes, diuturnae ac molestae sint vigiliae ut multum incommodare censeantur; an pravae imagines grave proximumque concludant peccandi periculum; praeterea nullane ratione aut aegre tantum haec incommoda submoveri queant, saepe enim fit ut copiosiori sumpto cibo, aut hora coenae mutata, incommoda evanescant. His ponderatis, prudens quisque iudicabit rectene an minus a Macro illud usurpetur: *Ob grave incommodum legis humanae vincula relaxantur.*

III°. Etsi praecepti finis sub praecepto non cadit, vehementer timendum ne praecepto ipsi Prudentius deficiat. Nam et liquidis potionibus quae cibi magis quam potus rationem habeant (ut puta si lacteae sint vel ex iusculo confectae), ieiunii lex violatur (1). Item et frustulis panis ieiunium frangitur; et quamvis, si raro fiat, possit hoc gravi culpa vacare (immo et levi, si fiat probata de causa), cavendum

(1) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. CXLVII, a. VI, ad 2^{um}; Lessius, l. IV, c. II, 11; Laymann, l. IV, tr. VIII, c. I; S. Alphonsus, III, 1021; D'Annibale, III, 131.

tamen ne voluptatis studium causam mentiatur (1). Opime et opipare mensam instruere, dumne fiat epulis interdictis, ieiunii legem non subvertit, quae vetat quidem certa ciborum genera, non tamen quamlibet lautitiam quaerere: quod planum est. Demum coenae studiosa productio potest in ieiunii legem offendere, bis enim terque coenare videtur qui data opera in multam horam coenam producit. Verum huiusmodi non censetur refectio quae sesquihorae spatio absolvitur vel ad summum duas horas attingit (2). Quae cum ita sint, Prudentii culpam ne facile diluas futilemve prudentiam commendes, qua ad fucum faciendum et gulae cupiditates celandas illud obtendit: *Finis praecepti sub praecepto non cadit.*

IN TRACTATUM
DE PECCATIS

XXXV.

Valerius, aliquot abhinc annis pietati deditus, nonnullis angitur dubiis, quae Ambrosio theologiae doctori hisce pandit verbis: « Puerulus plura contra castitatem admisi quae numquam sacerdoti confessus sum, quia eorum pravitatem non animadverteram. Adolescens incidi ebrietatis vitium, quin unquam confessus fuerim verba blasphema et contumeliosa quae ebrius proferre solebam. Post vero quam ebrietatis vitio me expedivi, semel adhuc vino correptus hominem verberavi, quin malum facinus Poenitentiae Sacramento expiarem. Nunc vero concupiscentiae motus, seu dormiens, seu semisomnus, identidem experior; quibus consenserim vel minus, deinceps animi pendeo. Age dic, peccaverimne et debeam haec omnia sacerdoti confiteri?

Quaeritur I°. Quid est peccatum et quotuplex peccati divisio?

Q. II°. Quodnam peccatum inter et culpam discrimen intersit?

Q. III°. An ad peccatum cognitio, advertentia et consensus aeque sint necessaria?

Q. IV°. Quodnam de propositis sibi a Valerio iudicium feret Ambrosius?

(1) Laymann; S. Alphonsus, III, 1018; D'Annibale, l. c.; Bonacina, *De praec. Ecclesiae,* disp. ult., q. I, p. III, 4; Viva (in prop. XXIX ab Alexandro VII damnatam): Voit, I, 992, 1001.

(2) S. Alphonsus, III, 1020; Gousset, I, 295; D'Annibale, l. c. De his disertius in tractatu *De Ecclesiae praeceptis,* n. 247.

Quaestionum solutio.

124. — Resp. ad I Q. I°. Theologi morales, qui peccatum ceu actum malum libera voluntate patratum spectare solent, hisce fere verbis illud definiunt: *Peccatum est libera divinae legis trasgressio* (1). Quae definitio bona est et illis consona quas SS. Ambrosius (2), Augustinus (3) et Thomas tradiderunt (4). At peccati notio latius patet, quippe quae non actum solum sed et habitum voluntatis malum complectitur; quapropter si peccatum omne genus definitione concludere velimus, sic eam efferre possumus: *Peccatum est aberratio ab ordine rationis, seu voluntatis aversio a Deo.* Sane ad rationem omnium peccatorum hoc pertinere in aperto est. *De ratione generali et communi omnium peccatorum*, ait Suarez, *solum hoc videtur considerandum in eo convenire, quod omnia continent aversionem aut deordinationem voluntariam ab ultimo fine* (5). Et S. Thomas: *In moralibus peccatum attenditur per deviationem ab ordine rationis ad finem communem humanae vitae* (6). Et rursus: *Defectus peccati consistit in aversione a Deo* (7).

II°. Hinc 1° peccati divisio in *actuale*, quod est malus actus voluntatis transiens; et *habituale*, quod est malus habitus permanens, de quo Christus: *Peccatum vestrum manet* (8). 2° Habituale diducitur in *originale* et *personale*: illud, quod generatione contrahitur, et quamvis personam afficiat, quippe quod *inest unicuique proprium* (9), attamen libera nostra voluntate non fuit admissum: hoc, quod libera cuiusque voluntate patratum fuit, propterea personae imputatur ad culpam. 3° Ratione gravitatis actuale peccatum dispertitur in *mortale*, quod auferens divinam gratiam caritatem extinguit, animam a Deo divellit eique infert mortem; et *veniale*, seu *leve*, quod cum divina gratia consistere potest. 4° Ratione praecepti negativi vel affirmativi in quod delinquitur, peccatum *commissionis* et *omissionis* habetur. 5° Ratione potentiarum quibus actus malus perficitur, peccatum erit *cordis*, *oris* et *operis*. 6° Ratione causae seu radicis ex qua progignitur, peccatum *ignorantiae, infirmitatis* et *malitiae* nomen accipit. 7° Ratione inordinatae delectationis qua homo ad peccandum allicitur et in qua consummatur, distinctio peccatorum erit in *carnalia* et *spiritualia*. 8° Ex diversitate officiorum, quorum alia Deum, alia nos

(1) S. Alphonsus, V, 1.
(2) Lib. *De Paradiso*, c. VIII.
(3) *Contra Faustum*. l. XXII, c. XXVII, et l. II, *De consensu Evang.* c. IV.
(4) I^{a} II^{ae}, q. LXXI, a. VI.
(5) *De peccatis*, disp. I sub initio.
(6) I^{a} II^{ae}, q. XXI, a. II, ad 2^{um}.
(7) II^{a} II^{ae}, q. XXXIV, a. II.
(8) Ioan. XVI, 41.
(9) Conc. Trid. Sess. V, *De pecc. orig.* can. III.

alia ceteros respiciunt, peccata dispesci solent in peccata *contra Deum*, *contra nos*, *contra proximum*. 9° Ratione virtutum in quas peccando offendimus, quaeque specie inter se discriminantur, multiplex adest peccatorum diversitas, veluti *impietatis iniustitiae*, *incontinentiae*, etc. 10° Ad extremum, quia in virtutibus exercendis certi sunt fines,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum,

qui ab illis finibus peccando deficit, *per defectum* peccare dicitur: qui vero eos transilit, *per excessum* (1).

125. — Resp. ad II Q. Cum de peccato culpabili plerumque theologi sermocinentur, promiscue vocabula *peccatum* et *culpam* usurpare solent; at quia verborum proprietati quoad eius fieri potest studendum, maximi refert dispicere in quo peccatum discriminatur a culpa. Peccatum est omne malum morale, seu necessarium seu liberum; culpa vero est illud tantum quod a libera voluntate proficiscitur, quod proinde sive *in se*, sive *in causa* agenti imputatur (2). Ex quo liquet peccati notionem latius patere quam culpae. Audiamus theologorum principem. *Sicut malum est in plus quam peccatum*, ait S. Thomas, *ita peccatum est in plus quam culpa. Ex hoc enim dicitur actus culpabilis vel laudabilis quod imputatur agenti, nihil enim est aliud laudari vel culpari quam imputari alicui malitiam vel bonitatem sui actus. Tunc enim actus imputatur agenti, quando est in potestate ipsius, ita quod habeat dominium sui actus. Unde relinquitur quod bonum vel malum in solis actibus voluntariis* (*liberis* nempe) *constituit rationem laudis vel culpae, in quibus idem est malum, peccatum et culpa* (3). Auctoritati tanti Doctoris placet perinsignis theologi Dionysii Petavii testimonium subiicere. *Potest peccatum dici actio quaelibet quae ad ultimum finem non refertur, eoque ipso ab eo deficit; nec tamen imputatur in culpam, nisi ex deliberatione et libera voluntatis electione procedit* (4). Et *Catechismus Romanus* peccata distinguit quae *originis vitio* contrahuntur ab iis quae sunt *nostra culpa* contracta (5).

Dices fortasse: originale peccatum et culpae nomen obtinet, quamvis in Adae posteris necessarium sit neque libera voluntate contractum. —

(1) Videndus Rosmini, *Antropologia soprannaturale*, vol. II, append. II, 25-29.

(2) Cum dicimus omne malum morale peccatum esse, *peccati* vocabulum latissimo sensu accipimus, quo sensu Paulus Apostolus concupiscentiam etiam in renatis iterato *peccatum* appellat (*Rom.* VII, 17,20): sensu tamen minus lato magisque usitato *peccati* nomine illud tantum venit quod *mors est animae*, ut Tridentini Concilii (Sess. V, can. II) usurpemus verba. Vide sis Rosmini, op. et l. cit., et *Il finto Eusebio*, nn. LXXVIII, LXXXVI.

(3) I^{a} II^{ae}, q. XXI, a. II, cf. *De malo*, q. II, a. II.

(4) *Elenchus theriacae Vincentii Lenis*, c. XXVII.

(5) *Catechismus Romanus*, p. II, c. II, n. 44.

Ita porro, quum ad liberam Adae voluntatem refertur cui imputatur: secus vero non. Hinc S. Thomas: *Originale peccatum, cum sit peccatum naturae, est quaedam inordinata dispositio ipsius naturae, quae habet rationem culpae in quantum derivatur a primo parente* (1). Cui concinit S. Bonaventura: *Quod originale peccatum sit culpa, hoc habet quia processit a voluntate Adae* (2). Quae distinctio maximi momenti est ad catholicam de peccato originali doctrinam integram et intaminatam servandam (3).

126. — Resp. ad III Q. Cognitionem et consensum ad peccandum requiri aperta res est, nam in peccati notione utrumque continetur. Sane consensus nihil aliud est quam elicitus voluntatis actus quo malum appetit; voluntas autem, quippe quae activa intellectus facultas est, nihil potest appetere nisi praeeunte intellectus cognitione.

Gravis de advertentia fit quaestio, an *actualis* ad peccatum sit necessaria. Negant plures, contendentes *virtualem* et *interpretativam* sufficere, quam in eo constituunt ut quis possit ac debeat animum ad aliquid advertere, licet in praesenti non advertat. Multo plures affirmant hac potissimum ratione ducti, quod *nihil est volitum quin sit praecognitum*. Verum, si quid videmus, ratiocinatio haec aequivocatione laborat: aliud namque est *cognoscere*, aliud *advertere*: cognitio per actum intellectus directum haberi potest, advertentia seu consideratio ad actus reflexos pertinet, qui directum subsequuntur; illa ad actum voluntatis prorsus est necessaria, haec in quaestionem venit. Sancti Alphonsi vestigia prementes mediam quodammodo ingrediemur viam, qua oppositae conciliantur sententiae. Et I° *si dicatur* (ipsissima S. Doctoris verba liceat usurpare) *ad omnia peccata mortalia necessario exposci actualem et expressam advertentiam, hoc utique falsum est* (4). Actualem considerationem non semper esse ad peccan-

(1) I^{a} II^{ae}, q. LXXXII, a. I, ad 2^{um}.

(2) In III *Sent.* dist. XX, a. I, q. IV.

(3) Discrimen inter peccatum et culpam, quod neoterici quidam evertere conati sunt, strenue asseruit vindicavitque A. Rosmini. Videsis haec opera: *Principii della scienza morale*, c. VII, a. III; *Antropologia*, 886, 887; *Coscienza*, 74-78; *Il finto Eusebio*, c. I et II; *Le nozioni di peccato e di colpa: Antropologia soprann.*, append. cit. Cf. etiam Pestalozza, *Compendium philosophiae, Ethicae* l. I, 120-125; Fasolis, *Specimen totius systematis philosophici*, vol. II, 997, 998; Casara, *Il peccato originale secondo la dottrina cristiana*, n. 44, *Peccato e colpa:* Ferrè, *Degli universali*, vol. VIII, 1107, 1108. At Ballerini, nihil pensi habitis multigenis tum auctoritatis tum rationum momentis quibus Rosminius distinctionem hanc communivit, aeruginosis armis illum rursus aggreditur, atque *insignis fallaciae* criminatur (*Op. theol. mor.* tr. *De peccatis*, 2-13). Eandem distinctionem, novissime a Ballerinii sectatoribus acriter impetitam, asseruit, Filalete, opusculis quae superius memoravimus, n. 78 nota.

(4) S. Alphonsus, V, 4.

dum necessariam hisce argumentis, quae vocant *ab absurdis*, Suarez demonstrat. Si haec consideratio necessaria esset, nemo unquam peccaret graviter nisi in actu peccati cogitaret se Deum graviter offendere: hoc autem pauci cogitant, de voluptate, vindicta, utilitate capienda unice solliciti. Item nemo in illa venialia peccata incideret quae *indeliberata* vocantur; quippe quae ex subreptione fiunt quin actualis consideratio intercedat, quum tamen exploratum sit et homines sanctos in haec peccata prolabi. Demum nemo peccaret nisi remordente conscientia, ex inconsiderantia enim fit ut conscientia non mordeat: attamen saepissime homines peccant quin conscientiae morsu crucientur; et Paulus ait: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum* (1). Ex his conficitur, actualem advertentiam non semper ad peccatum requiri (2). Dicimus II°, actualem advertentiam tunc non requiri, quum ipsa inconsiderantia voluntaria est atque culpanda. Quod bifariam contingit; nempe *directe*, quum quis explicito ac libero voluntatis actu a considerando refugit; *indirecte*, quum quis ob desidiam non advertit, vel ob passionem cui libens volens indulget, vel ob pravum habitum cui exuendo nullatenus studet (3). Hisce in eventibus, peccata quae sine actuali advertentia quis admittit, quasi effectus liberae causae a qua proveniunt, culpantur *in causa*, hoc est pro praevisionis modo imputantur ei qui libere causam posuit. Hinc de blasphemo et periuro ob pravum habitum S. Alphonsus ait: *Si habitum illum extirpare non studuerit, tunc est voluntarius in causa dum periurat, blasphemat* etc. *et ideo non excusatur a culpa* (4). Et S. Thomas: *Blasphemia potest absque deliberatione ex surreptione procedere, quod potest contingere cum aliquis subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit quorum significationem non considerat; et tunc est peccatum veniale* (5). III°. Quod si actualis advertentiae defectus neque in se neque in causa voluntarius fuerit, actus imputari nequit ad culpam, quippe qui ex libera voluntate nullo modo procedit.

Ad dictorum complementum quaedam animadvertimus: 1° Peccata quae ex culpabili inconsiderantia proveniunt, ac propterea in causa imputantur, eatenus imputantur quatenus sunt praevisa; 2° revocata causa per poenitentiam, effectus qui sequuntur iam nequeunt imputari; 3°. saepissime ab iis qui ex pravo habitu vel ciente passionis vi

(1) II *Cor.* IV.

(2) *De voluntario et involunt.* disp. IV, sect. III.

(3) Suarez, l. c.; Reginaldus, *Praxis*, l. XV, 75; Natalis Alexander, l. III, *De peccatis*, c. IV, c. I, Regula LXXV; Alasia, *De peccatis*, dis. I, c. VII, a. I; Antoine, tr. *De peccatis*, c. II, q. IV; Gazzaniga, *De actibus humanis*, diss. II, c. II; Rosmini, *Coscienza*, 301-305; Costantini, 170.

(4) S. Alphonsus, V, *De actibus hum.*, a. II, § 1.

(5) II^{a} II^{ae}, q. XIII, a. II, ad 3^{um}.

malum agunt non omnis actualis advertentia exulat, etsi leve eiusdem vestigium in eis remaneat: quod monet et S. Alphonsus (1).

127. — Resp. ad IV Q. Si Valerius suorum actuum foeditatem ignoravit [quod in puerulis evenire potest (2)], vel si cognovit quidem sed per inculpabilem inconsiderantiam non advertit, profecto culpabiliter non peccavit; secus vero si inconsiderantia directe vel indirecte voluntaria fuit. Verba blasphema et contumeliosa, ante ebrietatem praevisa, in causa libera pro praevisionis modo culpanda sunt atque imputanda; revocata autem mala voluntate per poenitentiam vitioque depulso, iam desinunt imputari, nisi forte cum aliqua actuali imperfecta advertentia fuerint prolata. Idem dic de hominis percussione, quae praeter voluntatem evenisse videtur. Quod demum attinet ad concupiscentiae motus quos dormiens expertus est, hi culpa vacant, dormientis enim voluntas libertate caret. An vero culpa vacent quae expertus est semisomnus et de quibus angitur animo, dubitatio ex his quae communiter contingunt excuti potest: nempe ei qui pius ac bene moratus hisce motibus dum vigilat obsistere solet, praesumptio favet; ei contra qui vigilans facile obsecundat, praesumptio nocet (3). De Valerio autem aliquot abhinc annis pietati dedito bene presumere licet, nempe eius consensum defuisse, vel saltem non fuisse plenum atque perfectum, quemadmodum ad grave peccatum requiritur. Post haec nihil negotii erit Ambrosio iudicare ex quo capite Valerii confessiones defecerint et quo remedio sit illis consulendum.

XXXVI.

Faustinus quotidiana mendacia proferre parvaque furta identidem patrare solet: violentis irae motibus saepe abreptus contumeliosa verba in Deum hominesque eructat, quae tamen illico detestatur: quae de Tobiae cane in SS. Literis leguntur, ceu ineptum Deoque indignum

(1) S. Alphonsus, V, l. c. Iuverit ea perlegere quae diserte scribit Rosminius, ut conficiat posse moralem actum sine conscientia (ideoque et sine actuali advertentia) consistere. *Coscienza*, 40-71, 304-306, 326; *Razionalismo*, 212. Vide etiam Pestalozza, *Le postille di un anonimo*, c. V, a. I, *Compendium philosophiae*, *Ethicae*, l. I, 136; Missiaglia, *Osservazioni*, ecc. c. IV; Ferrè, *Degli universali*, vol. IX, 1227-1231. In hanc quoque doctrinam, tamquam a sensu communi abhorrentem, debacchatur Ballerinius (ad Gury, I, 36 et *Op. theol. mor.*, tr. *De conscientia*, 5-7), qui pium insignemque philosophum *arrogantiae, stultitiae, fallaciae* insimulare non verecundatur. Recole etiam quae alias diximus de actuum imputabilitate ac de effectibus ignorantiae (nn. 2, 10, 22). Doctrinam de advertentia a nobis traditam fusius explicat Filalete opusculis paulo ante memoratis.

(2) S. Alphonsus, I, 172.

(3) Reiffenstuel, *De pecc.* dist. II, 12; Sporer, tr. I, c. V, *De pecc.* 12; La Croix, *De pecc.* 226; S. Alphonsus, VI, 476; Voit, I, 297, aliique communiter.

semel risit: semel etiam de sempiterna sui salute desperavit: demum plura que contra Dei providentiam sibi obversabantur non statim a se repulit, fortasse quia mente distractus vel somnolentus, propterea in ancipiti manet de praestito iis consensu. Quae omnia secum ipse revolvens gravi angitur dubio an lethaliter haec agendo peccaverit.

Quaeritur 1°. Quodnam est discrimen inter mortale et veniale peccatum?

Q. II°. An et qua ratione peccatum mortale dignosci queat?

Q. III°. An et quatenus peccatum ex genere suo mortale in veniale transferri possit?

Q. IV°. Quid de gravitate singulorum quae Faustinus patravit iudicandum?

Quaestionum solutio.

128. — Resp. ad I Q. Si dicis, ut plerumque solet, mortale peccatum hoc nomine a veniali differre quod alterum caritatem extinguit, in qua est animae vita, alterum vero non estinguit ideoque mortiferum non est, recte dicis; attamen discrimen hoc, ab effectibus petitum, essentiam seu naturam utriusque peccati non pandit. Quorum naturam propius rimantes, nonnulli cum Scoto dixerunt mortale peccatum contra legem esse, veniale contra consilium, vel cum S. Bonaventura et Alensi praeter legem. Verum, si haec stricto sensu accipiantur, nullo pacto probari possunt: nam *ubi non est lex, nec praevaricatio* (1). Communius docent, discrimen inter utrumque peccatum exinde petendum esse, quod per mortale voluntas avertatur a *fine* supremo, Deo nempe, et finem in iis constituat quae ad finem ducunt, quaeque *media* vocantur; per veniale autem, servato fine, voluntas inordinate seu minus convenienter ea appetat quae ad finem sunt, quin tamen ea loco finis sibi proponat (2). Quae est Aquinatis doctrina: *Differentia peccati venialis et mortalis consequitur diversitatem inordinationis quae complet rationem peccati. Duplex enim est inordinatio: una per subtractionem principii ordinis; alia qua, etiam salvato principio ordinis, fit inordinatio circa ea quae sunt post principium... Principium autem actus totius ordinis in moralibus est finis ultimus... Unde quando anima deordinatur per peccatum usque ad aversionem ab ultimo fine, scilicet Deo, cui unimur per charitatem, tunc est peccatum mortale: quando vero fit deordinatio citra aversionem a Deo, tunc est peccatum veniale* (3). Quod si paulisper philosophum agere

(1) *Rom.* IV, 15.

(2) Navarrus, *Enchir.* praelud. VII, 11; Reginaldus, *Praxis*, l. XV, 21, 22; Suarez, *De pecc.* disp. II, sect. V; Reiffenstuel, *De pecc.* dist. II, 4; Sporer, tr. I, c. V, 5, 6; La Croix, *De pecc.* 207; Natalis Alexander, l. III, *De pecc.* c. I, a. IV; Lehmkuhl, I, 336; Ferreres, *Epitone*, 135; Sebastiani, *Summarium*, 62. Vide Rosmini, *Compendio di Etica*, 146-150.

(3) I^{a} II^{ae}, q. LXXII, a. V.

maluerimus quam theologum, dicere possumus, mortale peccatum directe ens ipsum impetere, cuius intrinsecum ordinem funditus subvertere nititur; veniale autem, hoc ordine servato, circa entis accidentia seu modum versari, quibus aliquid detrahit. Id innuisse videtur S. Thomas his verbis: *Divisio peccati in mortale et veniale non est divisio generis in species, quae aequaliter participant rationem generis, sed analogi in ea de quibus predicatur secundum prius et posterius: et ideo perfecta ratio peccati convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale, sicut* **accidens** *dicitur ens in ordine ad* **substantiam** *secundum imperfectam rationem entis: non enim est contra legem, quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec praetermittit id ad quod lex per praeceptum obligat* (intellige hoc sensu, quod veniale non ita adversatur legi ut eius finem subvertat), *sed facit praeter legem, quia non observat* **modum rationis** *quem lex intendit* (1). Vides, discrimen inter mortale et veniale peccatum illi comparari quod inter *substantiam* et *accidens* intercedit, seu inter *ens* et *modum entis*.

129. — Resp. ad II Q. Quaenam peccata mortifera sint, Augustino auctore, *difficillimum est invenire, periculosissimum definire* (2); sunt tamen criteria quaedam extrinseca et intrinseca quibus mortalia peccata a venialibus licet internoscere. Criteria extrinseca haec sunt. I°. Ecclesiae Maximique Pontificis iudicium: nam Ecclesia *columna est et firmamentum veritatis* (3), R. autem Pontifex in morum doctrina tradenda, quum ex cathedra loquitur, falli nescit. II°. Sacrae Literae, quippe quae Dei verbum continent. Quum SS. Literae crimina quaedam execranda vel abominanda declarant, vel eadem patrantibus graves poenas minitantur, veluti si eos morte dignos vel gehennae reos pronunciant, perspicuum est eiusmodi crimina esse mortalia; secus vero quum mitioribus utuntur verbis. III°. Etiam Ecclesiae traditione divinum verbum continetur: traditionis autem testes potissimi sunt SS. Patres: quare si Patres concordi iudicio quidquam mortale peccatum esse definiant, iam non licet ab eorum iudicio discedere, quod certissimum est. IV°. Unanimis theologorum sententia aliud nobis suppetit veritatis indicium: quum enim id quod morales theologi uno ore docent ceu regula morum tutissima ab Ecclesia habeatur, unanimi theologorum auctoritati nisi temere hac in re quispiam refragaretur. V°. Criterium intrinsecum est humana ratio, praesertim fidei lumine illustrata. Nempe duplex inordinationis genus in humanis actibus ratio percipit: aliud grave, quo entis ordo sus deque vertitur; aliud leve, quod quamquam ab entis ordine quadantenus deflectit,

(1) I^{a} II^{ae}, q. LXXXVIII, a. I, ad 1^{um}. Vide etiam q. LXXVII, a. V.
(2) *De civitate Dei*, l. XXI, c. XXVII.
(3) I *Tim.* III, 15.

illum tamen non pervertit. Ad primum genus ea pertinent quae Deo eiusque attributis directe adversantur, cuiusmodi sunt incredulitas, desperatio, odium Dei, blasphemia, periurium; item quae gravem inferunt iniuriam proximo, veluti homicidium, mutilatio membrorum, famae detractio; item quae in grave humanae naturae dedecus aut nocumentum vergunt, ut puta ebrietas perfecta, luxuria. Ad secundum genus ea spectant quae gravem iniuriam aut nocumentum nec sibi nec alteri inferunt, veluti inepta laetitia, multiloquium, immodicus somnus, exquisitior corporis cultus, cibi potusve nimietas (1). Ad gravitatem autem peccati contra positiva praecepta dignoscendam inspicere iuvat (quod monuimus alias) tum rei praeceptae naturam, cum praecipientis mentem. Ceterum cave ne quidquam letiferum definias quin id compertum atque perspectum habeas, hoc enim maxime periculosum est (2).

130. — Resp. ad III Q. Ut huic responsioni nobis complanemus viam duo prae oculis sunt habenda. I°. Triplex mortalium peccatorum distinctio est: alia quippe dicuntur *ex genere suo toto*, quia eorum materia parvitatem non recipit, scilicet quia in eius vel minima parte gravis inest inordinatio seu aversio a fine (eiusmodi sunt peccata quae theologalibus virtutibus adversantur); alia sunt mortalia *ex genere suo simpliciter*, quorum materia gravem quidem in seipsa inordinationem continet quin aliunde recipiat, potest tamen adeo minui ut inordinatio levis evadat (eiusmodi sunt peccata quae iustitiam vel caritatem in proximum laedunt): alia demum *ex accidenti* mortalia dicuntur, quae nempe nullam in se gravem inordinationem continent, sed ex adiunctis illam mutuantur, quibus ad grave aliquod praeceptum laedendum pertrahuntur (3).

II°. Ut mortale peccatum quis admittat quatuor haec requiruntur: 1°. materiae gravitas, quae enim undequaque levis est, fundamentum gravis obligationis constituere nequit; 2°. cognitio pravitatis gravis actum inficientis, nequit enim voluntas illud velle quod ignorat; 3°. huius pravitatis advertentia (eo sensu quem paulo ante explicuimus n. 126); 4°. plenus seu perfectus consensus, quo tantum voluntas se ipsam a supremo fine libere avertere censetur. Haec apud omnes etiam rigidiores sunt accepta (4).

131. — His positis, ad quaestionem nostram progredientes dicimus, quadruplici ex capite mortale peccatum in veniale posse transferri. 1°. *Ex materiae parvitate:* nam praecepti gravitas pro modo rei sit oportet, secus a recta ratione praeceptum alienum esset: hoc tamen

(1) Sporer, l. c., 7, 8.

(2) S. Thomas, *Quodlib.*, IX, a. XV; S. Alphonsus, V, 52.

(3) Vide Busembaum apud S. Alphonsum, V, 52; Sporer, l. c., 9.

(4) S. Alphonsus, V, 53; Bonacina, *De pecc.* disp. II, q. II, p. III; Antoine, c. II, q. II; Contenson, diss. I, c. II, spec. III; Cuniliati, c. I, § V.

palam est in iis tantum contingere posse quae mortalia non sunt ex genere suo toto, nam mortalia ex genere suo toto materiae parvitatem recipere non valent. 2°. *Ex cognitionis defectu*: qui enim sine sua culpa gravem foeditatem actus non percipit, eadem infici nequit. Huc revocatur erronea et inculpata conscientia, qua quis leve esse iudicat quod grave est. 3°. *Ex imperfecta advertentia*, quippe, advertentia quoquomodo deficiente, minuitur agentis libertas. 4°. *Ex imperfecto consensu*, quo fit ut voluntas non plene adhaereat malo, ideoque tota pravi obiectus foeditate non imbuatur.

132. — Resp. ad IV Q. Eo tantum nomine quod veniale peccatum multiplicetur, ad mortale nunquam pertingere potest, alterum enim ab altero in immensum distat. Hinc Faustini quotidiana et levia mendacia, ut ut multiplicentur, gravia non fiunt. Idem de furtis sentiendum, nisi re ipsa aut furantis proposito coalescant, ut in proximiore facti specie discutienda dicetur. Verba contumeliosa ex subito irae motu prolata possunt quandoque ad actus quos *primo-primos* appellavimus revocari, quandoque ad actus *secundo-primos*: videndum propterea an et quatenus irae vehementia liberum voluntatis actum interceperit minueritve consensum. Quod tanquam ineptum quiddam Deoque indignum ea riserit quae de cane Tobiae SS. Literae narrant, si ideo risit quia verbo Dei in SS. Literis contento sciens prudens fidem detrectavit, profecto graviter in Deum peccavit, nam *omnis Scriptura divinitus inspirata* (1). Item si sciens prudens de sempiterna sui salute desperavit, in spem theologicam graviter deliquit. In eo demum quod oscitanter se gessit in malis cogitationibus repellendis quae sibi contra Dei providentiam obversabantur, advertentia et consensus videntur ex parte defuisse, propterea ad dubium solvendum optime facit regula quam in superiore facti specie tradidimus, ex praesumptione ducta (n. 127).

XXXVII.

Rabanus sacerdos, agrorum cultui maxime deditus, quotidie psalmos aliquot in canonicis horis persolvendis praetermittit, quo liberius excolendis agris ceterum impendat diem. Quumque et ipse manu sua nonnunquam terram fodiat, diebus ieiunio sacris identidem bolos panis est ut se reficiat, ceteris rem aspicientibus ac demirantibus: quocirca a suo Episcopo monetur, immo iubetur ut sibi caveat; ipse tamen, Episcopi iussu nihil pensi habito, a consueta agendi ratione ne latum quidem unguem discedit. Ad haec cum rusticis viris feminisque sermones miscet ex quibus deinceps graves sibi tentationes periculique plenas oriri compertum habet. Demum, mala suadente cupiditate, de pacta cum iisdem mercede quidquam singulis hebdomadis decerpere

(1) II *Tim.* III, 16.

solet. Haec autem sine piaculo peragi posse Rabanus autumat, ratus levia peccata nunquam ad mortale trahi posse, quippe quae in infinitum distant.

Crispinus sutor amico sutori crepidarium cultellum clepsit, sine quo artem suam exercere amicus nequibat; festis diebus per aliquot horae quadrantes intercise caligis reficiendis dat operam, subinde magnam diei partem taxillis ludit; quumque vehementissimo ludi desiderio teneatur, ita comparatus est animo ut, nisi certam pecuniae summam ludendo lucratus fuerit, Sacro interesse nolit; quo autem facilius victor evadat, socios decipere mendaciis non veretur.

Quaeritur I°. An et quatenus veniale peccatum in mortale possit transferri?

Q. II°. Quid de Rabano et Crispino in singulis factis censendum?

Quaestionum solutio.

133. — Resp. ad I Q. Quaestio haec, in speciem una, in trinam scinditur: nam quaeri potest: I°. an veniale peccatum per multiplicationem actus in mortale transire queat: II°. an ex accidenti: III°. an actus, idem numero manens, maiore accedente voluntatis efficientia, possit ex veniali in mortale mutari. Trinae quaestioni distincta debetur responsio.

134. — I°. Venialia peccata, ut ut multiplicentur, nequeunt in mortale transferri. *Ea quae differunt in infinitum*, ita ratiocinatur Aquinas, *non transmutantur in invicem: sed peccatum mortale et veniale differunt in infinitum, ergo veniale non potest fieri mortale* (1). Re enim vera mortale peccatum avertit hominem a fine subvertitque ordinem; veniale contra, *etsi in aliquo recedat ab ordine legis* (verbis rursus utamur Angelici Doctoris), *non tamen ipsum corrumpit* (2), propterea a fine non avertit, in qua aversione mortale situm est.

Dices: minuta furtula saepius ingeminata ad grave peccatum pertingere possunt; item frequentibus frustulis panis esuriali die editis, operibusque servilibus ad breve tempus sed pluries die festo peractis, graviter peccatur in legem ieiunii et in praeceptum de festis sanctificandis. — Sane quidem; non ideo tamen quia venialia multiplicata in mortale transmutantur, sed quia quum materiae, quae divisim sumptae parvulae sunt, ita coalescunt ut grave quiddam constituant, actu illo quo materia gravis efficitur, graviter lex violatur (3).

135. — II°. Ex accidenti veniale peccatum potest in mortale transferri: nempe accidens aliquod efficere potest, ut actus in se ipso levis

(1) I^{a} II^{ae}, q. LXXXVIII, a IV.

(2) *De malo*, q. VII, a. I, ad 1^{um}.

(3) Sporer, tr. I, c. V, sect. IV; La Croix, *De pecc.* 274-286; Viva, *Damnatae theses*, in prod. XXIX Alexandri VII, n. XV; S. Alphonsus, III, 530-553 ceterique communiter.

in grave praeceptum offendat fiatque graviter malus. Iuverit accidentia dispescere in *intrinseca* et *extrinseca*: intrinseca ea vocamus quae insunt in *subiecto* seu agente; extrinseca quae forinsecus, ex *obiecto* scilicet, seu personarum rerumque adiunctis, obveniunt. Accidentia intrinseca haec sunt: 1°. *Conscientia erronea*, qua fit ut quis sibi persuasum habens grave esse peccatum quod leve est, puta mendacium, illud admittit: is enim, quantum in se est, gravem Deo iniuriam facit (1). 2°. *Finis graviter malus*: quippe ex fine pravo pravitas in actum derivatur, illumque inficit. Hinc, si quis mendacium proferat ad puellam alliciendam ut sibi sui copiam faciat, graviter peccat. Idem dicito, si quis parva furetur, eo tamen animo passim perveniendi usque ad materiam gravem (2). 3°. *Affectus graviter malus*: nempe quum veniale committens ita animo est comparatus ut illud committeret etiamsi sciret esse mortale, seu (quod in idem videtur recidere) quum in re venialiter per se mala finem suum ultimum constituit (3). 4°. *Formalis contemptus*: qui tunc adest quum legislator qua talis (non qua privatus homo) despicitur, eiusmodi enim contemptus in Deum redundat, cuius personam legislator gerit (4). Haec sunt intrinseca accidentia; extrinseca, ut diximus, ea sunt rerum personarumve adiuncta quibus actus per se levis ad grave praeceptum infringendum trahitur: v. c. si ex colloquiis ineptis cum femina expertus scias te tibi periculum concitare castitatem laedendi, vel ex levi mendacio noveris alterius famae vel fortunae grave nocumentum inferri, graviter in castitatem vel iustitiam delinquis; si scurrilia proferens verba scandalum audientibus praebeas, caritatem graviter laedis; si alapam patri impingas, pietatem; si sacerdoti, religionem. Quae perspicua sunt.

136. — III°. Postremae quaestioni respondent Reginaldus, Bonacina, Suarez et Billuart cum scholasticis, fieri posse ut actus venialiter malus, idem manens numero, in mortale peccatum transeat; idque evenire contendunt in actibus illis qui ob advertentiae et consensus defectum mortali culpa vacarant. Nimirum, si nova ac maiore accedente advertentia, imperfectus voluntatis consensus ita augeatur ut plenus ac perfectus evadat, iam aderit mortale peccatum (5). Hoc tamen fieri nequit quin mutetur voluntas. Nam *peccatum* (ait S. Thomas) *principaliter consistit in actu voluntatis, sicut et quilibet actus*

(1) S. Thomas, *De veritate*, q. XVII, a. IV.

(2) I^{a} II^{ae}, q. XIX, a. VII, ad 2^{um}.

(3) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. LXXXVIII, a. II; Reiffenstuel, *De pecc.* dist. II. q. II; Sporer, tr. c., sect. III; Bonacina, *De pecc.* disp. II, q. III, p. V; La Croix, 236; S. Alphonsus, V, 59-62.

(4) Suarez, *De leg.* l. III, c. XXVIII; S. Alphonsus, I, 142; La Croix, 237-251.

(5) Reginaldus, *Praxis* l. XV, 68; Bonacina, l. c., 21.

moralis, unde non dicitur unus actus moraliter, si voluntas mutetur, quamvis actio secundum naturam sit continua. Si autem voluntas non mutatur, non potest esse quod de veniali fiat mortale (1). Quae cum ita sint, numne rectius diceres, mortale peccatum (per novum voluntatis actum) veniali succedere, quam veniale in mortale transire? Sapientiores videant.

137. — Resp. ad II Q. Si psalmi, quos Rabanus quotidie praetermittit, simul sumpti integrae parvae horae respondent; item si panis boli, quos per diem passim edit, refectiunculam conficiunt, oppido peccat graviter, quia ex coalescente materia aliquid grave conflatur; cumque praeterea Rabanus haec ceteris adspicientibus et admirantibus agat, et scandali reatum incurrit. Si monitum iussumque Episcopi sui ex formali contemptu nihil pensi habuit, nequit a mortali culpa excusari. Quemadmodum excusari nequit, quum sine honesta causa in proximum periculum se coniicit castitatem laedendi. Demum ob fraudatam singulis hebdomadis agricolarum mercedem graviter peccare potest, sive ex coalescente materia ob grave damnum quod forte intulit, sive ex fine sibi proposito per minuta furtula ditescendi. Quae obiter tangimus, quippe ad tractatum de iustitia pertinent. Vides quo iure Rabanus sine piaculo haec praestari posse contendit.

Iam ad Crispinum. Cultelli crepidarii furtum, quamvis ratione materiae leve esse possit, ratione damni fit grave, etenim eo privatus sutor amicus artem suam nequit exercere. Si die festo supra duas horas cum dimidio calceis reficiendis vacat, graviter peccat, quamvis interrupte operetur. Item ex malo affectu, quum ludi studio ita comparatus est animo, ut nolit Sacro interesse. Mendacia quibus socios ludendo decipit gravia non videntur, nisi forte mentiendo grave illis inferat damnum.

XXXVIII.

Tullius sacerdos explicito et directo voluntatis actu subitos irae motus non cohibet quibus ob acceptae iniuriae memoriam nonnunquam exagitatur, necnon pravas imagines sibi obversantes commotionesque minus castas quas experitur identidem, sive dum animi causa fabulosos libros legit quos *romanenses* vocant (vulgo *romanzi*), sive dum huc illuc circumspiciendo res atque personas liberioribus oculis lustrat, sive dum morum disciplinae addiscendae animum appellit. Ipse vero hisce in adiunctis sat esse putat *passive*, ut aiunt, se habere: nemo enim peccat qui malo non consentit.

Quaeritur I°. Utrum sit obligatio resistendi *positivo* voluntatis actu concupiscentiae motibus, vel sufficiat *passive* se habere?

Q. II°. Quid de Tullio sentendum?

(1) I^{a} II^{ae}, q. LXXXVIII, a III.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

138. — RESP. AD I Q. Satis implexa quaestio nec uno absolvenda verbo. Fuere qui in universum affirmarent, nullam esse obligationem concupiscentiae motus positivo actu compescendi: quippe, cum praeceptum non concupiscendi negativum sit, nullum exposcit actum, sed affatim ab eo impletur qui ab actu se sustinet. Sententia haec communiter exploditur, et merito: nam omne legis praeceptum, sive negativum sive affirmativum, indirecte et veluti ex consequenti illud vetat vel iubet quod ad legem implendam necessario requiritur: quocirca, si ad implendum praeceptum non concupiscendi positivo actu opus est, non sufficit passive se habere. Hinc plerique in contrariam concessere sententiam, quae probe intellecta, explanata, certisque limitibus definita (ut Suarez ait), vera est (1). *Quando ratio iam perpendit de delectatione insurgenti et de nocumento consequenti* (ita S. Thomas), *nisi expresse resistat, videtur consentire* (2). Et sane, si lex aliquid iubens aut vetans ex consequenti illud iubet aut vetat quod legi servandae necessarium est (ut paullo ante monuimus), obligatio positive resistendi obligationem consequitur non concupiscendi. Quapropter, quoties concupiscentiae motus eiusmodi sunt, ut, nisi explicito voluntatis actu cohibeantur, voluntatem ad consentiendum rapiant, vel saltem vehementer alliciant (quod praesertim in venereis accidit), gravis oritur obligatio illos cohibendi. Attamen, quia praeceptum non concupiscendi negativum est, praeceptum vero resistendi affirmativum, non eadem ratione obligare dicenda sunt: illud nempe semper obligat et ad semper, hoc quum positivo actu opus est ad consensum vitandum, nullaque subest causa motus illos permittendi. Ex quibus fit manifestum, eum qui pravis motibus insurgentibus non obsistit, modo posse gravi culpa teneri, modo levi, modo prorsus innoxium esse: ut autem de huiusmodi culpa iudicium feratur, plura sunt pensanda, nimirum consentiendi periculum, motuum natura et vehementia, causa eos permittendi, effectus ex positivo repulsu obvenientes.

139. — Hisce positis, dicimus: I°. Si proximum adest consentiendi periculum nisi motus inordinati per explicitum voluntatis actum coerceantur, graviter peccat qui passive se habet; leviter vero si periculum sit remotum. II°. Si motus ex actione necessaria excitentur, v. c. ex officio medici, confessarii, ex studio vel exercitio suae artis, obligatio non adest eos positivo actu compescendi, quippe honesta et necessaria de causa permittuntur et nimis molestus foret iugis strenuusque repulsus: sat erit proinde aliquem displicentiae actum vel propositum elicere non consentiendi, mentem ad Deum aliquantis

(1) *De pecc.* disp. VI, sect. VIII.
(2) *De veritate*, q. XV, a. IV, ad 1^{um}.

per convertere, piam fovere cogitationem, saltem diverticulum aliquod exterius quaerere, quin positivo conatu eiusmodi motus cohibeantur. III°. Siquidem actio ex qua motus oriuntur necessaria non est, utilis tamen, utilitatis ratio consideranda, scilicet num utilitas tanta sit ut ad eam capiendam pravi motus permitti queant. Qua de re (ut normam aliquam ad iudicandum proferamus) plura sunt inspicienda: scilicet motus ipsi, sintne vehementes vel remissi: actio facienda, sitne suapte natura hisce motibus excitandis apta; periculum consentiendi, sitne remotum vel proximum. IV°. Demum qui compertum habet concupiscentiae stimulos magis obsistendo acui quam retundi, is extra culpam est si non obsistat. *Peccatum semper est fugiendum* (ad rem Doctor Angelicus): *sed impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo, quandoque resistendo. Fugiendo quidem quando continua cogitatio auget peccati incentivum, sicut est luxuria* (1). Haec S. Doctoris verba referre placuit, quia eorum quae superius recitavimus sensum explanant. Ex quibus omnibus iam perspicies, rerum personarumque adiuncta in singula quaque facti specie sedulo consideranda esse, ut confici possit an et quatenus ille peccet qui concupiscentiae motibus positivo actu non resistit (2).

140. — Resp. ad II Q. Tullius irae motus positive non cohibens potuit gravi culpa teneri, si proximum periculum aderat seu odium fovendi, seu acceptam iniuriam ulciscendi, sive grave aliquid in eum moliendi a quo iniuriam acceperat; potuit leviter peccare, si eiusmodi periculum aberat; quinimmo potuit et omni culpa carere, si obsistendo noverat motus illos foveri magis quam sedari. A peccato nullatenus excusari potest, quod pravis imaginibus commotionibusque libidinosis occasionem praebuit solaminis ergo romanenses libros lectitans, praesertim si minus castigatos atque ad venerem provocantes, quia solamen animi causa sufficiens non est tam grave sibi periculum creandi; eoque magis culpandus quod passive se habuit tanto in periculo constitutus. Idem fere dicendum de liberis aspectibus, sive in res personasve minus honestas oculos defixerit, sive honestas quidem at minus honeste (nempe ex pravo affectu) aspexerit. Demum causa addiscendi morum disciplinam sufficit ut inordinati motus permittantur, modo studium pura mente rectoque animo suscipiatur cautionesque adhibeantur quibus periculum ex proximo remotum fiat, sive propositum non consentiendi identidem renovando, sive aliquem di-

(1) I^{a} II^{ae}, q. XXXV, a. I, ad 4^{um}.

(2) Suarez, l. c.; Navarrus, *Enchiridion*, c. XI, 12; Bonacina, *De matrim.* disp. IX, q. IV, p. VII; La Croix, l. V, 109-112; Sporer, tr. prooem., c. V, 19; S. Alphonsus, V. 6-9; Alasia, *De pecc.* diss. I, c. VII, a. II, 17-18; Voit, I, 300; D'Annibale, I, 277; Sebastiani, *Summarium*, 68; Ferreres, *Epitome*, 297. Hi, etsi non in omnibus convenire videntur, in plerisque magis verbis quam re dissentiunt.

splicentiae actum eliciendo, sive Dei opem efflagitando, nam in lubricis versamur quae periculosissima sunt.

De cetero in hisce et talibus facti speciebus, quum iudicandum est an et quatenus quis peccaverit positivo actu non obsistens, ratio maxime est habenda cum ingenii, tum virium ac morum eius: qui enim natura ad libidinem se pronum sentit, vel suam imbecillitatem expertus se consensurum praenoscit, is profecto gravi culpa tenetur, si deficiente idonea causa in periculum consentiendi se iniiciat, vel periculo removendo nullam prorsus det operam.

XXXIX.

Heraclius, religionis votis obstrictus, cum itineris causa extra monasterium degeret, in plura eaque gravia peccata prolapsus est: quae ut ante expiaret quam ad monasterium reverteretur, sacerdoti se sistit exomologesim suam peracturus. Et primo quidem confitetur, crumenam auro refertam se cuidam surripuisse, quin tamen dicat furtum in templo perpetrasse. Etiam confitetur, de viri honesti fama semel detraxisse: reticet tamen hunc virum sacerdotem esse, seque illum falsi criminis insimulasse. Item confitetur, de feminis cogitando turpem delectationem cepisse earumque flagrasse desiderio; deinceps vero, peccata haec mente revolvens, gavisum de iis fuisse: attamen has feminas modo Deo sacras, modo coniugatas, modo sibi sanguinis vinculo fuisse coniunctas non manifestat, quia eas qua tales sunt non spectavit. Ad extremum, tantorum criminum memoria perterritum, in fidem et spem se peccasse fatetur. In hac autem peccatorum suorum confessione Heraclius se religiosa vota nuncupasse consulto celat.

Quaeritur I°. Undenam specifica peccatorum distinctio sit repetenda?

Q. II°. Undenam delectationis, desiderii et gaudii specifica pravitas?

Q. III°. An peccatorum suorum species Heraclius satis declaraverit?

Quaestionum solutio.

141. — Resp. ad I Q. Cum peccatorum species in sacramentali confessione distincte aperire necesse sit, permagni nostra interest inquirere qua ratione species altera internosci ab altera queat. S. Thomas contendit peccata ex obiectis suam speciem accipere, quia peccatum est actus voluntatis a lege recedens, actus autem per obiecta inter se distinguuntur (1). Contra Scotus docet peccata a privatione boni *proxime* speciem capere, *remote* vero a bono quo privant seu a virtute cui adversantur: nam peccatum est actus debito ordine privatus, privatio autem non discriminatur ab altera nisi per bonum quo privat (2).

(1) I^{a} II^{ae}, q. LXXII, a. I.

(2) In 2 dist. 37, q. 1.

Utraque sententia S. Alphonso probabilis, secunda planior (1); quinimmo (ut animadvertunt Suarez, Alasia et S. Alphonsus cum Salmanticensibus) altera in alteram recidit (2). Dici posset, peccata *proxime* et *formaliter* distingui ex oppositione ad bonum virtutis, *remote* vero et ex obiectis: sicque duae sententiae conciliantur. Idque a mente Angelici Doctoris alienum non est, qui haec habet: *Peccatum non est pura privatio sed actus debito ordine privatus, et ideo peccata magis distinguuntur specie secundum obiecta actuum quam secundum opposita; quamvis etiam si distinguerentur secundum oppositas virtutes, idem rediret, virtutes enim distinguuntur specie secundum obiecta* (3).

Est et alia sententia quae gravibus theologis plus minus arrisit, et cui subscribere non veremur (4). Haec specificam peccatorum differentiam repetit a praeceptis seu legibus formaliter seu specie diversis. *Formaliter*, inquimus, non *causaliter*: potest enim de eadem re, a pluribus praeceptum ferri (v. c. a Deo, a praelato, a principe); quod si ob eandem formalem rationem haec praecepta ferantur, speciem diversam non habent. Sane moralis actus non est nisi voluntatis actus legi consonus vel repugnans. Cum autem specifica qualitas actus sumi nequeat ab actu physice spectato, qui non est nisi adhaesionis vel repugnantiae, sumatur oportet a lege cui actus adhaeret vel a qua repugnat. Aliis verbis (ut de peccato loquamur), nisi quivis actus malus conferatur cum lege a qua recedit, concipi nequit quomodo eius pravitas a ceterorum pravitate distingui possit. Quam sententiam a duabus prioribus parum distare censemus. Nempe in obiecto moraliter spectato lex inest, nam diversa obiecta diversam entium exigentiam nobis pandunt; diversae autem entium exigentiae tot leges specie diversas constituunt. Aliud quippe a nobis exigit Deus qua verax est, aliud qua beneficus, aliud qua bonus, aliud qua supremus cunctorum dominus; aliud a nobis exigit homo qua pater, aliud qua dominus vitae vel famae vel rerum suarum, aliud qua praelatus vel princeps: hinc diversae legum species, hinc diversae species virtutum, hinc diversae peccatorum species, prout fidem, spem, caritatem religionem laedunt, vel pietati, iustitiae, obedientiae adversantur.

142. — Post haec nonnullas subiiciamus regulas quae ad peccatorum species discernendas efferri solent. 1°. Inspicienda virtus quae laeditur peccando, quia ex diversis virtutibus leges prodeunt specifice

(1) S. Alphonsus, V, 32.

(2) Suarez, *De bonitate et mal. actuum hum.* disp. VII, sect. VII; Alasia, *De pecc.* diss. I, c. IV, a. I; S. Alphonsus, l. c.

(3) Quaestio cit., ad 2^{um}. Vide Laymann, l. I, tr. III, c. II, 3.

(4) Inter eos quibus haec sententia placuit, vel saltem non displicuit, recensetur Vasquez (1, 2, disp. 98): Sporer (tr. prooem., c. IV, sect. II, 13); Bonacina (disp. II, q. IV, p. III); La Croix (*De pecc.* 130-138); Sanchez (*De matrim.* l. IX, disp. XV, 6); Voit (I, 286, 287).

diversae: hinc specie differunt haeresis, scandalum, furtum, quippe quae fidem, caritatem, iustitiam laedunt. Et quia nonnunquam eodem actu diversae virtutes feriuntur, plures ac specie diversae pravitates in eodem actu inesse possunt: v. c. qui suam uxorem habens cum aliena moechatur, nedum in castitatem offendit sed et in iustitiam bifarie, quippe tam uxori suae quam adulterae viro iniurius est. II°. Inspicienda diversa eiusdem virtutis officia, quae diversis entium exigentiis respondent diversasque leges pandunt: ita quamvis furto, homicidio, falsa criminis insimulatione in iustitiam peccetur, diversae tamen sunt horum peccatorum species, quia diversis iustitiae officiis adversantur. III°. Inspiciendus modus seu ratio opposita qua laeditur virtus: potest enim actus a virtute recedere ultra citrave, idest per excessum vel per defectum, et ex hoc diversam speciem sortiri. Sic differunt specie desperatio et praesumptio, irreligiositas et superstitio, avaritia et prodigalitas, quamvis illa spei, ista religioni, haec liberalitati adversentur. Quae regulae et pro peccatis omissionis obtinent: nempe actus omissus speciem recipit a virtute seu a lege qua praecipitur.

143. — Resp. ad II Q. Inter delectationem et desiderium et gaudium hoc interest, quod illa praesens obiectum respicit, nempe obiectum quod per imaginationem quisquam sibi repraesentat; istud in obiectum futurum fertur quod avet; hoc in praeteritum de quo se oblectat (1). Haec tria, si obiectum seu opus malum respiciunt, mala sunt: quippe quae ex malo voluntatis affectu proficiscuntur qui totum inquinat actum, secundum illud: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt* (2). Attamen, si non de obiecto seu opere malo delecteris sed de *cogitatione* eius, vel de *modo* tantum, quo opus peractum fuit vel peragendum est, potes omni culpa carere: nam, cum obiectum cognitionis sit verum, cuiusvis rei cognitio, etiam malae, mala non est; item malae actionis modus seorsum ab actione spectatus, v. c. ceu ridiculus, callidus, prudens, potest esse innoxius (3). Hactenus nulla quaestio: utrum vero delectatio, desiderium et gaudium specificam suam pravitatem hauriant ex obiecto toto, nempe cum suis circumstantiis spectato, an possint quandoque circumstantiae ita ab obiecto mente praecidi ut iam in actum suam pravitatem non transferant, quaerendum nunc est. Ab iis exordiamur quae minus difficultatis habent.

(1) S. Alphonsus, V, 15. Nomenclatio haec, quae apud hodiernos obtinet, ab ea paululum differt quam veteres usurpabant, qui delectationis vocabulo etiam gaudium significabant: est enim gaudium de praeterita re delectatio.

(2) *Osee*, IX, 10.

(3) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. LXXIV, a. VIII; Suarez, *De pecc.* disp. V, sect. V; La Croix, l. V, 76; Bonacina, *De matrim.* disp. IX, q. IV, p. III, 4, 7; Sporer, tract. prooem., c. VI, 27, 28; Lehmkuhl, I, 354.

144. — I°. Desiderium rei malae totius obiectus specificam pravitatem in se suscipit: etenim cum desiderii obiectum sit certum ac definitum (tale opus, talis persona), per ullam mentis praecisionem mutari nequit. Hinc si Titiam alteri nuptam turpiter concupiscas, si patri mortem exoptes, adulterium et parricidium desideras, etiamsi Titiam non ut nuptam spectes sed ut formosam, patrem non ut patrem sed ut hominem. - Quid si desiderio conditionem adiicias ad peccatum submovendum? - Videndum an conditio eiusmodi sit, qua omne ex obiecto malum eximatur vel minus. Quae sunt contra ius naturale absolutum, v. c. moechari, odisse quempiam, nullo pacto desiderari queunt sub ea clausula, *si licerent*, quippe nunquam licita fieri possunt. Contra fas est aerumnas, infirmitatem aliave corporis mala, immo et mortem homini nequam optare ut resipiscat et ad bonam frugem se recipiat, neque in aeternum damnetur: haec tamen desideria periculo non vacant (1). Quae vero iure positivo prohibentur, veluti esus carnium in pervigiliis et opera servilia in festis, utique optari queunt, adiecta conditione, *si vetita non essent*. Idem dicendum de iis quae iure quidem naturali sed hypothetico tantum sunt vetita, si quando adiecta conditio obiectum mutat, seu adimit ei pravitatem: tale esset desiderium sponsorum futurum coniugii usum aventium, nam inito coniugio, eius usus bonus est. (2). Hoc tamen desiderium periculo non vacat, quia ex eo ad delectationem veneream facilis est prolapsio, *sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* (3).

145. — II°. Quae de desiderio, fere de gaudio sunt dicenda: quippe, quum gaudium in certum definitumque obiectum praeteritum feratur quod per mentis praecisionem a circumstantiis dividi nequit, specificam foeditatem totius obiectus in se recipit. Hinc qui de adulterio cum Titia vel de parricidio laetatur, perperam nititur circumstantias nuptae et patris mente seponere, quae inhaerent obiecto. Neque a gaudii obiecto eximitur pravitas, quum quis de re mala laetatur ob bonum effectum secutum, nam gaudii obiectum non est effectus bonus, sed causa mala (4). Huc faciunt damnatae ab Innocentio XI propositiones n. XIII et XV. Quae de sponsis futuri coniugii usum desiderantibus diximus, etiam de viduis de praeteriti coniugii usu gaudentibus videntur dicenda, etenim huiusce gaudii obiectum malum non est: quamvis periculum delectationis venereae excitandae hic quoque maxime timendum sit (5).

(1) Sebastiani, *Summarium*, 68; Génicot, I, 230.
(2) S. Alphonsus, V, 24; Génicot, I, 171; Sebastiani, l. c.
(3) *Gen.* VIII, 21.
(4) Vide tamen inferius dicenda n. 150.
(5) Sporer, tract. cit., 42: Bonacina, l. c. 14; Lehmkuhl, I, 362; Génicot, l. c.

146. — III°. Restat ut de delectatione sermonem faciamus quae *dicitur morosa* (ita S. Thomas) *non ex mora temporis, sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur nec tamen repellit* (1). Hanc ex obiecto in qua sistit specificam suam pravitatem haurire convenit inter omnes: quaestionis tamen est, an possint circumstantiae ab obiecto ita mente praecidi, ut delectatio in obiecto consistat quin ad circumstantias pertingat earumque imbibat foeditatem. Affirmant plerique, nonnullis contradicentibus: nam delectatio in obiectum fertur quod quispiam imaginando praesens sibi facit; proinde si illud praecisis circumstantiis sibi repraesentet, iam nequeunt circumstantiae praecisae obiectum esse suae delectationis. Hinc, si quis de coitu cum femina delectetur, non qua nupta est, vel consanguinea, vel Deo sacra, sed qua pulchra, eiusmodi delectatio adulterii vel incestus vel sacrilegii pravitate carebit (2). Hanc sententiam *valde probabilem* S. Alphonsus retur; at quamvis eam non respuat neque impugnet, censet tamen eas circumstantias in confessione aperiendas esse ob proximum desiderii periculum (3).

147. — Resp. ad III Q. Sacrilegium est sacrorum violatio; sacra autem sunt loca, res, personae peculiari ratione Deo dicata. Quo posito, si crumena quam Heraclius in templo surripuit ad divinum cultum sacra erat, vel in templo custodienda servabatur, profecto sacrilegium incurrit in confessione declarandum: si secus, nempe si res furto ablata sacra non erat aut loci sacri custodiae commissa, de sacrilegio ambigitur (4). Sacerdotis famae detrahere sacrilegium non est, cum sacerdotis fama non sit sacra: at falsum crimen cuiquam impingere calumnia est, quae iustitiam laedit ac specie differt a simplici detractione. Cum desiderium et gaudium ex toto obiecto et circumstantiis specificam pravitatem accipiant, peccatorum suorum Heraclius species occuluit reticendo, feminas de quibus turpiter cogitaverat, Deo

(1) I^{a} II^{ae}, q. LXXIV, a. VI, ad 3^{um}.

(2) Lugo, *De poenit.* disp. XVI, sect. VI; Suarez, *De pecc.* disp. V, sect. V; Reiffenstuel, tr. IX, dist. VII, 14-17; Sporer, l. c., 24; Laymann, l. I, tr. III, c. VI; Voit, I, 294, etc.

(3) S. Alphonsum, V, 15.

(4) Sacrilegium esse tale furtum affirmant Navarrus, Canus, Suarez, Clericatus, Elbel, Bonacina, Laymann, Salmanticenses, Sporer qui *communem* et *probabiliorem* hanc sententiam appellat (tr. II, c. X, 31) et S. Alphonsus qui *probabiliorem* vocat (III, 39); negant Lugo, Sotus, Tamburini, Lessius, et hanc sententiam *probabiliorem* dicunt Voit (I, 470), Gury (I, 286), Tanquerey (*De relig.* 931), Sebastiani, *Summarium*, 182; Ferreres, *Epitome*, 208, et *nunc receptam* dicit D'Annibale (II, 251, nota 16); utramque sententiam *probabilem* vocat Bucceroni (*De primo Decalogi praecepto*, n. 503). Quaestionem finire nostrum non est: fortasse dici potest, aliquam sacrilegii malitiam in hoc furto inesse ob irreverentiam loco sacro illatam, non tamen gravem; qua in re Lehmkuhl (I, 525) et Génicot (281) nobiscum sentientes habemus.

sacras, vel nuptas vel sibi consanguineas fuisse. Quod ad delectationem attinet, quamquam valde est probabile circumstantias mente ab obiecto praecisas per delectationem non attingi, vix tamen excusandus videtur quod eas consulto celaverit, nam ex obiecto sibi per imaginationem proposito facillimum est ad obiectum quale est in se ipso transire, et a delectatione in desiderium ruere. In fidem et spem multifariam delinqui potest: cumque peccatorum species atomae seu infimae in confessione sint aperiendae, Heraclius non rite peccata contra fidem et spem confessus est. Demum silentio tegens religiosa vota quibus tenebatur, confessionis integritati plura subtraxit: quandoquidem crumenam usurpando paupertatis votum violavit, turpibus vero desideriis, gaudiis ac delectationibus consentiendo castitatis votum effregit. Vides quam multiplici vitio Heraclii confessio laboraverit.

XL.

Cum dominica die festum B. Virginis in coelum receptae celebraretur, Faustus abfuit Sacro operibusque interdictis vacavit; pridie autem eius diei carnes comederat ieiuniumque fregerat, quod etiam voto spoponderat Deo. Confessurus autem sacerdoti peccata sua hisce utitur verbis: « Diem festum semel non sanctificavi, bis autem graviter temperantiae virtutem offendi ».

Quaeritur I°. Undenam sit petenda species peccatorum quae contra legem positivam admittuntur?

Q. II°. Satisne Faustus suorum peccatorum species confessus fuerit?

Quaestionum solutio.

148. — Resp. ad I. Q. Etiam peccata quae in legem positivam committuntur a praeceptis formaliter diversis suam speciem accipere dicenda sunt. *Formaliter diversis*, inquimus, nam, quamvis a pluribus de eadem re ferantur praecepta, si una est horum praeceptorum ratio (quod *motivum* vocant), praeceptum formaliter unum erit unaque peccati species: hinc si homicidium perpetres quod naturali et humana lege vetitum est, unum admittes peccatum; si annuam confessionem et Eucharistiae sumptionem omittas contra Dei et Ecclesiae praeceptum, unum specie erit peccatum tuum. Quapropter ratio praecepti inspicienda est: nimirum videndum cuius virtutis intuitu quidquam positiva lege praecipiatur vel prohibeatur, actus enim praeceptus vel prohibitus ad illam virtutem transfertur ad quam legislator respexit; et si eiusdem virtutis diversa sint officia, haec quoque sunt attendenda, quippe ex iis species infima actus formaliter constituitur. Hinc si Sacro dominica die non interes, in religionem offendis; si die Veneris carnes manducas, temperantiam laedis. Quod si eadem

quidem sit res praecepta sed ob diversam formalem rationem a pluribus praecipiatur, praecepta erunt formaliter diversa, diversaque peccati species. Hinc si ieiunium frangas quod ab Ecclesia indictum est, quodque tu voto spopondisti, et confessor tibi pro sacramentali satisfactione imposuit, triplex erit distincta tui peccati species, quia temperantiam laesisti et in religionem bifariam peccasti (1).

149. — Resp. ad II Q. Praecepta de die dominica et festa B. Virginis sanctificandis in unum recidunt, quia de eadem re ac propter eandem rationem formalem lata sunt; attamen quia festorum observantia duobus constat, scilicet auditione Sacri et abstinentia ab operibus servilibus, Faustus bifariam in virtutem religionis deliquit duplex eiusdem praeceptum violando, propterea non omnem peccati sui pravitatem confessus est. Neque satis temperantiae violationem patefecit, ieiunii enim lex in duobus praeceptis continetur, nempe abstinendi a duplici comestione et a carnium esu, utrumque autem a Fausto violatum fuit; insuper voti fidem fefellit, quod sacrilegii speciem addit distincte in confessione declarandam.

XLI.

Sisinnius sacerdos, dum moralium librorum lectioni quae de turpibus agunt totus incumbit, eo animo ut confessarii munere non inscite fungatur, nonnunquam invitus polluitur; subinde cum de comparata sibi rerum turpium notitia, tum de habita pollutione ob exoneratam naturam gaudet: quippe nonne laetatur Ecclesia de Adae peccato quod Christi redemptio consecuta est? Item, de horariis precibus et ieiunio citra culpam semel ex oblivione praetermissis, postero die gaudet quammaxime; hoc enim nullum malum fuit, quin etiam sibi multum attulit commodi. Ad haec, quum diaria publica lectitanti narratiunculae occurrunt in quibus mulierc ularum rixantium convicia, latrunculorum artes dolique, lascivorumque hominum calliditates ad incautas feminas decipiendas vividis pinguntur coloribus, ridet quidquid domi est cachinnorum, nam haec omnia esse ridicula nemo unus inficiaverit.

Quaeritur I°. Liceatne de malo opere gaudere ob bonum eius effectum?

Q. II°. Liceatne de illis mali operis adiunctis delectari quae seorsum spectata mala non sunt?

Q. III°. Quid in subiecta facti specie de Sisinnio sentiendum?

(1) Sporer, tract. prooem., c. IV, 14; S. Alphonsus, V, 33; D'Annibale, I, 280; Génicot, I, 163.

Quaestionum solutio.

150. — Resp. ad I Q. Ne nos praetereat quod de gaudio eiusque specifica natura locuti sumus, lumen quippe dicendis praestabit. Agedum, ad rem nostram veniamus: malum opus de quo quis gaudet potuit esse *formaliter* malum, in quo scilicet peccatum fuit, vel *materialiter* tantum, a quo sive ob ignorantiam, sive ob deficientem consensum peccatum abfuit.

Et I° quidem quum opus *formaliter* malum fuit, de eo gaudere nullatenus licet, neque ob effectum bonum inde proventum; quandoquidem huiusce gaudii obiectum non est effectus bonus sed causa mala. Hactenus nulla dissensio.

II°. Idem dicendum quum opus *materialiter* malum fuit, at iuri naturae repugnans, v. c. adulterium ex errore patratum, involuntaria pollutio, homicidium casu commissum, gaudii enim obiectum semper est aliquid inordinatum et in se malum. Hoc certum est ex propositione XV ab Innocentio XI damnata: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.* Quod si opus materialiter malum positiva lege vetitum erat, veluti si ex errore carnes esuriali die comedisti, censet Lugo fas esse de eo laetari (1): nos tamen contrarium tenendum putamus, quia delectationis obiectum est opus quod in legem offendit, et quamvis per accidens fuerit a culpa remotum, delectari tamen de eo idem fere est ac comprobare illud ratumque facere (2). Secus dicendum si quis de hoc laetetur, quod actus culpa vacaverit, tunc enim gaudii obiectum non est opus malum, sed culpae absentia, quae mala non est.

III°. De bono effectu gaudere qui ex causa seu formaliter seu materialiter mala prodiit, nemo dubitat licitum esse: nam effectus, vixdum a causa sua prodidit, in se ipso consistit; cumque in se spectatus sit bonus, qui de eo gaudet, iam gaudet de bono. Hinc fas est gaudere de adepta per patris mortem haereditate, de prole ex adulterio suscepta, de naturae levamine quod pollutionem consecutum est (3),

(1) Lugo, *De poenit.*, disp. XVI, 389.

(2) La Croix, *De pecc.* 89, 90; S. Alphonsus, *Homo apostolicus*, tr. III, 52; Alasia, *De pecc.* diss. I, c. VII, a. II, 16; D'Annibale, I, 276; Tanquerey, *De peccatis*, 508. Sunt qui cum Lessio et Suarez malum opus bifariam spectantes, nimirum *in se ipso* et quatenus boni effectus est *causa*, fas esse putant de eo delectari quatenus boni effectus causa existit, quippe hoc non est de malo sed de boni causa gaudere. Ita Ballerini (*Op. theol. mor. tr. De peccatis*, 114-129) et Piscetta (I, *De peccatis*, 56). Quamvis sententia haec theoretice spectata a veritate fortasse non sit aliena, videtur tamen sine periculo vix unquam ad praxim deduci posse.

(3) S. Thomas, *in IV Sent.* dist. IX, q. I, a. XIV, quaestiunc. I ad V^{um}.

Cavendum tamen periculum, ne delectatio ab effectu bono in causam malam transferatur.

151. — Resp. ad II Q. Si mali operis adiuncta eiusmodi sint quae cogitatione a malo opere prorsus seiungi queant, de iis delectari malum non est, nam adiuncta a malo opere divisa desinunt esse mala. Hinc et probi homines ridere solent ebrii tremulum incessum, mirari latrunculi industriam, de attico sale quo commentitia narratio aspersa est delectationem capere, quin de ebrietate, de furto, de rei falsitate laetentur; quo sensu intelligendum illud Evangelii: *laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset* (1). Quod si adiuncta ita malo operi haerent, ut ab eo dividi nequeant (quemadmodum in lubricis contingere solet), vix intelligi potest delectatio de adiunctis quin ad ipsum malum opus transeat: quapropter saltem ratione periculi peccare dicendus qui de iis laetatur (2).

152. — Resp. ad III Q. Potuit Sisinnius *per se loquendo* de comparata per turpium lectionem notitia gaudere, necnon de exonerata per pollutionem natura: quippe gaudium illud habet pro obiecto verum, hoc autem bonum pollutionis effectum. *Per se*, inquimus, nam periculum cavendum ne de ipsa re turpi voluptas capiatur. Ecclesiae verba: *O felix culpa*, per emphasim dicta, perperam effert Sisinnius, non enim de Adae culpa laetatur Ecclesia, sed de Christi redemptione, quae cum foenore eoque uberrimo damna humano generi per Adae culpam illata pensavit. Gaudium de omissis ex oblivione precibus ac ieiunio exprobrandum Sisinnio. Risus de modo quo rixantur mulierculae ac de latrunculorum versutia innoxius; contra perquam periculosus et vix exsors culpae risus de lascivorum calliditatibus ad incautas feminas decipiendas.

XLII.

Cum Lucretia propter viri saevitias ab eo divertisset, nonnunquam solitudinis pertaesa novas nuptias exoptat, hac tamen posita conditione: *Si vir mortem obierit*. Cum autem nuntium accepisset de ruina domus quae terraemotu concussa virum, filiolum et socrum una simul obruerat; « Deo sint grates », exclamat, « vir luculentam mihi haereditatem relinquit ob quam iam novis felicibusque nuptis inhiare possum; filiolus mundi periculis ereptus sempiternam beatitatem est consecutus; socrus se ab aerumnis, me a curis, familiam ab impensis liberavit ».

Quaeritur. An Lucretiae desiderium et gaudium culpa vacaverint?

(1) Luc. XVI, 8.
(2) Génicot, I, 174; Sebastiani, *Summarium*, 68.

Quaestionis solutio.

153. — Resp. ad Q. Desideria quae sub conditione fiunt tunc culpa vacant quum eiusmodi est conditio quae omnem ex obiecto pravitatem eximat. Hinc (ut monuimus n. 144) nunquam illa fas est appetere quae iuri naturae absoluto repugnant, ea posita conditione *si licerent;* contra, hac posita conditione, ea desiderari possunt quae iuri positivo aut naturali hypothetico adversantur. Tale fuit Lucretiae desiderium: nam novas inire nuptias, priore coniuge mortuo, nullum malum est. Ast eiusmodi desideria vix unquam omni culpa vacant, nedum quia otiosa, sed quia plerumque inordinatum voluntatis affectum arguunt, vel excitant, vel fovent; hinc merito S. Alphonsus ea vocat *tentationes fatuas et diabolicas* (1). Non igitur facile Lucretiam ab omni peccato excusaveris.

Lucretiae gaudium, si in bonis effectibus qui domus ruinam consecuti sunt se continuit, haud dubium quod culpa vacavit; etenim de adepta viri haereditate, de filioli beatitudine, de remotis per socrus obitum incommodis gaudere nullum malum est. Quamquam, omnibus inspectis, valde timendum ne etiam de causa, hoc est de suorum interitu, propter effectus Lucretia laetata fuerit.

XLIII.

Iulius, admissa suae vitae memoria repetens, nonnullis premitur dubiis: etenim sponsus adhuc de futuri coniugii usu delectationem cepit; nuptus vero de usu coniugii iam initi; viduus demum de usu coniugii soluti. Ut hisce dubiis se expediat, theologum adit, cui rem omnem pandit.

Quaeritur. Liceatne sponsis, nuptis et viduis de sui coniugii usu delectari?

Quaestionis solutio.

154. — Resp. ad Q. Principio recolenda distinctio superius exhibita desiderium inter et gaudium et delectationem. Desiderium fertur in obiectum futurum certum ac in se consistens (v. c. in tale opus, in talem personam); gaudium vero in obiectum praeteritum, itemque certum ac definitum: propterea, si obiectum desiderii et gaudii eo tempore spectatum honestum est, fas erit illud desiderare et de hoc gaudere. Hinc apparet, licere tum sponsis futuri coniugii usum avere, tum viduis de praeteriti coniugii usu laetari. Ex diverso delectatio in obiectum fertur quod quis per imaginationem sibi repraesentat;

(1) S. Alphonsus (cum Busembaum), V, 13; Laymann, l. I, tr. III, c. VI, 10; Sporer, tract. I, c. VI, 19; *Compendium Salmanticense,* tr. V, c. III, 146.

quapropter si obiectum opinatum in praesenti malum est, nullo pacto licet de eo delectationem capere. Hinc nefas est sponsis de futuri coniugii usu delectari, et viduis de usu coniugii praeteriti: quippe coniugio nondum inito, vel per coniugis mortem soluto, delectatio in obiectum malum fertur, nempe in copulam, quae innuptis turpis est et inhonesta (1). At si de nuptis agitur, licet eis, coniuge absente, de coniugii usu delectari, modo pollutionis periculum absit, etenim huiusce delectationis obiectum (nempe coniugii usus) eis licitum est (2).

XLIV.

Aurelius famulus viginti aureos domino suo furari secum ipse constituit; at ne forte detegeretur, paullatim illos clepsit. Alias integram transegit diem opportunitatem quaerens domini scrinium expilandi: cumque conclave intrasset ac, reserato armario, in eo esset ut scrinio manum iniiceret, subito rumore perterritus sese fugae commisit. Alias, dominae cubiculum eo animo ingressus ut eam ad sui copiam sibi faciendam alliceret, primum dulces sermones serere, tum ad inhonestos pedetentim declinare, deinde ad oscula ac liberiores actus prosilire; at, domina renuente, a nefario proposito recessit.

Haec cum domino suboluissent, Aurelium domo eiecit, qui ira flagrans ultionem sumere decrevit. Ac primo quidem domino eiusque familiae clam palamve omne genus mala precari; dein eos onerare calumniis, perinde ac si homines essent avaritiae, luxuriae, omnique maleficio dediti; postremo domini aedibus ignem apponere non est veritus, ut opes cum domino et familiaribus unum incendium absumeret; at, quia forte hi domo aberant, res tantum flammis absorptae fuere atque consumptae.

Tot criminum poenitens Aurelius ea sacerdoti suo hisce verbis confitetur: «Viginti aureos domino meo furatus sum; eius scrinium surripere volui et uxorem violare, malum tamen propositum ad exitum non deduxi; alienae famae detraxi; inimico meo malum precatus sum eiusque domum, igne admoto, combussi».

Quaeritur I°. Undenam numerica peccatorum distinctio?

Q. II°. An actibus sive interioribus sive exterioribus multiplicatis, peccata semper multiplicentur?

(1) Navarrus, *Enchiridion*, c. XVI, 10, 11; Sporer, tr. I, c. VI, 41, 42; Sanchez, *De matrim.* l. IX, disp. XLVII, 4; Natalis Alexander, *De peccatis*, l. III, c. IV, a. I, Regula L; Clericatus, *Erotemata*, c. CXLV, n. 41; S. Alphonsus, V, 24.

(2) Sanchez, *De matrim.* l. IX, disp. XLIV, 3; Laymann, l. c., c. VI, 12; Sporer, l. c., 43; Suarez, disp. I, sect. VI, p. I; Lugo, *De poenit.* disp. XVI, 385, 386; Voit, I, 310; S. Alphonsus, V, 25; Lambertini, *Casus conscientiae*, an. MDCCXXXXI, mense aprilis.

Q. III°. An in eodem actu ad plura obiecta pertingente peccata plura inesse possint, numero tantum distincta?

Q. IV°. An peccatorum suorum numerum Aurelius sufficienter expresserit?

Quaestionum solutio.

155. — Resp. ad I Q. Cum mortalia peccata in sacramentali confessione singillatim sint numeranda, nemo non videt quanti refert pernoscere quomodo peccata multiplicentur, seu numero distinguantur. At quia psychologorum magis quam theologorum est de ratione inquirere qua voluntatis actus alter ab altero disiunguntur atque multiplicantur, propterea neque SS. Literarum auctoritate, neque Ecclesiae decretis, neque subtili ratiocinatione, sed potius diligenti inspectatione eorum quae ab homine fiunt quaestio proposita est definienda. Ut autem ab iis quae sumus dicturi omnis vel a limine removeatur ambiguitas, praestat animadvertere quo sensu theologorum verba sint accipienda, quum in eodem actu plura affirmant inesse posse peccata. Peccatum est actus voluntatis malus: si autem voluntatis actus unus est, multiplex esse non potest: quapropter, si stricte loqui velimus, nequit in uno actu multiplex esse peccatum. At unius actus plures relationes esse possunt, nimirum potest unus actus ad plura obiecta referri seu in plures leges offendere, atque ita plurium peccatorum pravitatem continere, seu pluribus aequivalere peccatis. Quo sensu theologi loquuntur quum in eodem actu plura quandoque inesse peccata contendunt (1). Age nunc ad quaestionem nostram accedamus, ab iis quae planiora sunt auspicantes ut ad difficiliora progrediamur.

I°. Quando idem actus pluribus praeceptis formaliter diversis adversatur, manifestum est plures in eo pravitates specie diversas contineri, propterea actus ille tot peccatis aequivalet quot sunt violata praecepta: v. c. si patrem iniuria affecisti, in iustitiam et pietatem peccasti; si clericum, in iustitiam et religionem.

II°. Quando pluribus actibus physice ac moraliter distinctis idem violatur praeceptum, tot numerantur peccata quot actus: v. c. si duos homines necasti, cum duabus feminis moechatus es, Titio et Caio crumenam clepsisti, duo homicidia, duo adulteria, duo furta perpetrasti.

III°. Tot numerantur in eadem specie peccata quot sunt malae voluntatis actus moraliter distincti. *Moraliter* autem distingui dicuntur actus illi qui nullo inter se nexu continentur, quorum nempe posterior a priore nullatenus pendet. Sane, si prior voluntatis actus ita desierit ut in actu sequenti nullo modo perseveret, hic posterior actus in se subsistens nova est ac distincta legis violatio, novum ac

(1) Hoc iamdiu animadverterant Sporer (tr. 1, c. IV, 15), auctor *Theologiae pictaviensis* (tom. III *De peccatis*, ed. Migne), La Croix (*De pecc.* 150) aliique.

distinctum peccatum. Contra si posterior actus in priore censeatur virtualiter inclusus, hoc est vi atque imperio prioris elicitus fuerit, perinde habetur atque eiusdem continuatio unumque peccatum cum eo constituit. Hinc si eodem voluntatis decreto ter quaterve inimicum percutias, si ex uno voluntatis proposito certam pecuniae summam carptim surripias, si eodem libidinis impetu ductus pravis turpibus tactibus alienae mulieri commiscearis, unum admittis peccatum, quippe tametsi actus physice spectati plures sunt, virtualiter in uno voluntatis actu continentur a quo prodeunt, seu moraliter non distinguuntur. Hactenus una omnium sententia (1).

156. — At quamdiu moralis actuum coniunctio perdurat? seu quando et quomodo rumpitur, adeo ut actus iam moraliter distincti et peccata multiplicari censeantur?

Rumpitur 1°. per *voluntariam revocationem :* nam statim ac voluntas a malo obiecto recessit per prioris actus revocationem, novo opus est actu quo ad malum obiectum revertatur (2). 2°. Per *voluntariam cessationem :* si enim voluntarie te sustineas a malo proposito, quamvis illud expresse non revoces, novo ac distincto voluntatis actu opus est ut ad illud redeas. 3°. Per *solam cessationem* absque ullo voluntatis concursu: veluti si per somnium, ebrietatem, oblivionem, studium, mens alio divertat. Id evenire posse nemo inficiatur : quis enim dixerit eum qui hodie constituit inimicum interficere, dein propositi sui obliviscitur, post aliquot vero menses inimicum incurrens, propositi reminiscitur illumque gladio transfodit, unum peccatum patrare? At si quaeras, quodnam tempus requiratur ut per solam cessationem interrumpantur actus et multiplicentur peccata, in incertis versamur.

Hoc ratum maneat (namque apud omnes in confesso est), actus omnino interiores citius ac facilius interrumpi iis qui exterius prodeunt, etenim protinus evanescunt non habentes quidquam cui haereant et in quo consistant. Hinc docet S. Alphonsus, odia, delectationes morosas, turpia desideria, aliaque id genus interiora peccata statim interrumpi et ingeminari (3); si autem agatur de proposito,

(1) Videri possunt Reiffenstuel, *De pecc.* dist. I, q. III; Suarez, *De poenit.* disp. XXII, sect. V; Sporer, tr. I, c. IV; Bonacina, *De pecc.* disp. II, q. IV, p. II; La Croix, *De pecc.* c. I, dub. III, a. IV; Laymann, l. I, tr. III, c. III, 5; Illsung, tr. II, disp. II, a. V, § II; Lehmkuhl, I, 349-351.

(2) Lugo, acutissimi ingenii vir, sed quandoque ingenii sui subtilitati nimis indulgens, putat priorem voluntatis actum saltem ad breve tempus perdurare posse postquam illum voluntas revocaverit (*De poenit.* disp, XVI, 551); at si revocatus, qui potest adhuc permanere?

(3) S. Alphonsus, V, 37. Contradicit Lugo (l. c., 555, 556), contendens hos interiores actus nisi per contrariam voluntatem non interrumpi. Hanc sententiam S. Alphonsus *dubie probabilem* vocat; illi tamen quadantenus accedit, affirmans posse plures actus ex eodem concupiscentiae impetu prodeuntes unum peccatum constituere, etsi aliqua inter eos morula intercessit.

illud non interrumpi per solam cessationem retur, nisi haec cessatio sit diuturna. At quodnam temporis intervallum actum inter et actum pro diuturno est habendum? Alii respondent annum requiri, alii mensem, alii hebdomadam, alii biduum, alii diem unum; S. Alphonsus non ultra biduum vel triduum durare propositum putat (1). Tanta doctorum discrepantia argumento nobis est, non posse una certaque regula rem definiri, sed tum ex actus interioris vehementia, tum ex rerum adiunctis prudenti iudicio aestimandam esse. Haec de actibus qui intus perficiuntur.

Quod si interiores voluntatis actus extrinsecus prodeunt, convenit facilius per exteriores inter se coniungi atque in unum coalescere, quum ex una voluntatis deliberatione proficiscuntur, vel, quasi media ad finem, per exteriores actus ad unum consummandum peccatum diriguntur: quippe prior voluntatis actus, a quo ceteri cum interiores tum exteriores dimanant, virtualiter perseverare censetur. Hinc, si quis animo inferendi necem inimico suo e lecto surgat, arma paret, iter carpat, atque interim ad alia mentem convertat, aut fessus de via paulisper dormiat, dein resumpto itenere ad domum inimici pergat illumque transfodiat, unius peccati reus erit. Idque obtinet etiamsi actus qui ad unum peccatum consummandum ordinantur, singulatim sumpti, pravi sint, veluti tactus turpes coitum praecedentes, percussiones iteratae quae in necem desinunt, ingeminatae contrectationes quibus latrunculus una nocte alienam supellectilem furatur. Hoc tamen non currit quum actus illi in seipsis completi ac consummati existunt, nec ad certum peccatum perficiendum quasi instrumenta seu media referuntur: hinc qui pluries eadem nocte se polluit vel moechatur, qui alterum post alterum plures homines occidit, plures pollutiones, adulteria, homicidia patrare dicendus est (2).

157. — Resp. ad II Q. Minime: nam ex dictis possunt actus sive interiores sive exteriores moraliter coniungi adeo ut in uno praecedenti voluntatis actu contineri censeantur; in quo eventu non ingeminantur peccata, quamvis iterentur actus.

158. — Resp. ad III Q. Quaestio est, si qua alia, difficilis, namque duae sunt e diametro oppositae sententiae, quarum utraque gravissimorum doctorum patrocinio gloriatur. Prima sententia illorum est qui contendunt, per plura obiecta numero tantum distincta non

(1) S. Alphonsus, l. c., 39; D'Annibale, I, 287; Sebastiani, *Summarium*, 66. Hoc *nimis absolute scriptum* retur Génicot (I, 165); an vero probandum sit quod ipse subdit, «unum ab eo peccatum committi qui etiam per integrum annum perstat in voluntate non restituendi, *licet saepius propositum iteret pergendi in mala voluntate semel elicita*», sapientiorum sit iudicare.

(2) Navarrus, *Enchir.* c. VI, 16, 17; Sporer, l. c., 20, 21; Bonacina, l. c., 7; Reiffenstuel, l. c., 60; La Croix, l. c., 168; S. Alphonsus, V, 40-42; Ferreres, *Epitome*, 138.

multiplicari peccata, si obiecta illa unus voluntatis actus comprehendat. Quamvis enim singula obiecta, si distinctis voluntatis actibus appetantur, suam pravitatem singulis actibus conferre valeant, quum tamen voluntas ea per modum unius attingit, unam ex eis simul sumptis pravitatem recipit. Ad eum fere modum quo voluntas erogandi stipem decem pauperibus unam bonitatem habet, ita et voluntas decem hominibus nocendi unam habet pravitatem, quippe oppositorum eadem est ratio. Hinc inferunt, unum peccatum admittere illum qui constituit totam quadragesimam sine ieiunio transigere, vel omnibus diebus festis vacare servilibus, item qui pluribus malum precatur, qui uno ictu plures occidit, qui uno colloquio pluribus detrahit vel scandalum praebet. Ceterum huius sententiae patroni fatentur, ex obiectorum multiplicitate pravitatem actus augeri, ideoque peccatum ingravescere (1). Qui contrariae adstipulantur sententiae hisce argumentis illam suadere conantur. Peccatum est alicuius boni privatio, propterea tot sunt numeranda peccata quot bona sunt quibus actus nos privat: cum autem bona a quibus peccando quispiam recedit ex obiectis numerentur, si plura sunt obiecta, plura debent esse peccata. Rursus: quemadmodum plura obiecta specie diversa pravitatem specifice diversam inducunt in actum, ita plura obiecta inter se numero tantum distincta, dintinctam in actum pravitatem inducere dicenda sunt. Hinc colligunt, illum pluries peccare qui uno actu pluribus detrahit, furatur, malum optat, vel infert. Ceterum etiam huius sententiae patroni (ni fallimur), nonnumquam eam emollire videntur, veluti quum asserunt unum esse peccatum uno actu plures fidei articulos negare, in duodecim Apostolos blasphemias proferre, civitatis aut monasterii bona furari (2). Quamvis quaestionem hanc agitantes adeo discrepent inter se theologi, quum tamen ad praxim venitur valde discrepantia minuitur; quandoquidem qui priori adhaerent sententiae non abnuunt, obiectorum multiplicitatem plerumque in confessione declarandam esse, vel quia per eam insigniter augetur peccati gravitas, ut retur Suarez (3): vel quia ex iis actus constituitur, definitur, perficitur, ut Bonacinae placet (4): vel quia, iis reticitis, iam non aperiretur peccatum admissum sed aliud, ut docet Lugo (5); vel

(1) Navarrus, l. c., 18, Suarez, l. c., Lugo, l. c., 134 et seq.; Bonacina et Reiffenstuel, ll. cc.; Laymann, l. I, tr. III, c. III, 2, aliique quos S. Alphonsus recenset; Lehmkuhl, I, 352; Ballerini-Palmieri, tr. *De peccatis*, 254-274; Sebastiani, *Summarium*, 66; Génicot, I, 168.

(2) La Croix, l. c., 149; Clericatus, *Erotemata*, c. XXXIV, n. 25; Billuart, diss. II, a. IV; Voit, I, 289; Alasia, diss. I, c. IV, a. II; S. Alphonsus, aliique quos citat (l. c., 45); D'Annibale, I, 286.

(3) Suarez, l. c.

(4) Bonacina, l. c., 2.

(5) Lugo, l. c., 141.

quia non sine aliquo saltem levi mendacio obiectorum multiplicitas reticetur, ut fatetur Génicot (1).

Utriusque sententiae momenta sine studio retulimus, neutri tamen calculum audemus apponere. Si autem licet quid super hac re sentimus libere dicere, putamus huc ambiguitatem illam redire quam ab initio removendam curavimus. Nimirum qui affirmant unum esse peccatum, ad actum voluntatis respiciunt qui vere unus est; qui plura contendunt esse peccata, ad obiecta respiciunt quibus actus refertur, quae cum multa sint, multifariam inficiunt actum, ita ut unus actus multorum peccatorum nequitiam continere dicendus sit, seu multis aequivalere peccatis. Re enim vera nemo non videt, gravius illum peccare qui centum aureos furatur, familiae detrahit, decem homines occidit, quam qui unum furatur aureum, uni detrahit, occidit unum; quapropter si ille hoc tantum confiteretur, se homicidii, gravis furti et detractionis esse reum, mentiri ac confessorem decipere videretur, qui nec de peccato aequum iudicium ferre, neque congruam satisfactionem iniungere posset (2).

159. — Resp. ad IV Q. In prima facti specie, si vi unius propositi permanentis, idest non interrupti, Aurelius furatus est, unum admisit peccatum, quod confessario sufficienter aperuit; secus si propositum sive per expressam revocationem sive alio modo fuit interruptum, adeo ut singulae alienae rei contrectationes ex distinctis voluntatis actibus profectae fuerint. In secunda specie unum admisit peccatum, quamvis illud ad exitum non perduxerit; attamen non satis illud sacerdoti pandit, quippe omnes exteriores actus siluit quos confiteri necesse est. Idem dic de adulterio quod turpibus actibus nisus est patrare, etsi, femina renuente, opere non perfecit. In altera facti specie, omne genus mala alteri precari, unum videtur esse peccatum, si sub una ratione mali mala omnia continebantur; at si pluries, neque ex eodem irae impetu, Aurelius mala haec precatus fuerit, pluries peccavit; ad hoc, cum non domino tantum sed et eius familiae omne genus mala fuerit precatus (quidquid sit de speculativa quaestione circa numericam peccatorum distinctionem), non omnem peccati sui pravitatem patefecit. Idem dic de calumniis domino eiusque familiae impactis; praeterquam quod calumnia specie differt a detractione, de qua tantum Aurelius se accusavit. In postrema facti specie Aurelius voluntatem occuluit inferendi mortem tum domino, tum familiaribus eius, propterea neque speciem neque pravitatem peccati sui satis expressit. Multiplici ergo ex capite Aurelii confessioni integritas defuit.

(1) Génicot, l. c.

(2) Ita fere et Tanquerey, *De peccatis*, 498.

XLV.

Valerius ob irrogatam sibi a Gallieno iniuriam vehementer incensus ultionem molitur. Post biduum in Gallienum incidens, irruit in eum ac pugnis fusteque contusum in via relinquit; at post paulo ad illum regressus, iterato contundit vexatque crudelissime. Subinde facti dolens sacerdotem adit, cui suum facinus hisce verbis confitetur: « Hominem graviter percussi ac male mulcatum reliqui ».

Paulus, iniustus rei alienae detentor, per annum integrum in proposito eam non restituendi permansit, quamvis plus semel bellam restituendi occasionem nactus fuerit. Peccati sui poenitens, hac ratione illud confessori manifestat: « Per annum in proposito rem alienam retinendi perstiti ».

Quaeritur. An peccatorum suorum numerum Valerius et Paulus rite declaraverint?

Quaestionis solutio.

160. — Resp. ad Q. I°. Si per biduum Valerius in proposito iniuriam ulciscendi permansit, et vi eiusdem propositi Gallienum percussit, sufficienter peccatum suum declaravit: per biduum enim propositum manere censetur. Secus vero si interim Valerii propositum per revocationem interruptum fuisset, ac dein resumptum. Neque illud officit quod a percutiendo paulisper se sustinuerit, nam interiecta mora, quae brevis fuerit, non videtur propositum intercidere, propterea et posteriores percussiones priori proposito tribuuntur (1). Secus dicendum si per longiorem intercapedinem aut expressam revocationem propositum fuit interruptum, aut si novo voluntatis actu Valerius decreverit ulterius progredi quam antea constituerat.

II°. Si a malo proposito Paulus nunquam recessit, eius peccatum unum censetur, ideoque sufficienter illud confessus est; secus vero si propositum revocatum instauraverit, aut etiam novo voluntatis actus (data praesertim sibi restituendi opportunitate) confirmaverit, novus enim ac distinctus voluntatis actus ingeminat peccatum. - Quid si oblatam sibi restituendi occasionem respuit vel neglexit, quin tamen explicite propositum non restituendi instauraverit? Bonacina (cui concinunt Vasquez, Canus, Suarez aliique) multiplicari peccata existimat, nam occasionem sibi datam non arripere aut repellere idem est ac denuo velle rem alienam non restituere (2). Contra Lugo (cum Navarro, Diana, Sporer, aliisque), ratus in ipsa rei detentione pristinum propositum permanere, ac nisi per expressam revocationem inter-

(1) Lugo, *De poenit.* disp. XVI, 551; D'Annibale, I, 286, nota 14.

(2) Bonacina, *De restitut.* disp. I, q. VI, p. unic., 9-12; Canus, *Relect. de poenit.* p. IV; Bouvier, *De iure et iniuria,* p. II, q. I, prop. I.

cidi, contendit non multiplicari peccatum (1). Sancto Alphonso utraque sententia probabilis, secunda tamen probabilior (2). Fortasse aliquatenus oppositae sententiae distinguendo conciliantur: nimirum, si quis commodam restituendi occasionem negligat quidem, non tamen positivo voluntatis actu occasionem repellat, magis veritati proxima prior videtur sententia, vix enim concipi potest quomodo occasio explicito voluntatis actu repellatur, quin vetus propositum hoc actu firmetur. Ceterum, ad confessionem quod attinet, cum admodum difficile sit hisce in adiunctis rei veritatem pernoscere, is rationibus suis optime consulet qui candide fatebitur quot plus minus occasiones respuerit vel neglexerit reddendi domino rem suam.

IN TRACTATUM
DE PRAECEPTIS DECALOGI
DE I PRAECEPTO

XLVI.

Nicephorus, Eusebius et Timotheus, de fidei virtute eiusque obiecto disceptantes, parum inter se conveniunt. Nicephoro exploratum est, catholicum hominem ea tantum credere debere quae solemni Ecclesiae decreto definita sunt, definitio enim Ecclesiae est proxima fidei regula: hinc infert, illum tantum haereticum esse qui veritatibus ab Ecclesia propositis fidem detrectat. Nicephoro contradicit Eusebius, qui ratus in SS. Literis et traditione verbum Dei contineri, docet veritates omnes in SS. Literis et traditione contentas ab homine catholico esse credendas, ac propterea tamquam haereticum damnandum eum qui illis non assentitur. Discrepat ab utroque Timotheus: si enim (ita ipse) tota credendi ratio in Dei revelantis auctoritate consistit, utcumque quispiam compererit Deum esse locutum, sive per Ecclesiae testimonium, sive per SS. Literarum lectionem, sive per divini Spiritus afflatum, nequit Dei verbo assensum negare quin haereseos crimen incurrat.

Quaeritur I°. Quid est fides quodque eius obiectum?

Q. II°. Quotuplex fides distinguitur? et quinam haereseos crimen polluantur?

Q. III°. Quid de singulis disceptantium sententiis?

(1) Lugo, l. c., 549; Sporer, tr. IV, *prael. ad praecepta II tab.* c. III, 123; S. Alphonsus, V, 40; III, 683; Lambertini, *Casus conscientiae*, an. mdccxxxiii, mense aprilis.

(2) S. Alphonsus, III, l. c.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

161. — RESP. AD I Q. Fides est *virtus supernaturalis inclinans hominem ad assentiendum veritatibus a Deo revelatis propter revelantis auctoritatem.* Quae definitio apprime congruit fidei notioni quam Vaticanum Concilium hisce verbis exhibuit: *Fidem Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest* (1). Ex hac fidei notione perspicere est, quodnam sit obiectum fidei quod *materiale* vocant, quodnam vero *formale:* obiectum materiale, illud nempe circa quod fides versatur, est Deus et quidquid a Deo revelatum est; obiectum formale, seu ratio ob quam ad credendum ducimur, est Dei revelantis auctoritas (2).

162. — RESP. AD II Q. Veritas divinitus revelata diversimode innotescere potest, nimirum *immediate,* quum Deus ipse per se vel per Angelos quidquam cuiquam revelat; *mediate,* quum ex SS. Literarum et traditionis fontibus quispiam divinam revelationem haurit; item *mediate,* quum authentico Ecclesiae testimonio de veritate revelata certus quisquam efficitur. Hinc fides diducitur in *divinam, theologicam* atque *catholicam.* Fides divina simpliciter ea est qua quis assentitur veritati sibi a Deo immediate patefactae; eiusmodi fuit fides veterum patriarcharum et prophetarum, quam diserte Paulus commendat (3); item fides B. Mariae Virginis, de qua scriptum est: *Beata quae credidisti* (4); necnon Apostolorum quos Spiritus Sanctus omnem docuit veritatem. Fides theologica doctorum praesertim hominum est, qui SS. Literarum ac traditionis documenta scrutantes sibi persuadent veritatem aliquam explicite vel implicite revelatam esse. Fides catholica ea est qua quis iis veritatibus assentitur quas Ecclesia tanquam divinitus revelatas omnibus credendas proponit; de hac Vaticanum Concilium: *Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur* (5). Ex his conficitur, eum contra fidem graviter delinquere et haereseos crimine coram Deo se foedare, qui sciens prudens renuit assensum praebere alicui veritati quam pro comperto habet a Deo revelatam fuisse; sive

(1) Constit. *Dei Filius,* c. III.

(2) S. THOMAS, II^{a} II^{ae}, q. I, a. I; CAIETANUS in h. l.; LAYMANN, l. II, tr. I, c. I, II, III.

(3) *Hebr.* XI.

(4) LUC., I, 45.

(5) Constit. *Dei Filius,* c. III. Vaticanam definitionem ipsissimis verbis effert *Codex iuris canonici,* can. 1323, § 1.

enim immediate, sive mediate id compererit, Deo revelanti iniurius est, huius auctoritati refragatur. *Coram Deo*, inquimus, nam ut haereticus coram Ecclesia quis habeatur poenasque incurrat ab ea in haereticos constitutas, necesse est ut contra fidem catholicam delinquat, hoc est veritati ab Ecclesia ad credendum propositae assensum detrectet.

163. — Resp. ad III Q. Distinctione posita inter fidem divinam, theologicam et catholicam, nullum est negotium de singulis disceptantium sententiis iudicium ferre. Errat Nicephorus, contendens catholicum hominem ea tantum credere debere quae solemni Ecclesiae decreto definita sunt: nam praeterquam quod Ecclesia nedum solemni decreto, sed et ordinario magisterio credenda proponit, contra fidem divinam et theologicam peccari potest, quin contra fidem catholicam peccetur: qui autem contra fidem divinam et theologicam peccat, coram Deo haereticus est. Rectius Eusebius et Timotheus loquuntur: quamvis non animadvertant, ab Ecclesia inter haereticos non censeri neque poenis a se latis multari nisi eos qui in fidem catholicam delinquunt, hoc est veritatibus ab Ecclesia propositis tanquam divinitus revelatis assentiri recusant.

XLVII.

Vix priore quaestione de fidei obiecto dirempta, nova inter theologos nostros disceptatio subit de veritatibus quae implicite in revelatis continentur, quaeque conclusiones theologicae appellari solent. Has conclusiones ad fidem pertinere Nicephorus perfracte negat, quippe quae ratiocinando conficiuntur; cum autem humana ratio imbecilla sit atque erroribus obnoxia, certum esse nequit, saltem certitudine fidei, quidquid eius ope conficitur. Contradicit Eusebius, ratione enim, qua Deus nos intruxit, tanquam instrumento utimur quo fiat explicita oculis nostris veritas revelata quae in alia inclusa delitescit: propterea assensus noster in veritatem revelatam ultimo fertur, quamvis illa nobis rationis ope clarescat. Ulterius progressus Timotheus, contendit fide saltem theologica eas conclusiones esse credendas quae per argumentationem vere probabilem, etsi non omnimode certam, ex revelata veritate promuntur.

Quaeritur I°. An doctrina quae implicite in veritate revelata continetur ad fidem pertineat?

Q. II°. Quid de disputantium sententiis?

Quaestionum solutio.

164. — Resp. ad I Q. Difficilis et implexa quaestio, cui expediendae ut viam nobis aperiamus, iuverit animadvertere bifariam posse conclusionem aliquam in veritate revelata contineri, *formaliter* nempe et *virtualiter*: formaliter, quum conclusio aequipollentibus verbis

eandem prorsus doctrinam effert quae inest in revelata veritate (sic in definito continetur definitio, pars in toto, particulare in universali); virtualiter, quum nisi per aliquam ratiocinationem non eruitur. Quibus animadversis, ea paucis proferemus quae hac de re nobis certa aut verisimiliora videntur.

I°. Quum veritas aliqua formaliter in revelata continetur, adeo ut primo veluti intuito eadem plane cernatur esse ac revelata, procul dubio ad fidem pertinat. V. c. ex hac propositione: *Deus est adorandus*, tam evidenter colligimus: *Ergo Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt adorandi,* ut vix ulla ratiocinatione opus sit. Hoc indubium est apud omnes.

II°. Si utraque propositio ex qua conclusio per syllogismum conficitur revelata est, adhuc pro certo tenemus conclusionem ad fidem pertinere. Sit exemplum: *Spiritus Sanctus Apostolis illapsus est; at Petrus erat ex Apostolis unus; ergo et Petro illapsus est Spiritus Sanctus.* Quidquid nonnulli senserint, hoc nobis videtur extra dubitationem positum; nam id omne quod in conclusione continetur revelatum est, propterea qui conclusioni assensum praebet, revelato assentitur (1). Syllogismus non est nisi subsidium, seu instrumentum tutissimum, quo utimur ut veritas implicite revelata explicite nobis innotescat; qui autem rationis vim adeo extenuat ut nihil omnino certum assequi valeat, in putidum scepticismum ruat necesse est (2).

III°. Si ex duabus propositionibus, quibus conclusio theologica per syllogismum conficitur, propositio maior revelata est, non autem minor, ut ut certissima, adhuc putamus conclusionem ad fidem spectare. En exemplum: *Vera Christi Ecclesia est una, sancta, catholica et apostolica; atqui Romana Ecclesia talis est; ergo Romana Ecclesia est vera Ecclesia Christi.* Aliud afferamus exemplum: *Concilia oecumenica in rebus fidei definiendis errare non possunt; at Tridentinum Concilium oecumenicum fuit; ergo eius de fide decretis nequit error subesse.* Qui negaret Ecclesiam Romanam veram esse Ecclesiam, aut Concilii Tridentini scitis assensum detrectaret, is profecto haereticus haberetur. Ratio est, quia quum conclusio in maiore propositione revelata virtualiter sit inclusa, a qua per minorem certam prono velut alveo fluit, assensus conclusioni praestitus ultimo in revelatam veritatem fertur atque in ea conquiescit (3).

IV°. Si ex duabus propositionibus maior certa est, minor vero revelata, parum convenit inter doctores an conclusio debeat vel possit fide divina teneri. En exemplum: *Omnis homo ex anima rationali et*

(1) Viva, *Cursus theol.* p. IV, d. II, q. II; Lugo, *De fide,* disp. I, sect. XIII, 682 et seq.; Canus, *De locis theol.* l. VI, c. VIII; Bouvier, *De fide,* c. II, a. I.

(2) Posse humanam rationem certissimo iudicio ad plura pertingere evincit Rosmini, *Logica*, 196-206.

(3) La Croix, *De fide,* 6; Canus et Bouvier (ll. cc.); Ferrè, *La Costituzione dogmatica* **Dei Filius,** 216.

corpore constat; atqui Christus est homo; ergo ex anima rationali et corpore constare dicendus est. Maior propositio, ut patet, adeo certa est ut nihil supra. nam in ipso hominis conceptu hoc inest ut anima et corpore constet: quia tamen intellectus ad assentiendum praedictae conclusioni movetur duplici veritate, altera supernaturaliter revelata, altera per naturalem rationem percepta, idcirco censet Lugo assensui fidei, qui divino dumtaxat testimonio nititur, hic locum non esse (1). Verum conclusionem hanc adhuc posse theologica fide teneri putamus, immo tenendam esse ab eo qui necessarium conclusionis nexum cum veritate revelata pernoscit: quamvis enim humano discursu atque naturalis veritatis subsidio syllogismus perficiatur, assensus intellectus fertur in elementum revelatum quod in conclusione inest. *Fide theologica*, inquimus, libenter enim fatemur, ad catholicam fidem Ecclesiae propositionem requiri: qua animadversione quadantenus fortasse conciliantur oppositae doctorum sententiae.

V°. Conclusio quae ex duabus propositionibus conficitur quarum altera revelata est, altera probabilis immo et probabilissima, non tamen certa, ad fidem pertinere nequit. Exemplo sint hi duo syllogismi: *Infans qui rite Baptismo ablutus fuit, gratia sanctificante ornatur; at hic infans rite fuit ablutus Baptismo; ergo sanctificante gratia ornatus est. In hostia rite consecrata praesens adest Christus; at hostia haec rite consecrata fuit; ergo in ea Christus adest.* Utraque conclusio non est necessario credenda fide divina vel theologica, nam propositio minor, ut ut probabilis immo probabilissima, omnem certitudinem non attingit, fieri enim potest ut Baptismus irritus cesserit, item et consecratio. Hinc, quamvis fidei actus circa huiusmodi conclusiones elici possit et quotidie eliciatur, subest tamen ei tacita conditio: *modo valuerit Baptismus, modo hostia vere sit consecrata* (2). *Fides credentis*, ita Angelicus Doctor, *non refertur ad has species panis vel ad illas, sed ad hoc quod verum Christi corpus sit sub speciebus panis sensibilis, quando recte fuerit consecratum; unde si non sit recte consecratum; fidei non suberit propter hoc falsum* (3).

165. — Resp. ad II Q. Ex dictis palam fit, Nicephorum et Timotheum non recte sentire, quorum alter humanae rationis vim plus aequo deprimit, alter extollit supra quam par est; rectius vero Eusebium sapere, modo intra limites quos constituimus eius sententia contineatur.

(1) Lugo, l. c., 261.

(2) Lugo, l. c., 300, 301; La Croix, l. c.; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XXI ab Innocentio XI damnatam, n. XIX.

(3) II^{a} II^{ae}, q. 1, a. III, ad 4^{um}. Assensus huiusmodi, qui in summa probabilitate nititur atque in veritatis praesumptione, ille est quem philosophi vocant italice *assenso provvisorio* (v. Rosmini, *Logica*, 217-220). Certitudo quae hinc oritur *apodictica*, seu *absoluta* non est, sed *hypothetica* (vid. Rosmini, *N. Saggio*, 1344-1345).

XLVIII.

Terentio sacerdoti, Poenitentiae Sacramenti assiduo ministro, nonnunquam poenitentes occurrunt rudes et crassae minervae, qui Trinitatis et Incarnationis mysteria ignorant; nonnunquam vero de humanis quidem rebus satis exculti, at divinarum incuriosi ac prorsus ieiuni, qui pari illorum mysteriorum ignorantia tenentur. Incertus quid agat (timet enim ne sine absolutione dimissi a Sacramento deinceps abhorreant), paucis catholica doctrina de iis mysteriis proposita, illos absolvit. Semel ab haeretico ob gravem morbum decumbente accersitus fuit; quem cum invenisset iam animam agentem, hisce verbis interrogavit: «Credis omnia quae docet Ecclesia catholica?» cui cum haereticus nutu capitis annuisset, Terentius illum statim absolvit. Alias ad hebraeum morti proximum vocatus, qui Baptismi desiderium familiaribus suis patefecerat, invenit eum sensibus destitutum; quumque dubitaret an Baptismo recipiendo idoneus esset, abluit illum adiecta conditione, *si es capax*.

Quaeritur I°. Quaenam necessitate medii ad aeternam salutem sunt credenda?

Q. II°. An SS. Trinitatis et Incarnationis mysteria necessitate medii credenda sint?

Q. III°. An praecipua fidei mysteria ignorantes absolutione sint donandi?

Q. IV°. Quid de Terentio?

Quaestionum solutio.

166. — Resp. ad I Q. Illud *necessitate medii* ad salutem est necessarium, quod ex rei natura ad salutem obtinendam omnino requiritur, adeo ut, eo etiam citra culpam praetermisso, salus obtineri nequeat. Illud vero *necessitate praecepti* necessarium dicitur, quod vi praecepti dumtaxat requiritur, adeo ut, deficiente quoquomodo obligatione praecepti, salus adhuc obtineri queat. Hisce positis, fidem explicitam in Deum remuneratorem adultis semper fuisse necessitate medii ad salutem necessariam, perquam certissimum est. Namque ait Apostolus: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit* (1). Duo igitur, Apostolo docente, iuxta sunt credenda: Deum esse, et esse bonorum remuneratorem. Atqui Deum esse explicita fide credere oportet, cum Deus sit primum credibile eiusque existentia in alio non contineatur. Ergo et Deum esse remuneratorem fide explicita credendum est. Hinc Innocentius XI propositionem hanc n. XXII damnavit: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris*. Ratio-

(1) *Hebr.* XI, 6.

nem vero cur praeter fidem in Dei existentiam requiratur et fides in Deum remuneratorem exhibet S. Thomas paulinam sententiam sic explanans: *Non solum est necessarium credere quod Deus sit, sed quod habeat providentiam de rebus, aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso* (1). - Obiicies forte, Dei existentiam naturali rationis lumine posse certo cognosci, quod Vaticanum Concilium definivit (2): quod autem ratione cognoscitur obiectum fidei esse nequit. - Thomistae, quibus ratum est de eodem obiecto scientiam et fidem simul non posse consistere, multum adlaborant ut huiusce difficultatis nodum extricent, at fortasse non satis feliciter. At nodus facile solvitur si, thomistarum placito reiecto, cum gravibus doctoribus dicamus de eadem veritate scientiam et fidem haberi posse (3). Nonne plura in SS. Literis scripta sunt quae et naturalis rationis lumine dignosci queunt, ut puta legis naturalis primaria praecepta, facta quae Christi ortum, vitam et mortem respiciunt, ac generatim quae ad historiam pertinent; et tamen tanquam revelata credantur oportet? Nihil sane absurdi in eo est, ut veritati ex duplici veluti fonte acceptae duplicem ob causam assentiamur, nempe ob notitiam naturalis rationis subsidio partam et ob Dei revelantis auctoritatem.

167. — Resp. ad II Q. Quo melius ab incertis certa secernamus, primo de necessitate fidei implicitae, dein de explicitae necessitate in utrumque mysterium quaeremus. De fide in Christum redemptorem, seu de Incarnationis mysterio, sermo noster erit, nam fides in Christum haberi nequit sine fide in Trinitate, quod scite animadvertit Aquinas: *Mysterium Incarnationis credi non potest sine fide Trinitatis, quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, et iterum quod de Spiritu Sancto sit conceptus* (4). Quibus praehabitis, ad propositum veniamus.

168. — I°. Fidem implicitam in Redemptorem quovis tempore necessariam necessitate medii ad salutem fuisse, una omnium sententia est: apertissima namque hac de re SS. Scripturarum prostant testimonia, quorum unum alterumve proferre sat erit. Audi Paulum: *Non iustificatur homo nisi per fidem Iesu Christi* (5); *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnibus et super omnes qui credunt in eum* (6). Nec minus aperte Petrus: *Non est in alio aliquo salus, nec enim*

(1) In epist. ad hebraeos, c. XI, lect. II.

(2) Constit, *Dei Filius*, c. *De revelatione*, can. I.

(3) Ita Suarez, disp. III, sect. IV; Lugo, disp. II, sect. II; Viva, p. IV, disp. III, q. III, a. I; Bouvier, *Di fide*, c. VI, a. III.

(4) II^a II^{ae}, q. II, a. VIII.

(5) *Gal.* II, 16.

(6) *Rom.* III, 22.

aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri (1). Fidem autem implicitam ante Christi adventum suffecisse vel ex eo conficitur, quod in Veteri Testamento certa ac perspicua documenta desiderantur quae divinam Trinitatem ostendant, sine qua Incarnatio Christi concipi nequit (2). Idque clare innuit Paulus haec de Christi fide loquens; *Prius quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quae revelanda erat* (3). Et de Incarnationis mysterio: *Quod absconditum fuit a saeculis, nunc autem manifestatum est* (4). Non equidem inficiamur plures ex veteribus Patriarchis, divinitus illustratos, fidem plus minusve explicitam in Christum habuisse; plerique tamen nisi obscuram atque implicitam habere non potuerunt, et per hanc fidem salutem consecuti sunt. *Si qui salvati fuerunt quibus revelatio non est facta* (ita Angelicus Doctor), *non fuerunt salvati absque fide Mediatoris; quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos* (5).

169. — II°. An post Christi adventum fides explicita in praedicta mysteria necessitate medii sit necessaria, gravis quaestio est. Affirmant cum S. Thoma theologi multi iique spectatissimi, qui pluribus SS. Literarum congestis testimoniis sententiam suam adstruere student (6), eamque auctoritate communiunt Athanasiani Symboli dicentis: *Necessarium est ad aeternam salutem ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.* Ex SS. Literis, praeter ea Pauli qae supra retulimus, illud Christi proferunt: *Haec est vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum* (7). Hic fides in Iesum Christum tam necessaria perhibetur quam fides in ipsum Deum; at fides in Deum explicita necessaria est necessitate medii; ergo et fides in Christum. Aliud quoque argumentum ex his Christi verbis depromunt: *Praedicate Evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* (8). Hic necessitas credendi Evangelio tanta praedicatur quanta recipiendi Baptismum; at Baptismus necessitate

(1) *Act.* IV, 12.
(2) Vide Petavium, l. II *De Trinitate*, c. VIII, 14.
(3) *Galat.* III, 23.
(4) *Coloss.* I, 26.
(5) II^{a} II^{ae}, q. II, a VII, ad 3^{um}.
(6) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. II, a. VII et VIII; Canus, *Relect. de Sacramentis*, p. II; Sanchez, *Decal.* l. II, c. II; Natalis Alexander, *De Decalogo*, c. III, a. VIII, Regulae IV, V, VI; Bonacina, *In I Decalogi praec.*, disp. III, q. II, p. I, 6; S. Alphonsus, II, 2, aliique quos ipse recenset; Scavini, II, 822; Del Vecchio, l. 840; D'Annibale, I, 4; Costantini, 185; Sebastiani, *Summarium*, 101.
(7) Ioann., XVII, 3.
(8) Marc., XVI, 15, 16.

medii necessarius est ad salutem; ergo saltem praecipua Evangelii capita, quae sunt Trinitas et Incarnatio, necessitate medii credantur oportet. Quin haec aliaque id genus SS. Literarum testimonia singillatim expendamus, hoc unum dicimus, non satis constare utrum explicitam fidem respiciant vel implicitam tantum; et si forte explicitam, utrum eam exposcant tanquam necessariam necessitate medii vel praecepti. Hoc ipsum dic de Symboli Athanasiani auctoritate. Quae cum ita sint, contrariae sententiae accedimus quae paucis sic potest evinci.

Fides explicita in mysteria divinae Trinitatis et Incarnationis urgeri nequit tanquam necessitate medii necessaria, nisi vel rei natura vel divinum aliquod iussum eam exposcant. Atqui non eam exposcit natura rei, cum caritas et iustificatio quae illam consequitur haberi possint per solam fidem implicitam in Deum remuneratorem; et reipsa ante Christi adventum per hanc solam fidem homines iustificationem adepti sunt. Neque eam exposcit aliquod Dei iussum, quod in tam gravi negotio apertissimum esse oporteret: *si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* (1). Quae autem ex SS. Literis proferuntur non satis, ut diximus, Dei voluntatem patefaciunt. Ad haec durum videtur ac divinae bonitati minus congruum cogitare, post Christi adventum pluribus occludi salutis viam quibus patuisset antea; hoc enim posito, Christi redemptio iis nocuisset magis quam profuisset. Hanc sententiam gravissimi e veteribus theologis professi sunt ac plures recentiores profitentur (2).

170. — Resp. ad III Q. Adulti ignorantes Deum remuneratorem, ac proinde fidem explicitam in eum non habentes, nullo pacto sunt absolutione donandi: nam, ea fide deficiente, neque Deum diligere neque supernaturalem de suis peccatis dolorem elicere valent: hinc absolutio, nedum illicita, irrita prorsus esset. Quoad illos vero qui sive ex sua culpa sive citra culpam SS. Trinitatis et Redemptionis mysteria ignorant, cum ex modo dictis exploratum non sit fide explicita ea esse necessario tenenda, incertum est an absolutio iisdem donata sit valida: quapropter, vel dimittendi sunt ut ea mysteria addiscant; vel, si commode fieri potest, statim sunt edocendi: (quod per ipsum Crucis signum fieri potest, signi atque verborum illud comitantium significationem aliquatenus explanando); vel, necessitate

(1) I *Cor.* XIV, 8.

(2) Suarez, disp. XII, sect. IV; Lugo, disp. XII, sect. V; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XXII, n. X et in prop. LXIV Innocentii XI, *n.* X et XI; Sporer, tr. II *In 1 praec. Decal.* c. II, 9; La Croix, *De fide*, 20; Bouvier, *De Decal.* c. I, a. I, § II; Bergier, *Dictionnaire de théologie*, art. *Foi*; Gousset, I, 329; Gury, I, 195; Frassinetti, tr. IV. c. I, nota; De Vargeno, *De virtutibus theologicis*, c. I, a. IV, § 3; Ballerini-Palmieri, tr. *De praec. fidei*. 11-14; Tanquerey, *De fide*, 636; Lehmkuhl, I, 391; Génicot, I, 191.

urgente, sub conditione debent absolvi, ut tum eorum bono tum reverentiae Sacramenti iuxta consulatur. Huc facit propositio n. LXIV ab Innocentio XI damnata: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. Iesu Christi.*

171. — Resp. ad IV Q. Si poenitentes quos Terentius incurrit adeo rudes erant et crassae minervae ut infantibus aut fatuis essent aequiparandi, nullo modo poterant absolutione donari; secus optime fecit illos erudiendo, quoad eius fieri poterat, dein absolvendo: quamvis id etiam curare debuisset ut postea plenius docerentur (1). Cum iis vero qui ob rerum divinarum incuriam fidei doctrinam nesciebant, nimis facilem fortasse se praebuit; nam quandoque praestat eos dimittere donec uberiorem christianae doctrinae notitiam sibi comparaverint: praeterea de obligatione haec addiscendi graviter monendi sunt, ac nisi serio id se facturos esse spoponderint, nequeunt absolutione donari. Si haereticus rite baptizatus fuerat, potuit Terentius saltem sub conditione in tanta necessitate illum absolvere quin singula christianae doctrinae capita ante doceret, eo magis quod plerique haeretici in Deum remuneratonem et in Iesum Christum explicite credunt. Si tamen de vi recepti Baptismi dubitasset, sub conditione Baptismus iterandus fuisset. Demum ad hebraeum quod attinet, cum in Deum remuneratorem hebraei credant, potuit Terentius et debuit hebraeum sensibus iam destitutum Baptismo tingere, hac tamen adiecta conditione *si es capax,* quia fortasse explicita fide in SS. Trinitatem et Incarnationem carebat.

XLIX.

Faustus per solidum mensem a precibus ad Deum fundendis se abstinet, quamvis festis diebus Sacro intersit; B. Virginem sanctosque caelites nunquam exorat, satius enim ducit recto tramite ad Deum se recipere.

Iuliana famula dum fructus in hortu colligit, escam gallinis praebet, coenam instruit domino, ceteraque domestica obit munia, quotidianas preces mussitare solet.

Celerinus sacerdos, ne tempus terat, divinas horas persolvit dum mane se vestit, lavat, lectulum sternit; curat tamen ut verba singula recte proferat. Quandoque, dum illis absolvendis dat operam, ad alienas cogitationes invitus rapitur, quandoque vero sciens prudens ad eas animum convertit, de itinere peragendo, de avium venatione, de piscium captura secum ipse loquens; praeterea, ut pulmonibus parcat, nonnunquam tam submisse orat, ut suae vocis sonum percipere non valeat.

(1) Segneri, *Il confessore istruito.* c. VII; Gaume, *Manuel des confesseurs*, c. IV, a. I.

Quaeritur I°. An adsit orationis praeceptum?

Q. II°. Quando obliget orandi praeceptum?

Q. III°. An et quae attentio ad orationem requiratur? proindeque an per distractiones frustretur oratio?

Q. IV°. An recitans horas canonicas seipsum audire debeat?

Q. V°. Quid de Fausto, Iuliana et Celerino?

Quaestionum solutio.

172. — Resp. ad I Q. Oratio, sive definiatur *mentis ad Deum ascensus*, sive *cum Deo sermocinatio*, sive *petitio decentium a Deo*, est actus divini cultus, quippe orando obsequium exhibemus Deo tanquam supremo rerum omnium domino, quod ad virtutem religionis pertinet (1). Orationem iure divino positivo esse necessariam diserta SS. Literarum documenta testantur: *Oportet semper orare et non deficere* (2); *Vigilate omni tempore orantes* (3); *Sine intermissione orate* (4). Ecclesia autem divinum orationis praeceptum in prooemio dominicae precationis his verbis commemorat: *Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster* etc. Sed etiam necessitate medii orationem esse necessariam communis et vera sententia docet. Sane homo lapsus auxilio eget divinae gratiae ad iustitiam consequendam, amissam recuperandam ac perpetuo servandam: ordo autem divinitus constitutus hic est, ut pleraque gratiae auxilia nisi petentibus non tribuantur: debet ergo homo, saltem ex naturali caritatis praecepto, illud arripere quod Deus voluit esse ad salutem necessarium (5). *Cum nihil cuique debeat Deus* (ita Tridentini Concilii Catechismus), *reliquum profecto est, ut quae nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus: quas preces tanquam instrumentum necessarium nobis dedit ad id quod optaremus consequendum* (6).

173. — Resp. ad II Q. Orationis praeceptum, quippe quod affirmativum est, non obligat nisi certis temporibus; obligat autem quandoque per accidens.

Et I°. quidem orandi praeceptum (itidem ac praecepta fidei, spei et caritatis) sat communiter et probabiliter docent obligare *per se*: 1° initio

(1) Videsis S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXXXI, a. I, et II; Rosmini, *Diritto*, II, 536 et seq.; *Compendio di Etica*, 316.

(2) Luc., XVIII, 1.

(3) Luc., XXI, 36.

(4) I *Thess.* V. 17.

(5) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXXXIII, a. II et III, ad 2^{um}; Suarez, *De relig.* l. I, c. XXVIII; Bonacina, *De horis canon.* disp. I, q. II, p. I, 11; Clericatus, *Erotemata*, c. XVI; Sporer, tr. II *In praec. Decal.* c. VII, 21; S. Alphonsus, l. III, in princ. et *Del gran mezzo della preghiera*, c. I; Sebastiani, *Summarium*, 159; Rosmini, *Compendio di Etica*, 318.

(6) *Cathechismus R.* p. IV, c. I, n. IV.

vitae moralis, nempe quum homo liberum suae rationis usum adeptus obligationem persentit se convertendi ad Deum: namque ex doctrina S. Thomae tunc debet homo se ipsum ad Deum tanquam ad finem ordinare illumque ceu bonorum omnium fontem agnoscere (1). 2° Quum mortis periculum imminet, ad perseverantiae donum obtinendum, quod, auctore Augustino, nisi orantibus Deus non praeparavit (2); idque innuisse videtur Christus dicens: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini stare ante Filium hominis* (3). 3° Saepius in vita, quemadmodum non obscure significant illa verba: *Oportet semper orare, omni tempore, sine intermissione.* Si autem quaeras ulterius quoties sit orandum, nil magis incertum: aliii quippe cum Salmanticensibus semel in anno arbitrantur hoc esse faciendum, alii cum Ledesma bis in anno, alii semel in mense cum Lessio et Suarez, alii cum Concina singulis hebdomadis, alii cum Patuzzi intra trium vel quatuor dierum spatium. In tanta opinionum discrepantia satius erit orationis usum commendare et inculcare quam se frustra torquere in definiendo huius obligationis tempore, quod Deo non placuit definire. Ceterum christianus homo qui festis diebus devote assistit Sacro, procul dubio orationis praecepto satisfacere dicendus est.

II°. *Per accidens* hoc praeceptum obligat 1° quoties oratio necessaria est ad aliud praeceptum implendum quo tenemur, v. c. cum obligatio nos tenet audiendi Sacrum, confessionem peragendi, divinam Eucharistiam accipiendi. 2° Quum gravis ingruit tentatio cui superandae oratione opus est, praesertim si cum eo genere daemoniorum pugnandum sit, quod non eiicitur nisi per orationem et ieiunium (4). 3° Quoties nobis vel ceteris et maxime toti communitati grave malum impendit, cui propulsando peculiare Dei auxilium sit necessarium; dicam paucis: quoties caritatis lex sub gravi nos ad orandum impellit (5).

174. — Resp. ad III Q. Quamquam haec quaestio de quovis orationis genere potest institui, plerumque de oratione publica a sacerdotibus peragenda (hoc est de divini Officii recitatione) fieri solet.

Attentio est animum ad aliquid advertere: diducitur autem in *externam* et *internam*. Externa est qua removentur ea quae cum oratione consistere nullatenus queunt, veluti legere, scribere, pingere, aures loquenti praebere, conscientiam discutere et alia talia, quae tum ex adiunctis tum ex personis sunt aestimanda: hanc ad orationem re-

(1) I^{a} II^{ae}, q. LXXXIX, a VI; Sphorer, l. c., 23; Alasia, *De praeceptis Decal.* diss. I, c. II, a. II, 6; S. Alphonsus, l. c.

(2) *De dono persev.* c. XVI, 39.

(3) Luc., XXI, 36.

(4) Matth., XVII, 20

(5) Sporer, l. c.; Navarrus, *Enchiridion.* c. XIII, 18; Habert, *De fide,* c. II, § II; S. Alphonsus, et Alasia, ll. cc.; Reiffenstuel, tr. V, dist. I, 48 ceterique communiter.

quiri fatentur omnes, ea enim deficiente, iam nequit ulla attentio interna subsistere. Attentio interna triplex est: ad verba, ad sensum, ad Deum; prior sufficiens, altera perfectior, optima tertia. Haec plana sunt et incontroversa (1). At, praeter externam attentionem et rectam verborum pronunciationem, estne interna attentio adeo necessaria ut peccare ac minime orare dicendus sit qui ad alienas cogitationes se convertens ea prorsus caret?

175. — Principio tenendum, eum qui invitus evagatur mente non peccare, et vi praehabiti propositi adhuc permanentis orare. *Dicendum*, ita S. Thomas, *quod in spiritu et veritate orat qui ex instinctu Spiritus ad orandum procedit, etiam si ex aliqua infirmitate mens postmodum evagetur* (2). Quod si quis sciens volens dum orat peregrinatur animo, adeo ut interna attentione plane careat, communior sententia (ac nostro iudicio certa) docet eum amplius non orare. Quae sententia non uno suadetur argumento. 1°. Oratio est mentis ad Deum ascensus: si autem mens voluntarie abest, qui potest ad Deum ascendere? 2°. Oratio est actus divini cultus; at cultus exterior sine interiori quoddam mendacii genus est: quippe Deum ludificari atque irridere videtur, qui psittacorum more ingeminat voces absente animo. Hinc Christi questus: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (3). 3°. Ad orationem speciatim quod attinet ab Ecclesia sacerdotibus suis praeceptam, profecto in Dei obsequium, hoc est tanquam actum virtutis religionis, eam praecipi nemo inficias iverit; porro repugnat Ecclesiam velle Deo exhiberi obsequium per actum qui displicet Deo. Quocirca ad eum fere modum quo non fit satis annuae confessionis vel Communionis praecepto per confessionem vel Communionem sacrilegam, ita dicendum orationis praecepto non satisfieri per actum qui ad virtutem religionis non pertinet, immo in religionem offendit. 4°. Id ex eo firmatur quod Innocentius III conceptis verbis edixit: *Districte praecipitur in virtute obedientiae, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter ac devote* (4). Quomodo, sodes, cum volontaria mentis alienatione componi devotio potest? (5).

(1) S. Thomas, II^{a}, II^{ae}, q. LXXXIII, a. XIII; Sporer, tr. I prooem., c. III, sect. VI, 41; La Croix, l. IV, 1332-1339; S. Alphonsus, IV, 176.

(2) S. Thomas, l. c., ad 1^{um}.

(3) Matth., XV, 8.

(4) Decret. c. *Dolentes, de celebr. Missarum.*

(5) Ita sentiunt S. Thomas, in IV, dist. XV, q. IV, a. II; Navarrus, *Enchiridion*, c. XXV, 106; Suarez. *De horis canon.* l. IV, c. XXVI; Sporer, l. c., 42; Bonacina, l. c., p. II, § II, 4; Reiffenstuel, tr. VI, dist. I, 43; S. Alphonsus, l. c.; Bouvier, *De ordine*, c. VI, a. II, § III; Alasia, l. c., a. III, § IV, 12; D'Annibale, II, 20; Tanquerey, *De religione*, 870; Rosmini, *Conferenze sui doveri ecclesiastici*, Conf. III, 111.

176. — At, quoniam contrariae sententiae nonnulli adstipulantur theologi, praestat eos parumper audire, ne inauditos damnando iniqui in eos videamur. Et 1°. dicunt, et voluntarie distractum posse aliquid a Deo petere: oratio autem non est nisi petitio decentium a Deo. 2°. Si interior attentio ad essentiam orationis pertineret, ea etiam involontarie deficiente, oratio deesset, quod nemo dixerit. 3°. Sacramentum Extremae Unctionis valere certum est tametsi minister formam proferat voluntarie distractus: cumque huius Sacramenti forma deprecatoria sit, iam liquet cum voluntaria distractione posse orationem consistere (1). Haec subtiliora quam solida nobis videntur. Nam 1° esto, posse et voluntarie distractum aliquid a Deo petere, sed haec petitio iam non esset religionis actus, quippe Deo iniuriosa: propterea orationis nomine perperam honestaretur. 2°. Cum quis invitus evagatur mente, adhuc in proposito seu bona voluntate orandi permanere censetur; qua manente, exterior actus eius bonitate imbibitur Deoque gratus existit. Contra per voluntariam distractionem propositum attente orandi revocatur, actus exterior inficitur Deoque iniuriam irrogat. 3°. Princeps Sacramentorum minister Christus est, qui per sacerdotem quasi per istrumentum operatur; quapropter etsi sacerdos Unctionem ministrans mente distractus deprecatoria verba pronuntiet, Christus orat per eum. Haec cum ita sint, de intrinseca huius sententiae probabilitate nobis liceat dubitare.

Ceterum, quidquid sit de satisfactione praecepti per orationem cum voluntaria distractione a sacerdote vel a quovis alio peractam, apud omnes in confesso est, sic orantem peccare atque orationis fructu carere, quippe qui cum Deo irreverenter se gerit, Ecclesiae voluntati refragatur, seque in periculum coniicit praecepto non satisfaciendi; neque frustra scriptum est: *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter* (2). *Non est absque peccato*, ait S. Thomas, *quando aliquis orando evagationem mentis patiatur: videtur enim contemnere Deum, sicut si alicui homini loqueretur et non attenderet ad ea quae ipse profert* (3).

177. — Resp. ad IV Q. Cum horae canonicae orationes vocales sint, convenit eas voce exprimendas esse: hinc communius docent sic esse voce proferendas ut proferens (remotis, si qua extrinsecus essent, impedimentis, v. c. surditatis, strepitus, etc.) vocem suam audire queat (4). Est tamen S. Alphonso *satis probabilis* (5) plurium

(1) Lugo, *De Euch.* disp. XXII, sect. II; La Croix, l. c., 1342, aliique quos citat S. Alphonsus, l. c., 177.

(2) Ierem., XLVIII, 10.

(3) II^a II^{ae}, q. LXXXIII, a XII, et D'Annibale, 20, nota 25.

(4) Suarez, *De relig.* l. IV, c. VII; La Croix, l. c., 1294; Voit, I, 1272; Alasia, l. c., 2; D'Annibale, l. c., 21; Costantini, 210.

(5) Lib. IV, 163.

sententia qui docent hoc necessarium non esse, sed sufficere ut verba articulate proferantur, quamvis vocis sibilus adeo tenuis sit ut nullo modo a proferente percipiatur; recitare enim horas, non audire iubemur (1).

178. — Resp. ad V Q. Faustus, si devote Sacro interest festis diebus, orandi praecepto satis facit; certe praeceptum orandi graviter non violat, etsi per mensem alias preces non fundit. Beatos caelites, sanctamque Virginem in primis non exorans, saltem veniali culpa polluitur; quae lethalis esse posset, si ex contemptu fieret aut ex errore de honestate vel utilitate cultus Sanctis exhibendi. Etenim Deiparae patrocinium reiicere, quam *gratiae Matrem* Ecclesia nuncupare solet, cum Ecclesiae tum B. Virgini ac Deo iniurium foret: hinc B. Virginis invocationem sub praecepto cadere plures doctores contendunt (2).

Nedum carpenda Iuliana, laudanda potius quod actuosam vitam Deum exorando sanctificet: eo magis si domesticis curis districtae commodum orandi non suppeteret tempus, ait enim Apostolus : *Volo viros orare in omni loco...* ; *similiter et mulieres* (3). Minuitur quidem paululum exterioribus ministeriis attentio mentis, sufficiens tamen relinquitur ad Deum exorandum.

Minime vero laudandus Celerinus, qui cum ad divinum Officium recitandum ab Ecclesia sit deputatus, illud perfunctorie et non ea qua decet reverentia festinat absolvere, ne tempus terat. Quamvis enim actiones illae omnem mentis attentionem plerumque non auferant, minuunt tamen, quia

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Quum invitus ad alienas cogitationes rapitur, culpa vacat satisfacitque Ecclesiae praecepto; contra, et peccat et verosimilius praecepto non satisfacit, cum sciens prudens ad aliena mentem convertit; quia tamen S. Alphonsus satis probabilem retur contrariam sententiam, non audet eum ad restituendum adigere qui *bona fide* Officium voluntarie distractus recitavit, ac *bona fide* (nota verba) fructus percepit (4). Demum Celerinus noster, tam submisse orans ut seipsum audire nequeat, satis probabiliter praeceptum implet, si verba omnia articulatim profert; verendum tamen est (praesertim quia ob quamdam socordiam, nempe ut pulmonibus parcat, silentio orat) ne, voce penitus deficiente, vocalis oratio passim in mentalem desinat.

(1) Silvius, Laymann aliique penes S. Alphonsum, l. c.; Lehmkuhl, II, 796; Tanquerey, *De officiis clericorum*, 1092; Sebastiani, *Summarium*, 392, III; Ferreres, *Epitome*, 579; Génicot, II, 57.

(2) Silvius et Billuart cum Bouvier, *De incarnatione*, c. X, a. I, prop. III; Gury, II, 247; Lehmkuhl, I, 481.

(3) I *Tim.* II, 8.

(4) Lib. IV, 163.

L.

Martina Sacrum audire recusat quum a sacerdotibus perficitur quibus Matthaei vel Mathiae nomen est; contra ad Sacrum properat quum sacerdos Sacrum facturus Ioannis nomine nuncupatur, huius enim Sacrificium virtute ac merito ceteris praepollens existimat. Cum in somnis rabidum canem sibi aperto ore occurrentem vidisset, renuit adire templum canis morsum expavescens. Die festo S. Ioannis horis antelucanis herbas colligit, quas deinde a sacerdote Ioannis nomine benedictas gallinis porrigit ut plura ponant ova. Gallinis aegrotantibus quasdam preces ad aures murmurat ut convalescant. Pro re aliqua amissa aut sibi furto sublata invenienda sanctum Antonium patavinum certis precibus exorat, rata suam rem inventuram esse quamprimum.

Marcus dies quosdam ominosos habet: hinc die Martis nunquam se itineri committit, die Veneris demortui filioli funus peragi non sinit. Dum autem itineratur, S. Georgii numisma ad pectus defert, hoc enim munimine tectus pro certo habet se nunquam e curru casurum; ad moerentem animum de filioli obitu solandum novendiales preces a parocho faciendas curat, novem cereis rubei coloris ante B. Virginis simulacrum accensis, ut uxor iam gravida masculum edat. Ad coenam ab amico invitatus, vixdum cernit tredecim esse convivas, e coenaculo prosilit aliquid mali sibi reformidans, quia tredecim discumbebant in coena Domini, quos inter proditor Iudas qui laqueo se suspendit.

Rusticus lunae cursum sedulo observat, ut pluvias, tempestates, animalium aegritudines praenoscat: propterea certis lunae diebus neque iter faciendum, neque mittenda semina, neque barbam capillosque tondendos, neque praecidendas ungues, neque mutuo quidquam dandum existimat.

Quaeritur I°. Quid est superstitio et quotuplex?

Q. II°. An superstitio sit peccatum ex genere suo grave?

Q. III°. An fidem adhibere somniis superstitiosum sit?

Q. IV°. An in singulis factis de quibus supra insit superstitio?

Q. V°. Quomodo parochi et confessarii cum personis huiusmodi se gerere debent?

Quaestionum solutio.

179. — Resp. ad I Q. Superstitio est vitium quod in virtutem religionis per excessum offendit, ac definiri solet: *Supremus cultus indebito modo Deo praestitus, vel ei praestitus cui non debetur.* Hinc duplex superstitionis genus, aliud quod respicit *modum* quo Deus colitur, aliud quod respicit *rem* seu *obiectum* cultus. I°. *Superstitio indebiti cultus* habetur quum verus Deus colitur cultu *falso*, v. c. iudaico; vel *superfluo*, actibus nempe qui ad Deum colendum non per-

tinent, ut puta die Veneris nolle iter suscipere aut nere sabbato, nolle Deum exorare nisi certo loco aut certa adhibita precationis formula, falsa miracula vel prophetias in vulgus spargere. II°. *Superstitio rei cultae* tunc adest cum divinus cultus impenditur fictis diis aut idolis aut daemoni: hinc *polytheismus, idololatria* ac *daemonologia*. Daemonologia alia perfecta est, qua daemon supremo cultu adoratur, vel ea expetuntur a daemone quae unus Deus praestare valet; alia imperfecta est, qua aliquid a daemone petitur quod eius vires non excedit. A daemone autem expeti quidquam potest sive per pactum cum eo initum, idest per expressam invocationem, sive per invocationem tacitam, quum ad effectum aliquem obtinendum inepta media scienter usurpantur: qui enim ineptis mediis effectum obtinere nititur quem neque a Deo neque a naturalibus causis expectare fas est, is profecto a daemone illum exposcere censetur. Ad daemonologiam tanquam species ad genus revocantur *divinatio, vana observantia* et *magia*. 1°. Divinatio, quae est occultorum ac maxime futurorum ope daemonis cognitio, diversis appellatur nominibus pro diversa ratione qua exercetur: *necromantia* si per mortuorum evocationem; *praestigium*, si per inanes larvas seu phantasmata; *geomantia*, si per signa in terrenis corporibus; *silomantia*, si per festucas humi inventas; *aeromantia*, si per signa in aëre; *hydromantia*, si per signa in aqua; *pyromantia*, si per signa in igne, *chiromantia*, si per lineas in manu impressas; *metoscopia*, si ex frontis lineamentis; *augurium* si per avium volatum; *haruspicium*, si per animalium exta; *astrologia*, si per astra; *omen*, si per fortuitum eventum, *sortilegium*, si per sortes; *oniromantia*, si per somnia: *virga divinatoria*, si per virgam ex corylo bifurcatam (1). 2°. Vana observantia, qua ad effectum aliquem consequendum media adhibentur inepta, diversis appellationibus vocatur: *ars notoria, observantia sanitatum, observantia eventuum*, prout vel ad acquirendam rei ignotae notitiam, vel ad salutem servandam, vel ad futuros casus praecavendos spectat. 3°. Magia ars est mira et insolita ope daemonis patrandi; quae si ad nocendum cuipiam usurpetur, *maleficii* nomen obtinet (2).

180. — Resp. ad II Q. Quaedam superstitionis species ex genere suo gravissimum sunt peccatum, neque unquam materiae parvitatem recipiunt: eiusmodi sunt quae divinum cultum alteri tribuunt, ut idololatria ac daemonologia perfecta; item quae per pactum cum dae-

(1) Etsi plerumque virgae divinatoriae usus superstitionem redolet, attamen non omnino improbandus videtur si ad effectus illos dirigatur, qui per naturae vires obtineri queunt, ut puta ad aquae venas vel metalla sub terra abdita detegenda. Sebastiani, *Summarium*, 170; Bucceroni, *De primi Decalogi praecepto*, 477; Ferreres, *Epitome*, 197.

(2) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. XCII et seq.; S. Alphonsus, III, c. I, ceterique communiter.

mone vel expressam eius invocationem perficiuntur. Quaedam vero sunt quae levia esse possunt, sive ob materiae parvitatem, sive ob ignorantiam vel simplicitatem agentis; eiusmodi plura sunt quae superfluum Dei cultum respiciunt et daemonolatriam imperfectam per tacitam daemonis invocationem, saepe enim fit ut inepta adhibens media ad effectum aliquem obtinendum non satis animadvertat tacitam iis mediis daemonis invocationem subesse, aut certum effectum non expectet, sed magis speret vel timeat (1).

181. — Resp. ad III Q. Oniromantiam inter divinationis species recensuimus: hoc tamen declarationem postulat, quippe somniis credere non semper superstitiosum est. Sunt somnia quae a Deo per se vel per bonos Angelos immittuntur; sunt quae cacodaemonem auctorem habent; sunt quae ex naturalibus causis oriuntur. Multa somnia divinitus immissa fuisse innumeris fere SS. Scripturarum testimoniis evincitur (2). *Per somnium, in visione nocturna* (ita legimus in libro Iob), *quando irruit sopor super homines et dormiunt in lectulo, tunc (Deus) aperit aures virorum et erudiens eos instruit disciplina, ut avertat hominem ab iis quae fecit, et liberet eum a superbia eruens animam eius a corruptione* (3). Item a pravo daemone somnia excitari posse ex SS. Literis colligitur, quae somniorum observationem pariter cum auguratione reiiciunt: *Non augurabimini, neque observabitis somnia* (4). Plerumque tamen causis naturalibus somnia sunt tribuenda: simulacra enim rerum quas vigilantes sensibus usurpavimus, in somnis obversari nobis solent, canente poeta:

Omnia quae sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies (5).

Ex diversis etiam seu corporis seu animi affectionibus diversi in nobis dormientibus cientur motus speciesque finguntur. *Somnia turpia* (ad rem S. Basilius) *nascuntur certe ex absurdis motibus interdiu in animo contingentibus. Quod si anima in Dei iudiciis occupata exstiterit pura, atque res honestas et Deo placitas assiduo meditata fuerit, etiam eiusmodi insomnia habebit* (6). Et Tullius: *Qui se tradit quieti cum bonis cogitationibus, certa et vera cernit in somnis* (7). Quae a Deo sunt somnia fidem omnem merentur; quae a daemone nullam, quippe patrem

(1) S. Thomas et S. Alphonsus, ll. cc.; Navarrus, *Enchiridion*, c. XI, 24; Reiffenstuel, *De religione*, dist. II; Sporer, tr. II, *in I praec. Decal.* c. IX, 44-49.

(2) *Gen.* XX, 3; XXXI, 11; XXXVII, 5, 9; *Iudic.* VII, 13; Matth., I, 20; II, 12, 13, 19, etc.

(3) Iob, XXXIII,, 15-18.

(4) *Levit.* XIX, 26. Vide etiam *Eccle.* V. 2, 6.

(5) Claudianus, *De raptu Proserpinae.*

(6) *Reg. brevior*, inter. XXII.

(7) *De divinatione*, I, 53.

mendacii auctorem habent; ex iis vero quae ex naturalibus causis oriuntur fas est ea coniicere quae causae virtutem non superant, veluti animi corporisve aegritudines, indolem, studia somniantis, non autem licet futura, occulta, impervia divinare, quae nullam cum causa connexionem habent, id enim esset tacite a daemone horum notitiam exposcere (1). At quanam ratione somnium a Deo immissum internoscere licet ab eo quod a cacodaemone excitatur? Quamquam difficile ac periculosum est iudicium de hoc ferre, id pro certo habendum, somnium illud a Deo non esse quod a bono agendo nos retrahit quoque interius turbamur; contra vero illud Deo tribui posse quo ad bonum ferimur quodque evanescens serenum animum pacatumque relinquit. *Sancti viri*, ad rem S. Gregorius, *inter illusiones atque revelationes ipsas visionum voces et imagines quodam intimo sapore discernunt, ut sciant quid a bono spiritu percipiant et quid ab illusione patiantur* (2).

182. — Resp. ad IV Q. Etsi quaedam ex illis quae a Martina praestantur mala in se non sunt, quin etiam pie praestari queunt (veluti herbas die S. Ioannis colligere, et benedictas gallinis praebere, pro gallinae incolumitate Deum orare), inspectis tamen rerum adiunctis, superstitione illa videntur infecta quae cultus superflui appellatur. Omissio autem Sacri ob metum canis rabidi in somnis a se visi ad eam divinationis speciem pertinet quam oniromantiam vocavimus. Ceterum, quia simplex femina bona fide haec praestat, non est gravis culpae damnanda, nisi forte ob canis formidinem die festo Sacrum omiserit. Nolle Sacrum audire nisi a sacerdote certi nominis celebratum, aut benedictionem nisi a Sacerdote eiusdem nominis accipere, oppido superstitiosum est (3). Demum S. Antonii invocatio ad res amissas furtove sublatas inveniendas nulla inficitur superstitionis labe, pia enim est et iugi experimento efficax comprobata (4).

Vanae observantiae labe Marcus purgari nequit: nullus enim hebdomadae dies infaustus est; neque ullum numisma a casu servare certo potest (attamen si a numismate, non quasi ab amuleto certus expectetur effectus, sed per Sancti merita speretur, omnis exulat superstitio); neque cereorum color aut numerus ad gratias a Deo im-

(1) S. Thomas, II^{a} II^{ae}. q. XCV, VI.

(2) *Dial.* l. IV, c. XLVIII, Cf. etiam S. Augustinum, *Confess.* l. VI, c. XIII. Vide Lanzoni, *Gli Angeli nelle divine Scritture*, art. XXX, et Du Clot, *La Bibbia difesa*, vol. I, Genesi, nota LXXVI. De somniorum natura, varietate et causis scite disserit Paulus Perez, promus condus elegantiarum, in oratiuncula quae inscribitur: *Intorno al sonno e ai sogni*. Vide *La Sapienza*, an II, vol. II, p. 719-724.

(3) Gousset, I, 416; Guillois, *Catechismo*, vol. II, lez. VIII, a. II; Sebastiani, *Summarium*, 164, 165.

(4) Guillois, l. c.

petrandas quidquam valent, multo minus efficere possunt ut infans iam conceptus masculus sit vel fiat. Postremo numerorum formidine moveri superstitiosum est atque ridiculum: quid enim magis innoxium numero?

Cum luna naturales quosdam effectus habere possit, hos spectare superstitione vacat: at nolle mutuum certis lunae diebus dare, oppido superstitiosum est, cum lunae in mutuum nullus influxus sit. Ex his iam conficies quid de Rustico sit sentiendum.

183. — Resp. ad V Q. Plerumque ridenda potius quam vehementer obiurganda et improbanda multa quae popellus superstitiosa fovet (1): nam, praeterquam quod difficile admodum est eiusmodi persuasiones convellere rudium mentibus infixas, fieri potest ut mali conscientia inducatur cum detrimento animarum quae ignorantia detinebantur aut bona fide (2). Si tamen quaedam sacrilegum quid referant vel manifeste daemonum concursum requirant, instruendi sunt ac monendi qui iisdem utuntur, etenim bona fides eos excusare non valet.

Coronidis gratia canonem 1399, n. 7 *Iuris pontificii Codicis* exscribimus, quo declarantur ipso iure prohibiti *Libri qui cuiusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum aliaque id genus docent vel commendant.*

LI.

Rebecca mala femina, cum frustra Ersiliam neptem suam a nubendi proposito abducere conata esset: Abi in malam crucem », clamat, « te facti quamprimum poenitebit ». Vix initis nuptiis, Ersiliae vir tanto in eam horroris sensu afficitur, ut neque aspectum tolerare valeat. Rem animadvertens Rebecca sic neptem affatur: « Da mihi centum aureos et illico omne malum cessabit ». Ersilia, suspicans malae feminae imprecationem non sine maleficio fuisse, confessarium adit ut quid sibi sit agendum doceatur.

Quaeritur I°. Quid sit maleficium et quotuplex, et an sit grave peccatum?

Q. II°. Quid Ersiliae respondebit confessarius?

Quaestionum solutio.

184. — Resp. ad I Q. Magia, quam appellavimus artem mira patrandi daemonis ope, quum ad nocendum alteri adhibetur *maleficii* nomen obtinet. Maleficium diducitur in *amatorium* (graece *philtrum*) et *veneficum* quod *veneficium* nuncupatur: illud ad odium, vel insa-

(1) La Croix quinquaginta vanae observantiae exempla numerat, l. III, p. I, 28, aliaque non pauca videre potes apud S. Alphonsum et Guillois, ll. cc.

(2) S. Alphonsus, III, 17.

niam, vel turpem amorem excitandum tendit; hoc ad noxam cuiquam seu in persona seu in rebus inferendam. Maleficium gravissimum esse peccatum contra religionem et iustitiam, nemo est qui ambigat: nititur enim maleficii vis in auxilio daemonis expresse vel tacite impetrato, quod impiissimum est; et alteri nocere captat, quod est iniustum. Hinc in veteri lege malefici morte plectebantur: *Maleficos non patieris vivere* (1); Ecclesia autem diversis poenis in eos animadvertere consuevit (2).

Hinc monendi sumus, duos esse scopulus iuxta vitandos: sunt enim qui daemonis occursus ac maleficia cernunt ubique, et sunt qui nullibi; utrique in errore versantur. Errant illi, multa enim hominibus accidunt noxia, quae quamvis unde proveniant ignoremus, non illico diabolico maleficio sunt tribuenda: qui perniciosus error longe lateque anteactis saeculis apud vulgus obtinuit, fuitque saepe causa ob quam viri ac mulieres ob falsum maleficii crimen in iudicium adducti saevitiis vexarentur, torquerentur, capite damnarentur insontes (3). At hi quoque errant, nam et daemones esse et saepe hominibus per maleficia nocuisse hodieque nocere posse, vera fides docet; propterea horum error, ut ait Doctor Angelicus, *procedit ex radice infidelitatis, sive incredulitatis, quia non credunt esse daemones nisi in aestimatione vulgi tantum* (4). Vides quam cauto pede sit incedendum ut scopulus uterque vitetur. Hic licet illud Poetae usurpare:

Periculosum est credere et non credere (5).

185. — Resp. ad II Q. Quamvis malae imprecationi maleficium subesse possit, hoc tamen raro accidit neque facile existimandum, ut vulgus solet. In subiecta facti specie, cum horror viri in Ersiliam repente sit exorsus, nulla huius horroris apparente naturali causa, non immerito de maleficio suspicari licet; quae suspicio ex eo firmatur quod Rebecca sit femina nequam et malo removendo, accepta pecunia, se pronam exhibeat. Quapropter confessarius Ersiliae primum naturalia suadebit remedia, si qua sunt idonea, viro placando; dein supernaturalia, cuiusmodi sunt preces ad Deum, aqua lustralis, Sancto-

(1) *Exod.* XXII, 18.

(2) S. Alphonsus, III, 23, ceterique communiter. Octo modos maleficii perpatrandi numerat Clericatus, *Erotemata*, c. XXV.

(3) Videsis Manzoni, *Storia della colonna infame;* item, *Processo originale degli untori nella peste del* M.DC.XXX, ed. Milano, MDCCCXXXIX et Cantù, *Illustrazioni ai Promessi sposi*, XX, Gli untori.

(4) *Suppl.* III p., q. LVIII, a II. Videndus Lanzoni, *Compendium theologiae dogmaticae*, tom. I, tr. III, c. III, a III, § II, *De magia*; Scotti, *Teoremi di politica cristiana*, p. III, Teorema VIII, n. XI et seq.; Guillois, *Catechismo*, vol. II, lez. VIII, a. II; Dell'Aquila, *Dizionario biblico*, v. Pitone, Du Clot. *La Bibbia difesa*, vol. I, *Esodo*, nota XXXIII.

(5) *Phoedri fabulae*, l. III, X.

rum reliquiae, crucis signum, Sacramenta, exorcismi, etc. Quae si nihil proficiant, poterit Ersilia maleficium per Rebeccam, soluta pecunia, dissolvere si certo noverit sine novo maleficio Rebeccam hoc esse praestituram; si vero ad maleficium auferendum novo maleficio Rebecca usura sciretur, nequaquam liceret ab ea maleficii remotionem petere, cum enim maleficium sit intrinsece malum, numquam peti licite potest (1). Quod si dubitetur an novo maleficio opus sit ad pristinum solvendum, plerique hoc illicitum putant ob mali intrinseci periculum quod omnino cavendum (2); alii satis caveri rentur adiecta hac conditione, *dumne sine maleficio fieri queat* (3). Satius ducimus ad supernaturalia remedia confugere quae ceteris efficaciora sunt, quippe quae in Christi meritis nituntur: namque *in hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli* (4). Denique abs re non erit cum Génicot animadvertere, vera maleficia esse hodie rarissima, propterea confessarius ne facile fidem adhibeat rudibus ea asserentibus, immo graviter illos increpet qui alios (praesertim senes aut vetulas) maleficii incriminantur cum caritatis atque iustitiae laesione (5).

LII.

Tulliola, occulto laborans morbo, medicorum consilio ad hypnotismum experiendum inducitur, vel saltem ad crisiacum interrogandum.

Epiphanius sacerdos hypnoticis experimentis adest, ut de iis quae proferuntur portentis aequum valeat iudicium ferre.

Anolinus animi causa hypnoticis spectaculis interest, quippe ludicris histrionum ac circulatorum artibus, potius quam daemoni, haec tribuenda retur.

Quaeritur I°. Quid generatim de hypnotismo sentiendum?

Q. II°. An valetudinis curandae gratia hypnotismi usus sit licitus?

Q. III°. An ad scientiam comparandam liceat hypnoticis experimentis adesse?

Q. IV°. An liceat animi causa?

Q. V°. Quid in singulis propositis factis iudicandum?

(1) *Summa Sylvestrina*, v. *Maleficium*, Reiffenstuel, tr. V, dist. II, 50; Bonacina, *In I praec. Decal.* disp. III, q. V, p. V, 7; Sporer, tr. II, c. IX, 41; Clericatus, l. c.; Habert, *De virtute religionis*, c. VII, § I; Alasia, *De Decal.* diss. II, c. II, a. IV, § II, 24; Bouvier, *De Decal.* c. I, a. IV, sect. I, p. IV; S. Alphonsus, 25; Lehmkuhl, I, 498: Sebastiani, *Summarium*, 173.

(2) Bonacina, 8: Sporer, Bouvier, Lehmkuhl, Sebastiani, ll. cc.

(3) D'Annibale, II, 35.

(4) I Ioan. III, 8.

(5) Génicot, I, 268.

Quaestionum solutio.

186. — Resp. ad I Q. Qui olim *magnetismus animalis*, vel ab inventoris nomine *mesmerismus* appellari consueverat, hodie *hypnotismus* vocatur. Est autem hypnotismus morbosus quidam somnus, quem alter alteri suadet gesticulationibus, contrectatione, insufflationibus, intuitu, obiectu rei perlucidae (veluti facis accensae, vitrei globuli) oculos fatigantis, immo (ut quidam evenire contendunt) etiam solo voluntatis imperio. Qui haec praestat *magnetizator* vel *hypnotizator* dicitur; qui vero patitur *hypnotizatus* vel *crisiacus* audit (1). Triplex veluti gradus hypnotismi existit, scilicet *lethargia, catalepsis* et *somnambulismus*.

In lethargia crisiacus adhuc ea sensibus percipit quae circum se peraguntur; quae tamen sentit promere non valet. In catalepsi plus minus vigor exterioribus sensibus manet, at torpet mens et fere iners efficitur. In somnambulismo, licet somno gravatus, crisiacus videt, audit, loquitur, quaerentibus respondet, immo mirum in modum eius sensus acuuntur (2). Praecipua phaenomena eaque miranda in somnambulismo apparent, quae paucis complectemur. Et 1° venit *hiperestesia*, per quam vis sensuum ita augetur ut crisiacus minutissima quaeque percipiat quae neque vigiles percipere queunt. 2°. *Sensuum transpositio*, qua fit ut alter sensus alterius vices supleat: hinc per occiput legere, per ventriculum audire, digitis olfacere. 3°. *Affectionum communicatio*, quae fit per *suggestionem*, quam vocant: nimirum hypnotizans hypnotizato seu voce, seu nutibus, seu voluntate tantum ea communicat quae ipse cogitat, sentit, optat, vult, tamque efficaciter ut hypnotizatus eadem cogitet, sentiat, optet, velit. Ex quo 4° novum phaenomenom, quod *duplicatio personae* nuncupatur: nimirum crisiacus duplicem veluti personam suscipere immo sentire in seipso videtur. 5°. *Clarus visus* (italice *chiaroveggenza*), ob quam crisiacus abdita, remota, futura pernoscit, linguis loquitur quas nunquam didicit, de scientiis et artibus sapienter disserit quas antea penitus ignoraverat (3). En praestantiora hypnotismi phaenomena. Quid de illis sentiendum?

(1) Hypnotismi historiam concinne et perspicue, more suo, tradit D'Annibale, qui deinde phaenomena hypnotica sedulo perpendit ac scite (II, 38-54). Videri etiam possunt e recentioribus theologis Tanquerey, *De actibus hum.* 134-135; *De religione*, 906-916; Lehmkuhl, I, 501, 502; Zaninetti, 978; Costantini, 241; Piscetta, I, *De virtute religionis*, 311; Guillois, *Catechismo*, vol. II, lez. VIII, a. II; Sebastiani, *Summarium*, 177; Ferreres, *Epitome*, 200-203; Génicot, I, 272-275.

(2) Lapponi, *Ipnotismo e spiritismo*, c. II, 13-16.

(3) Lapponi, op. cit.; Méric, *Il maraviglioso e la scienza*; Conca, *Isterismo e ipnotismo*; Belfiore, *Magnetismo e ipnotismo*; Fogazzaro, *Discorsi, Per una nuova scienza*.

187. — Quaedam sunt quae naturalem explicatum recipiunt, quippe quae naturae vires non excedunt; alia quae, quia naturae leges praetergrediuntur, praeternaturalem causam expostulant; alia demum de quibus incertum est utrum naturali vel praeternaturali causae sint adscribenda. Et 1°. *lethargiam, catalepsim* et *somnambulismum* naturalium causarum vires non transilire, extra dubitationem ponendum est; nam gesticulationibus et oculorum obtutu plura animalia, nedum domestica et mansueta sed etiam fera, facillime soporari innumera exempla confirmant (1); reminiscere virgilianum:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

2°. *Hiperestesia* per naturales causas obtineri potest: namque compertum habemus, etiam in somnambulismo naturali id quandoque evenire, ut somnambuli sensus ita acuantur ut demissis palpebris per tenuissimos lucis radios obiecta sibi cernat, levissimosque vocis sibilos, ceteris non audientibus, audiat (2). 3°. *Sensuum transpositio*, si vere adest, nullo pacto naturalibus causis adscribi potest: namque sensus nostri ita natura sunt comparati ut lux nisi per organon visus, sonus nisi per auditum, odor nisi per olfactum excipi nequeant. At visio per opaca corpora interiecta, quadantenus fortasse explicari potest per radios quosdam (ab inventore *Röntgen* appellatos), quibus quaedam corpora translucida efficiuntur (3). 4°. *Affectionum communicatio* quae per suggestionem fit, sufficienter explanari potest quin ad praeternaturales causas necesse sit confugere, quum hypnotizans, quae intus gerit in animo, per aliquod sensibile signum crisiaco manifestat: ita enim constituti sumus, ut intelligibilia per sensuum vehiculum alter ab altero recipere valeamus. Quod si suggestio mente tantum fiat, causis naturalibus iam tribui nequit, nam quae hominis penitiora sunt atque in animo delitescunt, uni Deo sunt perspecta qui renum et cordium scrutator existit (4). 5°. Posita affectionum communicatione,

(1) Belluarum domitores minacibus oculis eas imperio suo subiiciunt; magi orientales serpentes oculorum intutu; Pythagoras aquilam, bovem et ursum fascinavit; Kircher sodalis ignatianus pullos gallinaceos; Wilson ranas, canes, equos, lupos. Vide Belfiore, op. cit., IX, XII.

(2) Mèric, op. cit., l. II, c. II, n. VI, VII; Lapponi, op. cit., c. II, 16, c. V, 6; Morselli, *Psicologia moderna*, c. VII, n. VII; Rosmini, *Apologetica, lett. sul sonnambulismo artificiale*; Morando, *Psicologia*, lez. XXXII, 4; Gatti, *Cristologia*, conf. IX. De presbytero Restituto, qui se ipsum pro libito soporabat soporatusque ceu mortuus iacebat, scribit Augustinus: *hominum voces, si clarius loquerentur, tanquam de longinquo se audisse postea referebat* (*De civit. Dei*, l. XIV, c. XXIV).

(3) Morando et Rosmini, ll. cc.

(4) Quomodo haec affectionum communicatio fieri naturaliter possit, psychologi demonstrant. Videsis Calza, *Intorno all'odierno ipnotismo*, c. IV, ubi nonnulla hypnotismi phaenomena naturalem explicatum habere posse conficitur.

personae duplicatio vix ullam difficultatem prae se fert: etenim cum crisiacus hypnotizantis affectus in seipso sentiat, duas veluti personas in seipso sentiat necesse est. Nonne et nobis vigilantibus quandoque contingit, ut propter affectus inter se pugnantes duo esse videamur? nonne Paulus duos in seipso sentiebat homines, novum et veterem, alterum alteri repugnantem? (1). 6°. Demum ad *claram visionem* quod attinet, qua crisiacus longinqua et a sensibus prorsus remota quasi praesens percipit, ignotas linguas (etsi rudis et bardus) intelligit, loquitur, arcana quaeque et in animo latentia introspicit, futuros divinat eventus (si haec omnia revera contingant), naturalibus causis nemo ea tribuerit, nisi plane nihil sapiat. Cum autem neque Deo, neque bonis Angelis haec possint adscribi, dedecet enim eos ludicris ineptiisque hominum se miscere, restat ut cacodaemoni tribuantur. Sane *Rituale Romanum* haec tanquam diabolicae operationis signa recenset: *ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere et id genus alia; quae cum plurima concurrunt, maiora sunt indicia* (2) Diximus tamen *si haec omnia revera contingant*, plura enim quae efferuntur clarae visionis portenta non satis explorata sunt, et fortasse circulatorum, sycophantarum aliorumve huius furfuris hominum versutiae sunt tribuenda (3). Ex quibus omnibus concludere fas est, quaedam in hypnotismo per se licere, quaedam minus, de quibusdam vero nondum posse certum haberi iudicium.

Libet hanc conclusionem duplici S. Officii decreto firmare. Primum, editum die 23 iunii an. 1840, hoc est: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita invocatione daemonis, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat at finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res aut effectus vere supernaturales ut physice explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et haereticalis.* Alterum decretum, ad omnes Episco-

(1) *Rom.* VII. Vide Rosmini, *Teosofia*, 893; Morando, *Psicologia*, lezione XXXI, 6.

(2) *De exorcizandis obsessis a daemonio.*

(3) Doctrina philosophica de corpore subiectivo quemdam Ariannae filum psychologis per labyrintum errantibus porrigere potest. At fortasse in humana natura inest facultas aliqua nondum explorata, qua commercium inter se habere animae possunt, etiamsi eorum corpora distent quam longe: nam facta prope innumera eaque certissima telepathiae ac praesensionum vel a remotissimis saeculis usque in hodiernum diem recenset historia, quorum rationem et causam psychologi hactenus frustra quaesierunt. Videsis Tullium, *De Divinatione*, l. I, c. XXVII; Valerium Maximum, *Dictorum factorumque mirabilium exempla*, l. I, c. VII; Menochio, *Le stuore*, cent. I, c. LXVIII; Pappalardo, *La telepatia*, p. I, c. II, III; p. II, c. IV, V; Fogazzaro, op. cit.; *Piccola vita di A. Rosmini*, p. II, c. XI; Calza, l. c.

pos die 4 augusti an. 1856 datum, suggillat tamquam *novum superstitionis genus ex phaenomenis magneticis invectum*, illud quo neoterici plures arbitrantur, *posse occulta remota ac futura detegi magnetismi arte vel praestigio, praesertim ope mulierc*ularum *quae unice a magnetizatoris nutu pendent*, eosque damnat *qui temerario ausu haec exercere praesumunt.*

188. — Resp. ad II Q. Cum Ecclesia hypnotismi abusum non autem usum damnaverit, neque nos indiscriminatim damnabimus. Equidem ipse hypnotismi usus periculis scatet, nam (ut intra quaestionis nostrae limites contineamur), medicis ac physiologis testantibus, eiusmodi usus, maxime si frequens, valetudini magis obest quam prosit: nempe hypnotizati extenuantur vires, sistema nerveum perturbatur, indeque caephalea, spasmata, catalepsis, paralysis, morbus comitialis, hebetudo, amentia, mors ipsa nonnunquam sequuntur (1). Hinc pluribus in locis publica hypnotismi spectacula civicis legibus interdicta fuere. Quandoque tamen, iisdem medicis testibus, conferre potest ad hypnotizati aegrotantis statum introspiciendum, remedia perapta cognoscenda eosque praesertim morbos per suggestionem curandos qui ex nervorum perturbatione aut commota phantasia originem ducunt (2). Haec cum ita sint, dicimus fas esse quandoque ad valetudinem curandam hypnotismo uti, aegroto petente vel saltem consentiente, audito consilio probi medici ac periti, remotis quavis daemonis invocatione aut opere superstitioso, sobrie, adhibitisque cautelis ne quid contra bonos mores fiat (3).

189. — Resp. ad III Q. Eadem fere ac praecedenti quaestioni responsio facienda. Quandoquidem qui hypnoticis spectaculis adsunt iisdem ferme periculis, quibus hypnotizati sunt obnoxii. Quapropter ex gravi tantum causa hisce spectaculis interesse licet, nimirum ad arcanas naturae leges per experimenta detegendas, iis omnibus remotis quae superstitionem quamlibet redolerent aut bonis moribus quoquomodo officere possent.

Iuverit haec firmare responso S. R. Inquisitionis die 26 iulii anni 1899 dato. Medicinae doctori, interroganti liceretne sibi disputationibus interesse a quadam scientiarum medicarum Societate institutis de hypnoticis suggestionibus in puerorum aegrotantium cura-

(1) Méric, op. cit., l. I, c. III, VII; l. II, c. II, n. IX; Belfiore, op. cit., nn. XXV, XXVI, XXVIII; Lapponi, op. cit., c. II, 20; c. VII, 2, 5; Lombroso et Vizioli apud Piscetta, 323, 324.

(2) Belfiore, op. cit. n. XXV; Conca, op. cit. p. IV.

(3) D'Annibale, n. 53; Tanquerey, *De relig.* 916; Lehmkuhl, 502; Zaninetti, 978; Sebastiani, *Summarium*, 177; Franco, *Risposta alle obbiezioni più comuni contro la religione*, c. XVII; Ferreres et Génicot, ll. cc. In hypnotismi usu reprobando atque hypnoticis phaenomenis cacodaemoni tribuendis nimius nobis videtur Costantini, 242.

tione adhibitis vel adhibendis, respondit: *quoad experimenta iam facta, permitti posse, modo absit periculum superstitionis et scandali, et insuper Orator paratus sit stare mandatis S. Sedis, et partes theologi non agat: — quoad nova experimenta, si agatur de factis quae certo naturae vires praetergrediantur, non licere; sin vero de hoc dubitetur, praemissa protestatione nullam partem habere velle in factis praeternaturalibus, tolerandum, modo absit periculum scandali.* Quod responsum Leo XIII die 28 eiusdem mensis ratum habuit.

190. — Resp. ad IV Q. Quum ex dictis res periculosae aleae plena sit, causa solatii capiendi sufficiens non est ut quispiam corporis et animae periculum quasi ludens occurrat.

191. — Resp. ad V Q. Tulliolae suadendum ut ab hypnotismo experiendo se abstineat: et si hoc persuaderi ei nequaquam possit, saltem cautiones omnes adhibeat quas superius recensuimus. Omnino autem a crisiaco interrogando deterrenda est; crisiacus enim occultos alterius morbos naturaliter cognoscere nequit, propterea aut interrogantem falsis responsis decipiet, aut daemonis auxilio responsum dabit.

Sacerdoti vix unquam hypnoticis experimentis interesse licet, praesertim ne ceteris scandalum praebeat, quippe praesentia sua approbare atque honestare videretur quae superstitiosa sunt, vel superstitionis suspicionem ingerunt; et si gravis prorsus adstandi causa existeret, iussu sui Praelati adstet, vel saltem obtenta ab eo licentia remotoque scandalo.

Solatii capiendi causa Anolinum excusare nequit; quamvis enim ipse histrionum atque circulatorum artibus magis quam daemoni hypnotica portenta assignanda existimet, plura ex iis praeternaturali agenti, diabolo nempe, esse tribuenda indubium est; solatium autem cum diabolo sumere neutiquam licet.

LIII.

Ad tabularum se moventium spectaculum Paulus, Tertullus et Festus accedunt: ille ut experiatur an solo manuum contactu tabulae in gyrum agantur; iste ut pernoscat an diabolicum quidquam hisce ludis admisceatur; hic ut per responsum a tabula acceptum de amissae uxoris statu certior fiat.

Quaeritur I°. Quid de tabulis rotantibus ac spiritismo sentiendum?

Q. II°. An citra culpam praestari valeant quae superius exhibentur?

Quaestionum solutio.

192. — Resp. ad I Q. Novum superstitionis genus in America anno 1832 prodiit, quod *tabularum rotantium* vocant. Nimirum, iunctis plurium extremis digitis supra mensam, haec in gyrum agitur, attollitur a terra, huc illuc circumsilit, et modo iteratis ictibus, modo

haematite vel calamo ad pedem aptato, modo humanis editis vocibus responsum quaerentibus dat. Huic superstitioni subinde successit, seu potius se subtexuit alia, cui *spiritismi* nomen. Spiritismus in eo positus est, ut ope cuiusdam mediatoris, quem *medium* appellant, spiritus seu functorum animae evocentur, ad quaestiones omne genus quae ipsis moventur resolvendas. Nonnulli sunt qui tabularum motum, spirituum apparitiones, responsa, ostenta quae ab ipsis patrantur, histrionum fallaciis ac circulatorum praestigiis ad credulum vulgus ludificandum adscribenda esse contendunt (1). Sunt alii qui haec omnia pro compertis habentes, manibus functorum tribuunt (2). Alii forte rectius, etsi fatentur non repugnare ut per fluidum quoddam ex humano corpore manans motus in tabulis cieri valeat, propterea non illico eum putant esse damnandum qui ultra non progreditur; inspectis tamen omnibus quae motum illum comitantur ac sequuntur, a malo daemone et tabularum rotantium et spiritismi portenta repetenda existimant. Etenim responsa quae per tabulas eduntur nisi a causa intelligente proficisci nequeunt; iamvero, cum absonum sit cogitare, velle Deum ad cuiusvis etiam scelestissimi hominis nutum bonos Angelos vel functorum animas mittere, restat haec responsa cacodaemoni tribuantur. *Frequenter daemones simulant se esse animas mortuorum*, ita post SS. Augustinum et Chrysostomum animadvertit S. Thomas (3). Adde, responsa huiusmodi plerumque frivola, ludicra, impia, obscoena referre; et si interdum vera et pia loquuntur, diabolicae fraudi hoc reputandum, quippe pater mendacii nonnunquam boni Angeli personam suscipit, quo facilius decipiat incautos (4). Plane haec firmantur recenti Supremae S. Officii Congregationis oraculo, quae dubitantibus *An liceat per* Medium, *ut vocant, vel sine* Medio, *adhibito vel non hypnotismo, locutionibus aut manifestationibus spiriticis quibuscumque adsistere etiam speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum aspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle,* die 27 aprilis anno 1917 respondit: *Negative in omnibus* (5). Quid, quod

(1) Pavoni, *Al di qua,* Torino, 1902.

(2) Vassallo, *Nel mondo degli invisibili*, Roma, 1902; Brofferio, *Per lo spiritismo,* Milano, 1893.

(3) I^a, q. CXVII, a. IV.

(4) Méric et Lapponi, op. cit.; *La necromanzia moderna* (opusculum excerptum ex ephemeredibus queis titulus *Civiltà Cattolica*); Tanquerey, *De virtute relig.* 906-914, 917; Giovannozzi, *Medianismo e spiritismo* (in *Rassegna Nazionale*, 16 aprile 1914); D'Annibale, II, 54, nota; Costantini, 243-245; Lanzoni, *Compendium theologiae dogmaticae*, tom. I, tr. III, c. III, a. III, § 2, Scholium *De magnetismo et spiritismo*; Gastaldi, I, pag. 191-193; Piscetta, 359; Sebastiani, *Summarium,* 176.

(5) Vide *Acta Apostolicae Sedis,* vol. IX, pag. 268.

reum ipsum confitentem habemus? Nam sciscitantibus: *Quisnam tabularum se moventium auctor esset,* daemon ipsi per os mulieris quam detinebat obsessam respondit: *Sum ego: mesmerismus et somnambulismus res mea sunt* (1).

193. — Resp. ad II Q. Paulus, si levitate, curiositate, ioco, experimento faciat, gravis saltem culpae expers videtur. Aegre excusare a gravi culpa Tertullum quis poterit, quia diabolica fraus hodie vix quempiam sanae mentis latet. Eo minus Festum a gravi culpa vacuum iudicabimus, quae enim ab eo praestantur necromantiae seu daemonolatriae pravitatem continent. *Non inveniatur in te qui pythones consulet nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem: omnia enim haec abominatur Dominus* (2).

LIV.

Strigonia ad confessarii pedes se sistens, maleficii ream se facit. Quid confessario agendum cum Strigonia?

Quaestionis solutio.

194. — Resp. ad Q. Confessarius Strigoniam interrogabit: 1°. quae, quot maleficia, quoque animo patraverit, haec enim pernoscat oportet ut species, numerum et gravitatem criminum aeque aestimare valeat: 2°. an per haeresim vel apostasiam a fide defecerit, daemoni se ipsam devoverit vel divinum cultum ei praestiterit, rebus sacris (veluti Sacramentis, oleo consecrato, Sanctorum reliquiis) nefarie usa fuerit ad maleficia patranda: quae omnia diversam pravitatem continent; 3°. an pactum expressum cum daemone inierit, atque huius pacti chirographum aut signum aliquod apud se teneat; 4°. an libros, imagines, ligaturas, aliave malae artis instrumenta servet; 5°. an et quae damna cuipiam intulerit.

Hisce praeiactis, confessarius curabit: 1°. ut Strigoniam ad sua flagitia ex animo detestanda inducat; 2°. si forte haereseos aut apostasiae crimine se polluit, illud abominetur et eiuret; 3°. pactum cum daemone initum dirumpat, chirographum comburat; 4°. maleficii instrumenta destruat vel confessario aliive tradat cui sint tradenda; 5°. illata damna, si nondum sarcierit, sarciat vel polliceatur se sarcituram quamprimum. Post haec, si Strigoniam Sacramento recipiendo paratam agnoscat, congrua iniuncta satisfactionis poena, salutaribus additis monitis ne rursus daemonis muscipulis capiatur, pro facultate qua pollet eam absolvat (3).

(1) Monnin, *Il Curato d'Ars, Vita di G. B. M. Vianney,* l. III, c. II.

(2) *Deut.* XVIII, 11, 12.

(3) Reiffenstuel, tr. V, dist. II, 52-56; Sporer, tr. II, c. IX, 46, 47; Alasia, *De praec. Decal.* diss. II, c. II, a. IV, § II, 27; S. Alphonsus, III, 28.

IN II DECALOGI PRAECEPTUM

LV.

Eusebia, carnis stimulis exagitata, perpetuae castitatis votum nuncupat; deinde, matrimonii spe illecta, Antonio sui copiam facit. Cum autem rescisset Antonius eam sponsione voti castimoniam Deo promisisse, facti dolens, non nubendi votum et ipse pronunciat. Eusebia tamen nuptias urgente, quaestio Marco et Marcello theologis defertur dirimenda. Censet Marcus utriusque votum valere, Marcellus contra neutrius: quaestionem diremit Eusebia inopinato moriens. Laetus Antonius quod nuptias evaserit, votum vovet peregrinandi pedibus ad sacram Lauretanam Aedem. Sed quia pedibus laborat, iterum theologos suos convenit, quos rursus dissidentes invenit: quippe Marcus contendit, Antonio currum esse adhibendum ut votum solvat, Marcellus contra corruere votum retur quod iam nequit impleri. Has theologorum altercationes moleste ferens Antonius, votum vovet non amplius vovendi.

Quaeritur I°. Quid sit votum, quaeque voti apta materia?

Q. II°. An et quatenus per errorem votum vitiatur?

Q. III°. An, voti circumstantia cadente, votum ad irritum cadat?

Q. IV°. Quid de Eusebiae et Antonii votis, deque theologorum iudicio?

Quaestionum solutio.

195. — Resp. ad I Q. Communis definitio voti haec est: *Promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili* (1). Singula explicemus verba: *Promissio*, qua non desiderium vel nudum propositum, sed firma voluntas intelligitur seipsum ad aliquid obligandi, adeo ut ius rem promissam exigendi conferatur ei cui fit promissio (2). *Deliberata*: quia, cum obligatio voti suapte natura sit gravis, nemo iure eam suscipere velle censetur deficiente ea cognitione et libertate quae

(1) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. LXXXVIII, a. I et II; S. Alphonsus, III, 194 ceterique communiter. Eandem voti notionem *Codex pontifici iuris* exhibet can. 1307, § 1.

(2) Notandum, huic voci *promitto* quandoque subesse nudum propositum, veluti cum peccator ait: *Promitto me nunquam deinceps peccaturum*. Item et vocabulum *votum* quandoque nisi propositum non significat, quo sensu vota quae *baptismalia* dicuntur accipienda videntur, nisi animo vere vovendi ac libera voluntate nuncupata fuerint, vel si is qui Baptismum adhuc infans recepit, dein, confirmata aetate, sponsiones illas suo nomine factas ratas habeat et tamquam vera vota in se suscipiat. Hoc Caietanus invictis probat argumentis (in II^a II^{ae}, q. LXXXVIII, a. II), cui concinunt Navarrus (*Enchiridion.*, c. XII, 32), Lehmkuhl (I, 587) contra alios, quibus favere videtur S. Thomas (q. cit., ad 1^{um}).

ad grave peccatum admittendum requiruntur. Ex quo palam fit, per ignorantiam, vim, metum, perque ea omnia quae libertatis usum intercipiunt, posse votum irritum fieri. *Votum metu gravi et iniusto emissum* (ita *Pontificii iuris Codex*) *ipso iure nullum est* (1). *Deo facta:* etenim votum proprie dictum latriae actus est, uni Deo tribuendus (2). Hinc votum B. Virgini vel Sanctis nuncupatum accipiendum est quasi factum Deo, B. Virgine et Sanctis testibus, vel ut in eorum honorem cedat; secus, esset quidem promissio sacra ad hyperduliam vel duliam pertinens, ideoque servanda, non tamen votum stricte sumptum (3). *De bono:* nam repulit Deus quidquid malum est, neque ad malum se obligare quis potest. *De bono meliori*, quia bonum quod praestantiori opponitur, Deo placere nequit; immo, quatenus praestantiori bono adversatur, desinit esse bonum. Etsi postrema verba, *de bono possibili*, fortasse superflua videri possunt, nemo enim serio quidquam pollicetur quod novit sibi non esse possibile, praestat tamen ea retinere saltem ad voti notionem explicatius efferendam. Quod si post promissionem factam promissum bonum desinat esse possibile, vel noscatur praestari non posse, votum solvitur. Hinc si votum voveris omnia peccata mortalia, aut etiam venialia plane deliberata non admittendi, voti vinculo teneris; secus si votum vovisti venialia omnia etiam semideliberata vitandi, vel adhaerendi Deo iugi actuali caritate, vel illud semper prosequendi quod perfectius est, haec enim sine Dei singulari gratia, quam paucis Sanctis legimus fuisse tributam, nemo praestare valet (4).

Ex voti definitione planum est colligere quamnam oporteat esse voti materiam ut votum constet: nimirum quae inhonesta, inutilis vel praestantiori bono officiens deprehenditur, est prorsus inepta. Si voti materia divisionem recipit, scilicet partim est apta, partim vero minus, pro parte apta stat votum, quippe *utile per inutile non vitiatur:* si tamen pars apta est omnino accessoria, votum cadit, nam *principali ruente, ruit et accessorium* (5). Quid si votum sit *alternativum* seu *disiunctivum*, ut vocant, et ex duobus unum sit ineptum? - Si alterum ex duobus ineptum factum fuerit electione nondum peracta, votum pro infecto habetur, quia iam deest eligendi facultas; si autem post electionem contingat illud ineptum fieri quod elegisti, alterum praestare non debes, nisi tu culpa tua auctor fuisti ut fieret ine-

(1) *Codex iuris canonicii*, can. 1307, § 3.

(2) S. Thomas, q. cit., a. V.

(3) Sporer, tr. III, c. II, 31-34.

(4) S. Thomas, I^{a} II^{ae}, q. CIX, a. VIII; S. Alphonsus, III, 203, Ferreres, *Epitome*, 229, Génicot, I, 315; D'Annibale, III, 192, nota 5; Sebastiani, *Summarium*, 205.

(5) Bonacina, *In II praec. Decal.* disp. IV, q. II, p. IV, § I V, 1; Sporer, l. c., 67-70; S. Alphonsus, III, 202.

ptum (1). Ceterum, in his quae ad votum spectant id semper teneamus, votum instar privatae legis habendum quam quis sibimetipsi constituit; propterea voventis mentem maxime inspiciendam esse quoties iudicandum an votum constet et quorsum pertineat.

196. — Resp. ad II Q. Error mentis id efficit ut plus minusve mutetur voluntatis obiectum, nempe sit aliud ab eo quod est in voventis animo, propterea libertatem aufert vel minuit ad votum necessariam. Error versari potest circa *substantiam* (vel *conditionem substantialem*) et circa *accidentia*; circa *causam finalem* et *impulsivam* seu *allicientem*. Error circa substantiam vel conditionem substantialem inficit votum, quia penitus mutat voluntatis obiectum: v. gr. vovisti donare calicem tuum, quem argenteum putabas cum aureus esset: vovisti monasterium ingredi, ratus in eo disciplinam florescere cum magis langueat; voto non teneris. Error circa accidentia non inficit votum, quia praecipuum voluntatis obiectum integrum manet: v. c. calicem vovisti quem putabas decem aureis venire cum duodecim veneat; votum constat. Error circa causam finalem irritat votum, ea enim deficiente, abest vovendi voluntas: v. gr. vovisti peregrinationem ad patris sanitatem impetrandam; si pater interim e vita cedat, solveris voto. Error circa causam impulsivam seu allicientem non inficit votum; manente enim causa finali, quae potissima est, voventis voluntas permanere censetur: v. gr. peregrinationem ad loca sancta vovisti religionis ergo, spe ductus amicum ibi visendi; si amicus abierit inde, adhuc voto vinciris (2).

197. — Resp. ad III Q. Si circumstantia sit *substantialis*, hoc est in ipsam rei promissae substantiam recidat, ita ut si innotuisset antea, votum non nuncupasses, inficitur votum; secus si *accidentalis* sit. Vovisti peregrinari peditem ad certum locum, putans eum viginti miliariis distare; si deinceps rescias uno alterove milliario longius distare, adhuc obtinet votum; si pluribus, pro infecto erit (3). In his autem aestimandis (quod superius monuimus) semper voventis explorandus animus.

198. — Resp. ad IV Q. Valuit Eusebiae votum quia castitas nuptiis praestat, Paulo dicente: *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, et qui non iungit melius facit* (4). Si tamen nuptiae in concupiscentiae remedium fuissent Eusebiae necessariae, non valuit votum quia non de bono meliori, Paulo rursus clamante: *Melius est nubere*

(1) La Croix, l. III, p. I, 400; S. Alphonsus, III, 224; Lehmkhul, I, 601; Sebastiani, 206.

(2) Bonacina, p. II, § II; Sporer, 26, 27; La Croix, 377, 378; S. Alphonsus, 198.

(3) S. Alphonsus, l. c.

(4) I *Cor.* VII, 38.

quam uri (1). Si valuit Eusebiae votum, valuit et Antonii: secus non valuit, praesertim si matrimonii promissione Eusebiam illexerat. Nunc de Antonio. Si prius votum valuit, secundum cadit deficiente causa finali, scilicet vitandi nuptias; si prius irritum, secundum obtinet, quia finalis causa manet. In qua posteriori hypothesi peregrinationem, adhibito etiam equo vel curru, Antonius perficere debet, substantia enim voti peregrinatio est; excipe si hoc valde onerosum sit, puta ob impensas sustinendas, aliave fuerit Antonii mens (2). Demum votum non vovendi non est de bono meliori, propterea pro infecto habendum; contra tenet votum non vovendi confessario inconsulto, hoc enim prudentis hominis est (3). De theologorum sententiis post haec pronum est iudicare.

LVI.

Linus pluribus se votis obstrinxit, nempe Rosarii preces quotidie recitandi, in pervigilio B. Virginis ab origine labis nesciae ieiunium agendi, stipem quotannis erogandi pauperibus, calicem templo donandi, religiosum institutum ingrediendi. Quibus votis probe satisfacere cupiens, theologum quaerit a quo sciscitatur, sintne omnes Rosarii decades recitandae ad votum implendum, vel tertiam partem, adhibito etiam socio, recitare sufficiat; an ieiunium agens a carne, ovis et lacte se temperare debeat; an sibi liceat sabbato ieiunium anticipare, quum B. Virginis festum in feriam secundam incidit; an si casu contigerit binam comestionem sumere, in alium diem ieiunium transferre debeat, vel saltem ab omni cibo se interim sustinere; an sexagesimum annum ingressus a ieiunii voto eximatur; quantam quotannis debeat pauperibus stipem largiri; quando et cuius pretii calicem offerre; denique an graviter peccaverit calicis oblationem et religionis ingressum per biennium differens.

Quaeritur I°. An obligatio voti semper sit gravis?
Q. II°. Qua ratione vota interpretari fas sit?
Q. III°. Quid si voti materia vel eius quantitas sint incerta?
Q. IV°. Quo tempore vota sunt implenda?
Q. V°. Quid ad singula theologus respondebit?

Quaestionum solutio.

199. — Resp. ad I Q. Inspecta voti natura, eius obligatio gravis est, quippe per votum homo fidem suam obligat Deo, ideoque nedum ex religione sed et ex iustitia fidem solvere debet: ex quo infert Doctor Angelicus, votum iuramento fortius obligare, et votum fran-

(1) Ibi, 9; S. Alphonsus, 209.
(2) Bonacina, p. II, § IV, 7; D'Annibale, III, 196, nota 6.
(3) La Croix, 417; S. Alphonsus, 210; Alasia, *De praec. Decal.* diss. II, c. I, a. III, § I, 3; Gousset, I, 500, 501.

gere gravissimum esse peccatum (1). At obligatio haec levis fieri potest, tum ex ipsa materia (quae, si undequaque levis, gravem obligationem recipere nequit), tum ex mente voventis, qui ad rem gravem potest se ipsum obligare sub levi. Quandoquidem (ut iterum iterumque monuimus) votum est quaedam privata lex quam quis libere sibi dicit; quapropter vis voti, itidem ac ceterarum legum, tum ex materia cum ex legislatoris mente aestimanda est (2).

200. — Resp. ad II Q. In primis ex praesumpta voventis mente votorum interpretatio est facienda, ex ea enim voti vis pendet. Si autem de mente voventis non satis constat, obligatio voti accipitur instar legum quas Ecclesia in simili causa ferre solet; et si nihil simile in Ecclesiae legibus statutum sit, secundum id quod est in more positum, vel secundum prudentium iudicium. Quia tamen promissio voti gratuita est, convenit benignius eam esse accipiendam, nam quisquam censetur ad minus se obligare voluisse. Hinc si dubites positivo dubio votumne emiseris an propositum, vel an sufficientem habueris deliberationem, voto non teneris (3).

201. — Resp. ad III Q. Si vovens materiam incertam reliquerit, vel qualis quantave esse debeat non constituerit, arbitrio boni viri res definiatur oportet, ita ut nec minimum vel ineptum a vovente praestetur, quod ridiculum foret Deoque iniurium, neque maximum ac valde onerosum, quod censeri nequit a vovente promissum (4).

202. — Resp. ad IV Q. Si tempus a vovente praefinitum fuerit, eo tempore votum implendum est: *Facies sicut promisisti Domino Deo tuo* (in *Deuteronomio* legimus), *et propria voluntate et ore tuo locutus es* (5). Elapso autem eo tempore, si quidem ad obligationem finiendam tempus statutum fuerat, desinit obligatio voti; si vero ad obligationem dumtaxat sollicitandam, obligatio voti manet: duo quippe in huiusmodi voto inclusa censentur, alterum quidquam praestandi (idque praecipuum est), alterum praestandi stato tempore (6). Quod si vovens nullum constituerit tempus, communis theologorum sententia est, votum implendum esse quam primum commode fieri potest. Hoc SS. Literae diserte declarant cum inquiunt: *Quod votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret*

(1) II^{a} II^{ae}, q. LXXXIX, a. VI.

(2) Navarrus, *Enchir.* c. XII, 40; Sporer, tr. III, c. II, 81-89; La Croix, l. III, p. I, 428, 429; S. Alphonsus, III, 221; Alasia, *De praec. Decal.* diss. II, c. I, a. III, § III.

(3) Sporer, 90 et seq.; Illsung, tr. V, disp. I, a. III, § II; S. Alphonsus, 221, 224; Alasia, § V; Lehmkuhl, I, 595, 596; Tanquerey, *De virtute religionis,* 989; D'Annibale, III, 197; Sebastiani, *Summarium,* 205; Ferreres, *Epitome,* 228.

(4) S. Alphonsus, 222; Lehmkuhl, I, 596; D'Annibale, 198; Sebastiani, 206.

(5) *Deut.* XXIII, 23.

(6) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXXXVIII, a. III, ad 3^{um} ceterique communiter.

illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum (1). At si quaeras quaenam dilatio putanda sit gravis, in incerto versamur. De hoc convenit, citius urgere votum illud quo perpetuum obsequium vel diuturnum Deo spopondisti, cuiusmodi esset votum te mancipandi Deo per religiosa vota, vel per plures annos aegrotis in nosocomio ministrandi, quippe minuitur dilatione quod Deo promissum fuit. Hanc dilationem non esse gravem nisi duorum vel trium annorum spatium excedat quidam arbitrati sunt, quod merito S. Alphonsus cum Sporer respuit tanquam laxum. Rectius dicendum, ultra sex menses differri sine gravi culpa non posse huiuscemodi votorum implementum, nisi honesta subsit differendi causa (2). Quod si votum fuerit de temporaneo actu seu obsequio praestando, ut puta de certis precibus ad Deum fundendis, de dono dando, de ieiunio servando, convenit ad mortale peccatum longiorem dilationem requiri, quia non minuitur dilatione obsequium Deo promissum. Immo sunt qui rentur, qualemcumque dilationem gravi culpa carere, nisi periculum adsit oblivionis vel impotentiae (3): quibus consentire nullatenus possumus, tum quia S. Scriptura nos monet apertissime, *ne moremur reddere* quidquid Deo vovimus, secus reputabitur in peccatum (4); tum quia communis doctorum sententia est, vota esse implenda quam primum; tum quia dilatio indefinita voventem in periculum coniicit votum non implendi sive ex oblivione, sive ex impotentia, sive ex infirmitate vel morte superveniente; tum demum quia ipsa voventis mens talis esse non potuit quum voti sponsione se obstrinxit, per derisum namque agere videretur qui Deo quidquam sponderet animo differendi ad calendas graecas suae sponsionis implementum. Quamobrem, nisi extet probata dilationis causa, cum S. Alphonso putamus illum gravi culpa teneri qui ultra duos vel tres annos sui voti solutionem differt (5).

203. — Resp. ad V Q. Voto satisfacit Linus, nisi aliud ipse voluerit, tertiam Rosarii partem recitando, etiamsi preces alternet cum socio, hic quippe Ecclesiae mos est (6). Nisi stricte ieiunium voverit, lac et ova in unica refectione comedere potest, immo et carne vesci, ubi carnis esus non est interdictus (7). Ieiunium anticipare sabbato maxime congruit vetustissimae Ecclesiae consuetudini, namque olim dominico die ieiunium Ecclesia vetuerat (8). Qui bina refectione cibos

(1) *Deut.* XXIII, 21.
(2) S. Alphonsus, 221; Sporer, 117; D'Annibale, 198.
(3) Sebastiani, *Summarium*, 206.
(4) *Eccle*, V, 3; *Deut.* l. c.
(5) S. Alphonsus, l. c.; La Croix, 446; D'Annibale, l. c.
(6) S. Alphonsus, 224; Sporer, 96; La Croix, 432.
(7) S. Alphonsus, 224; Sporer, 92; Lehmkuhl, 596.
(8) S. Alphonsus, 224; Sporer, 92.

vetitos est, ieiunium frangit, fractum autem semel iam nequit servari; secus dicendum si quis esuriales cibos bis sumpsit. Cum ieiunium diei sit affixum, die transacto, nequit in alium transferri (1). Nisi Linus supra sexagesimum annum, vel quoad vixerit, se obligare voluerit, sexagesimum annum ingressus solvitur vinculo voti, quod instar legum Ecclesiae obligare censetur (2). Tantam quotannis pro sua facultate stipem erogare debet, quanta saltem voti materiam gravem constituat; ridiculum enim esset unius alteriusve oboli praestatione velle se voto liberare (3). Calix non aureus sit oportet, sed aptus Sacro; ideoque vel argenteus vel stamneus (qui ob Ecclesiae paupertatem permittitur), habens tamen cuppam intus deauratam (4). Differens per biennium calicis oblationem, non videtur Linus graviter peccasse; contra differens per biennium ingressum in religionem, nisi gravissima intercesserit differendi causa, a lethali peccato excusari nequit; vix enim concipi potest quomodo defraudetur Deus per biennium obsequio promisso, quin gravis iniuria illi inferatur.

LVII.

Publius, gravi laborans morbo, votum nuncupat carthusianam religionem ingrediendi, si convaluerit; cum autem convaluisset, ingredi renuit quia nesciebat carnium esum carthusianis interdictum.

In morbum relapsus, ingressum vovet in franciscalium familiam, si mortem evaserit; evadit, ingreditur, at brevi adeo se regularum incuriosum praebet, ut ab ordine dimittatur.

Morbo rursus correptus voto se adstringit confugiendi in aliquod religiosum coenobium, si valetudinem recuperaverit; ea recuperata, dominiciano sodalitio nomen dat; verum paucos post menses in tirocinio exactos, regulis servandis se imparem ducens, sodalitio valedicit.

Quaeritur I°. An primum Publii votum validum fuit?

Q. II°. An per ingressum in religionem secundo voto et tertio Publius satis fecerit?

Q. III°. An, hisce votis in suo robore stantibus, dispensationem ab Episcopo obtinere potuisset?

Quaestionum solutio.

204. — Resp. ad I Q. Error Publii, quippe qui cadit in conditionem substantialem qua voluntatis obiectum notabiliter mutatur, inficit votum; nam si cognovisset carthusianis sodalibus carnium esum vetari, votum non nuncupasset (5).

(1) S. Alphonsus, 220.
(2) S. Alphonsus, 1038; Sporer, 92.
(3) S. Alphonsus, 222; D'Annibale, 198; Lehmkuhl, 596.
(4) S. Alphonsus, D'Annibale et Lehmkuhl, ll. cc.
(5) La Croix, l. III, p. 1, 378; Voit, I, 574.

205. — Resp. ad II Q. Qui vovet religionem ingredi, censetur in ea permanere velle, quandoquidem lusorie videretur agere qui voveret ingressum sine animo permanendi. *Qui intrat ut statim exeat*, ait Aquinas, *non videtur satisfacere voto suo, quia ipse vovendo hoc non intendit* (1). Huic tamen voto duplex inest tacita conditio, scilicet permanendi 1° si in religionem recipiatur; 2° si, tirocinio expleto, inveniatur idoneus (2). Quapropter, si vovens sine ulla sua noxa in religionem non recipiatur, vel receptus dimittatur, violati voti reus non erit. Item, si, periculo facto, imparem omnino se sentiat religionis oneribus ferendis, exsors erit culpae: tirocinii enim periculum fit ad corporis animique vires experiendas, nec quisquam supra vires suas censetur se obligare voluisse (3). Attamen qui certam religionem certumve coenobium vovendo sibi non constituit, aliam religionem aliudve coenobium quaerat oportet (nisi alia fuerit eius mens), ut, quoad eius facere potest, suum impleat votum (4). Diximus *nisi alia fuerit eius mens*, ad hanc enim (ut saepe monuimus) potissimum respiciendum quum de votis interpretandis agitur.

His positis palam est, Publium secundo suo voto non satis fecisse, nam ipse sua culpa causam praebuit ob quam dimitteretur; quapropter in eamdem vel in aliam franciscalium familiam ingressum petere debuisset ac libentiore animo iterum tirocinio se subiicere. Neque tertio voto Publium satis fecisse putamus; cum enim vovisset ingressum in aliquod coenobium; quin certum aliquod sibi constitueret, dominiciano sodalitio relicto, in aliud mitioris disciplinae concedere debuisset, saltem ut vires suas novo periculo experiretur.

206. — Resp. ad III Q. Votum ingrediendi religionem votorum solemnium inter reservata R. Pontifici recensetur. (Vide quae proxime, n. 207 sumus dicturi). At receptum est, votorum reservationem stricte accipiendam esse, cum in odiosis versemur; propterea vota, ut reservationi subsint, perfecta esse oportere. Vota autem quae proferuntur sub conditione futura (cuiusmodi fuere Publii vota sub conditione valetudinis recuperandae) perfecta non sunt, quippe quae non tam intuitu et amore virtutis quam rei sub conditione positae nuncupantur. Potest ergo Episcopus ab his votis ob iustam causam dispensare. *Ob iustam causam*, inquimus, secus irrita foret dispensatio, quia Episcopus non dispensat in lege sua: quod ex iis quae in proxima facti specie discutienda dicturi sumus patebit (5).

(1) II^a II^{ae}, q. CLXXXIX, a. IV, ad 3^{um}; *Summa Sylvestrina*, v. *Religio*. II, 19; S. Alphonsus, IV, 72, q. 2.

(2) D'Annibale, III, 215.

(3) S. Alphonsus, III, 222; IV, 72, q. 4.

(4) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. LXXXVIII, a. III, ad 2^{um}; q. CLXXXIX, a. III, ad 2^{um}; Navarrus, *Enchir.* c. XII, 48, 62; Sporer, tr. III, c. II, 156; Bonacina, *In II praec. Decalogi*, disp. IV, q. II, p. V, § VI, 13; S. Alphonsus, III, 72, q. 3.

(5) Sanchez, *De matrim.* l. VIII disp. X, 13; La Croix, 545; S. Alphonsus, III, 261; D'Annibale, III, 210; Lehmkuhl, I, 627.

LVIII.

Homobonus votum vovit Rosarium B. Virginis singulis sabbatis recitandi; cum autem audisset cuilibet integrum esse votum suum in melius commutare, Rosario ieiunium suffecit. At cum propter stomachi infirmitatem ieiunium aegerrime ferre posset, sabbati ieiunium in Sacrum die festo audiendum commutavit: namque (ita ipse) melius est sabbato ieiunium omittere quam Sacrum die festo. A confessario monitus, commutationem hanc irritam esse, peregrinationem vovit ad Apostolorum limina semel faciendam, ea enim peracta, prioribus votis affatim satisfieri putat. Verum, cum ob loci distantiam, tum ob vires parum validas peregrinationem hanc nimis onerosam sentiens, confessarium accedit, quaerens an proprio marte ad prisca vota redire possit, vel debeat a Sede Apostolica dispensationem petere, vel ab omni voto se liberum reputare valeat.

Quaeritur I°. An et a quibus dispensatio et commutatio votorum fieri possint?

Q. II°. An valeant sine causa peractae?

Q. III°. An prioris voti obligatio per commutationem penitus extinguatur?

Q. IV°. An, commutatione facta, liceat ad pristinum votum redire?

Q. V°. Quid de Homoboni votis sentiendum, quidque confessarius respondebit?

Quaestionum solutio.

207. — Resp. ad I Q. Dispensare idem est ac voti obligationem penitus auferre. Cum votum sit promissio Deo facta, palam est nisi a Deo, aut ab eo qui Dei vicem gerit, voti obligationem relaxari posse. Porro autem hanc dispensandi potestatem Ecclesiae suae Deum tradidisse, luculenter ostendunt haec verba quibus Apostolorum principem Christus allocutus est: *Quod solveris super terram, erit solutum et in coelis* (1), necnon illa Apostolis omnibus dicta: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* (2). Ordinaria dispensandi potestate in suos subditos ii praediti sunt qui spirituali externa iurisdictione in Ecclesia potiuntur; nempe R. Pontifex, Episcopi et praelati regulares exempti; delegatam vero habent vi privilegii confessores ordinum mendicantium et illi quibus ab Apostolica Sede commissa fuit. Haec in *Codice iuris canonici* habentur expressa: *Vota non reservata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum:* 1°. *Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos;* 2°. *Superior religio-*

(1) Matth, XVI, 19.
(2) Matth, XVIII, 15.

nis clericalis exemptae quod attinet ad personas sibi subiectas; 3°. *Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas* (1). Quaedam tamen sunt vota R. Pontifici reservata. Praeter vota religiosa solemnia, haec quinque vota privata olim inter reservata censebantur: 1°. votum perpetuae castitatis; 2°. votum ingrediendi religionem approbatam; 3°. votum peregrinandi ad loca sancta; 4°. ad limina Apostolorum; 5°. ad S. Iacobum Compostellae. Ex novo *Codice* hodie duo priora tantum reservationi subiacent. En *Codicis* verba: *Vota privata Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum solemnium, quae emissa fuerunt absolute et post completum decimum octavum aetatis annum* (2). Haec vota, ut reservationi sint obnoxia, perfecta esse debent: convenit enim, reservationem, utpote odiosam, strictissimae interpretationis esse oportere (3).

208. — II°. Commutare votum idem est ac voti obligationem in aliam transferre. Commutandi potestas penes illos est qui dispensandi potestatem habent, namque minus est commutare quam dispensare: ex regula autem iuris, *cui licet quod est plus, licet utique quod est minus* (4). Et quia minus est commutare quam dispensare, potest commutandi facultas cuipiam committi sine facultate dispensandi. Praeterea vovens ipse (ex quadam epikeia) votum suum in melius commutare valet, nam quod praestantius est, merito censetur Deo gratius: *propositum aut promissum non infringit, qui in aliud melius commutat* (5). Excipe si R. Pontifici votum sit reservatum, neque in statum religiosum mutetur (6). Immo et in opus aequale seu aequivalens posse voventem votum suum mutare probabilius theologis videbatur, tum quia Deus non est durus exactor, tum quia quum opus aeque proficuum est voventi atque ab eo libentius et alacrius praestandum, non immerito creditur acceptius futurum esse Deo (7). Idque hodie pro certo ex hoc *Codicis pontificii iuris* canone habendum est: *Opus voto non reservato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari* (8).

(1) *Codex iuris canonici*, can. 1313.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 1309.

(3) Navarrus, *Enchir.* c. XII, 75; Sporer, tr. III, c. III, sect. III; Bonacina, *In II Decal. praec.* disp. IV, q. II, p. VII, § IV; S. Alphonsus, III, 250 et seq.; Sebastiani, *Summarium*, 210 ceterique communiter.

(4) *Reg.* 53 in 6°.

(5) C. *Pervenit*, 3 *De iureiur.* De hoc omnes.

(6) C. *Scripturae*, 4, *De voto.*

(7) Sporer (83), Bonacina (§ III, 8), S. Alphonsus (245) hoc probabile iudicant, eisque consentiunt Gousset, I, 527; Costantini, 226, Tanquerey, *De virtute religionis*, 1003, Gury (I, 334) communem hanc esse doctorum sententiam retur; D'Annibale (III, 209) extra dubitationem ponit.

(8) *Codex iuris canonici*, can. 1314.

209. — Resp. ad II Q. Dispensatio sine causa nec licite nec valide tribuitur: cum enim dispensandi potestas Ecclesiae data fuerit *in aedificationem et non in destructionem* (1), et dispensatio Dei nomine tribuatur cui promissio facta est, insipienter et contra Dei voluntatem agit qui citra iustam causam remittere votum audet. Idem de commutatione dicendum, quae quasi pars dispensationis habetur. At si commutatio in melius opus fiat, ipsa operis praestantia optima est commutandi causa (2).

210. — Resp. ad III Q. Cum commutatio instar novationis habeatur, certum est per commutationem legitima auctoritate peractam prioris voti obligationem in aliam transire, ac proinde prius votum extingui. An idem dicendum si auctoritate propria votum commutetur, quaestionis est. Plerique negant, quia non per Ecclesiae potestatem sed ex quadam divinae voluntatis interpretatione commutatio facta fuit (3). Verum, ratione spectata, etiam in hac hypotesi videtur prioris voti obligatio solvi: nam si creditor, nempe Deus, commutationem ratam habuit, novo subeunte voto, prius extinguitur: exstinctum autem non reviviscit (4).

211. — Resp. ad IV Q. Cum voti commutatio in voventis favorem fiat, planum est integrum esse voventi ad pristinum votum redire, quamvis opus priori suffectum melius sit (5).

212. — Resp. ad V Q. Valuit prima commutatio ab Homobono peracta, quia etsi in se spectata oratio ieiunio praestat, qualenus actus excellentioris virtutis, attamen ieiunium melius voventi putatur, quippe magis onerosum eiusque bono prospiciens (6). Irrita fuit secunda voti commutatio, quia opus suffectum, nempe Sacrum die festo audiendum, utpote iam debitum, ieiunio impar est. Et tertia commutatio irrita fuit, namque multum distat inter ieiunium singula quaque hebdomada ferendum et unicam peregrinationem, quamvis fortasse ad dissitum locum. Cum duae posteriores commutationes irritae fuerint, de priore tantum quaerendum superest. Iamvero posse Homobonum a ieiunio ad Rosarium redire, non est ambigendum. Item nullam a S. Sede dispensationem esse petendam, ex eo constat quod

(1) II *Cor.* X, 8.

(2) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXXXVIII, a. XII, ad 2^{um}; S. Alphonsus, III, 244, 251, ceterique omnes.

(3) Sporer, 137; Bonacina, 22; Clericatus, *Erotemata*, c. XLVI, n. 77; S. Alphonsus, 249; De Varceno, *De virtute religionis*, c. II, a. I, § 6; Sebastiani, *Summarium*, 214; Génicot, I, 331.

(4) D'Annibale, 201, nota 4; Ferreres, *Epitome*, 237.

(5) Sporer, 135; Sanchez, *De matrim.* l. VIII, disp. IX, 21; Bonacina, 20; La Croix, l. III, 516; S. Alphonsus, 248; Bucceroni, *De secundo Decalogi praecepto*, IV *De voto*, 628; Ferreres, Sebastiani et Génicot, ll. cc.

(6) Sporer, 123; La Croix, 521; S. Alphonsus, 246.

commutatio in peregrinationem ad Apostolorum limina irrita fuit. Utrum vero debeat ad pristinum votum (ad Rosarium scilicet) redire, an quia ieiunio ferendo vires non sufficiunt, se liberum ab omni obligatione voti existimare possit, in controversiam venit: communius theologi prius votum reviviscere contendunt, aliis valde probabiliter id negantibus. In proposita facti specie dixerim, Homobonum ad Rosarium reverti oportere, si quum commutavit illud in ieiunium, ieiunio ferendo impos erat, nam Rosarii commutatio in melius non fuisset: contra, omni voto liberari si commutationi iam peractae impotentia successerit.

IN III DECALOGI PRAECEPTUM

LIX.

Faustina, dum die festo Sacrum audit, quandoque peragendae exomologesi se praeparat, quandoque exomologesi absolvendae dat operam, quandoque pium *Viae Crucis* exercitium prosequitur huc illuc per templum discurrens.

Quintianus fere totum divini Sacrificii tempus absumit picturis aspiciendis, vel cum amico de domesticis negotiis fabulando, vel ineptis turpibusve cogitationibus indulgendo.

Arnobius ob desidiam sero ad templum se confert, quum nempe sacerdos Evangelium vel praefationem legit; vix autem Communione absoluta, e templo discedit. Dum vero sacerdos intra Missarum solemnia concionatur vel Nicaenum Symbolum prolixius canitur, suaviter dormit vel ad puriorem auram carpendam exit e templo.

Quaeritur I°. Qua attentione Missa sit audienda ut satis fiat praecepto?

Q. II°. Quaenam Missae partes sub gravi culpa sunt audiendae?

Q. III°. An pro omissis partibus quidquam supplendum?

Q. IV°. An Faustina, Quintianus et Arnobius praecepto satis faciant?

Quaestionum solutio.

213. — Resp. ad I Q. Attentio, quemadmodum de oratione agentes diximus, in externam et internam diducitur. Illa est qua omne impedimentum extrinsecus removetur, quo detenta mens de Deo cogitare nullatenus posset; haec quae mentem Deo coniungit, sive in pia verba feratur, sive in divina quae peraguntur mysteria, sive directo tramite in ipsum Deum. Externam attentionem esse necessariam implendo Ecclesiae praecepto nemo unquam est inficiatus; an praeterea requiratur interna, disceptatum est. Verum, cum Missa praecipiatur audienda ceu actus divini cultus, nempe ad diem festum sanctificandum, vix concipi potest quomodo *sine sincera piaque animi attentione*, ut

verbis utamur *Catechismi Romani* (1), Ecclesiae praeceptum impleri queat. - Dices fortasse, Missae auditionem ab Ecclesia praecipi, orationem non praecipi. - Esto: at certo certius Ecclesia praecipit rationabile obsequium, nempe actum cultus homine Deoque dignum, absurde enim praeciperet actum quo Deus irrideri potius quam coli videretur, cuiusmodi esset actus illius qui tremendis Mysteriis sine ullo pietatis sensu adstaret, instar statuae marmoreae quae oculos habens non videt, aures habens non audit. Quapropter omnino tenendum putamus, eum qui per notabile temporis spatium voluntarie evagatur animo, seu mente alienas cogitationes fovet, praecepto non satisfacere. Quae est communior et probabilior sententia (2).

214. – Resp. ad II Q. Ex Ecclesiae praecepto *integra* Missa audienda est: hinc voluntaria etiam modicae partis omissio, nulla excusante causa, veniali culpa non vacat. Ut tamen culpa sit gravis, notabilis pars omittatur oportet. Quae autem sit pars notabilis, nullo iure definitum fuit; propterea aestimanda tum ex natura rei praeceptae, tum ex prudentium arbitrio usuque Christi fidelium. In primis compertum est omnibus, illum mortaliter peccare et praecepto non satis facere qui consecrationis et Communionis tempore abest, cum utraque sit praecipua Sacrificii Eucharistici pars: quippe consecratio, ex sententia communius recepta, Sacrificii essentiam constituit, Communio autem ad Sacrificii integritatem saltem pertinet (3). Hoc etiam receptum est, tertiam Missae partem notabilem esse, propterea sine gravi piaculo omitti non posse (4). At si quaeras ulterius, quaenam ceu tertia Missae pars sit habenda, parum inter theologos convenit. Communissime docent, gravem non esse omissionem eorum quae Epistolam immo et Evangelium praecedunt, necnon eorum quae Eucharistiae sumptionem sequuntur (5). Sunt qui probabiliter opinantur

(1) *Catechismus R.*, p. III, n. XXXV.

(2) Navarrus, *Enchir.* c. XIII, 2; XXI, 6; Reiffenstuel, tr. X, dist. I. 38, 39: Natalis, Alexander, *De Decalogo*, c. V, a. VIII, Regula VIII; Lambertini, *Casus*, an. mdccxlviii, mense februarii; Sporer, tr. III, c. IV, 14, 16, 18; Bonacina, *De Euch.* disp. IV, p. IX, 4, S. Alphonsus, III, 313; Gousset, I, 553; De Varceno, *De praeceptis Ecclesiae*, c. I, a. I; Tanquerey, *De virt. religionis*, c. III, 1027.

(3) S. Alphonsus (VI, 305) in consecratione simul ac sumptione Sacrificii essentiam constituit; nos sententiae adhaeremus quae consecrationem tantum ad essentiam pertinere contendit, sumptionem vero ad integritatem. Hanc sententiam quam S. Alphonsus *communiorem* fatetur, tuentur prae ceteris Suarez, Billuart, Alasia, Bouvier, Perrone, Bucceroni, Génicot. Videsis Lanzoni, *Compendium theologiae dogmaticae*, *De Eucharistia*, pag. 318.

(4) Reiffenstuel, l. c., 37; La Croix, l. III, p. I, 664; S. Alphonsus cum Busembaum, 310; Gury, I, 342; Génicot, I, 339.

(5) Bonacina, 16; Viva, *Damnatae theses*, in prop. LIII Innocenti XI, n. X; Reiffenstuel, 37; Sporer, 20; S. Alphonsus, 310, q. 1; Gousset, I, 549.

citra gravem culpam et Evangelium ab eo omitti qui deinceps usque ad Missae finem praesens adest, primum Evangelium quodammodo ultimo pensaturus (1). Sunt et benigniores, quibus gravis culpa non est omnia omittere quae praefationem antecedunt (Symbolo quoque incluso), aiunt enim a praefatione Missam quondam initium sumpsisse; pauci demum, plus quam benigniores, etiam consecrationem sine gravi peccato omitti posse rati sunt. Utramque benigniorum opinionem reiiciendam putamus: illam, quia (quidquid olim fuerit) hodie a praefatione Missa non incipit; hanc, quia ex communiori sententia consecratio ad essentiam Sacrificii pertinet, certe (nemine dubitante) ad integritatem. Ceterum, consentientibus omnibus, qui ante consecrationem templum ingreditur, nisi altera Missa celebretur cui interesse possit, reliquam Missae partem audire debet in qua Sacrificium conficitur (2).

215. — Resp. ad III Q. Probabilis est affirmantium sententia, quae in eo nititur quod Ecclesia integram Missam audire iubet, hoc est nedum partes praecipuas atque essentiam Sacrificii constituentes, sed et accessorias quae ad caeremonias pertinent (3). Verum probabilior nobis est sententia negantium. Nam Ecclesiae iussum, obvia significatione acceptum, unum integrumque Sacrum, ab uno scilicet sacerdote celebratum, audiendum praecipit (quod et S. Alphonsus disertis verbis docet) (4); ex pluribus autem diversarum Missarum partibus unum Sacrificium conflari nequit. Quapropter, si pars notabilis omissa fuerit, alia Missa est audienda, quia praeceptum impletum non fuit: si vero pars omissa levis fuerit, nihil agendum superest quia praecepto iam fuit satis factum. Esto, Ecclesiam integrum Sacrum praecipere, propterea et caeremonias quae Sacrificio adnectuntur; non tamen caeremonias alterius Sacri, quae nullam cum priore connexionem habent (5). Neque alius esse videtur Christi fidelium sensus, qui quum templo serius accedunt, si partem Sacri notabilem omitti contingat, persuasum habent iterum Sacro interesse oportere; quod si pars omissa levis fuit, nihil ultra a se praestandum putant.

216. — Resp. ad IV Q. Confessioni peragendae se parare neque externam attentionem aufert neque internam: quippe nihil impedit

(1) Reiffenstuel, Sporer, S. Alphonsus, Costantini, ll. cc.

(2) Sporer, 22; Voit, I, 244; S. Alphonsus, 310, q. 2; Sebastiani, *Summarium*, 220.

(3) S. Alphonsus, 310, q. 2.

(4) S. Alphonsus, 310 (q. 2), 311.

(5) Suarez, *De Eucharistia*, disp. LXXXVIII, sect. II; Natalis Alexander, l. c., Regula VII; Illsung, tr. V, disp. II, q. 1, a. II; Voit, I, 244; II, 473; Ballerini ad Gury, I, 343, et *Op. theol. mor.*, tr. *De 3° praecepto Decal.*, 108; Zaninetti, 1578; Bucceroni, *De tertio Decalogi praecepto*, I, *De praecepto audiendi Missam*, 643; Génicot, I, 339.

quominus quispiam in se ipsum inquirat simulque sacerdotis litantis actioni se coniungat et per actus doloris, amoris, propositi pie Sacro assistat (1). Secus dicendum putamus de illo qui exomologesi absolvendae notabile tempus impendit: quae communis sententia est, eorumque praesertim qui internam attentionem ceu necessariam requirunt. Sane qui in eo totus esse debet ut admissa diligenter numeret, proferat, explanet, confessori interroganti verax respondeat, docentem monentemque auscultet, iam prosequi nequit sacerdotis ad altare perlitantis actionem (2). Hoc unum dici potest, illum non peccare qui gravis criminis reus nequeat alio tempore confessionem suam peragere: is non equidem praecepto Ecclesiae satisfacere, sed potius praecepto solvi ob grave incommodum dicendus est (3). *Viae Crucis*, ut vocant, exercitium cum auditione Sacri probe componi putamus, quippe quod neque externae attentioni neque internae impedimento est: non externae, quia etiam huc illuc per templum discurrens ad sacrificantis actionem potest quadantenus animum attendere; non internae, quia Christi patientis mysteria recolere optimum orandi genus est et divino Sacrificio maxime conveniens, in quo eadem quae in ara Crucis Hostia incruente litatur (4). Haec Faustinae si aptaveris, minimo inferes negotio an praecepto audiendi Sacrum satisfaciat.

Facilius erit de Quintiano iudicium proferre: etenim tam externa quam interna attentione caret qui totum Missae tempus vel magnam partem sive aspiciendis picturis, sive profanis sermonibus miscendis, sive ineptis pravisque cogitationibus indulgendo absumit.

Arnobius, templum ingrediens dum Evangelium vel praefatio legitur, statimque post Eucharistiae sumptionem relinquens, violati praecepti reus est ex communi doctorum sententia, quippe abest per notabile tempus, quod tertiam Missae partem exaequat (5). Absens concionis tempore praeceptum non frangit, quia concio pars Missae non est. Neque graviter frangit qui paulisper abest vel obdormiscit cum Symboli cantus prolixior est; in subiecta tamen facti specie haec omissio, ceteris addita, notabiliorem facit Arnobii absentiam.

(1) La Croix, 655; Voit, II, 840; S. Alphonsus, 314; Gousset, 554; D'Annibale, III, 124; De Varceno, l. c.

(2) Lugo, *De Euch.* disp. XXII, 22; Sporer, 12; Bonacina, 26; Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxviii, mense augusti; Alasia, *De ecclesiae praec.* c. III, 1; S. Alphonsus, 314; Bouvier, *De Decalogo*, c. III, a. III; De Varceno, l. c. In contrariam sententiam loquuntur Génicot, I, 341; Sebastiani, l. c. et Ferreres, *Epitome*, 240, si poenitens ad ea quae a sacerdote peragantur quadantenus animum attendat.

(3) La Croix, l. c.; S. Alphonsus, 314, 332; Gury, I, 342.

(4) Ita cum Génicot, l. c., Zaninetti, 1580, quibus contradicit D'Annibale (124, adnot. 27) plerumque benignus, hic vero rigidus.

(5) Gousset, 549.

LX.

Valerius, magnam diei festi partem venando, vel piscando, vel pingendo, vel musicam docendo (stipendio etiam accepto) transigere solet.

Petronius barbitonsor dominico die plures barbis radendis crinibusque tondendis insumit horas, idque sibi licere arbitratur tum quia ita fert usus, tum quia timet ne radendi vel tondendi aliorsum petant.

Martinus faber lignarius opus quoddam certo tempore praestandum suscipit, quamvis sciat solidum fere diem festum operi explendo insumendum esse: timet enim ne opus credatur alteri et ipse magno lucro privetur.

Seius iubet famulos suos festo die viridaria rigare, frumenta caedere, messa versare solique siccanda exponere.

Domitilla sartrix singulis fere dominicis duas circiter insumit horas modo suis reficiendis vestibus, modo nuptialibus alteri parandis, nuptiali imminente die: quandoque vero postmeridianum tempus sacris indumentis, sericis floribus, pauperum vestibus gratuito conficiendis impendit, adhibita etiam nonnullarum puellarum opera, ne otio languescant.

Quaeritur I°. Quaenam die festo opera vetantur?

Q. II°. Quodnam temporis spatium requiritur ut servili operi incumbens graviter peccet?

Q. III°. An et quaenam causae ab hoc praecepto servando excusent?

Q. IV°. Quid in singulis factis propositis?

Quaestionum solutio.

217. — Resp. ad I Q. Principio opera distinguamus oportet in *servilia, liberalia, communia* atque *forensia*. *Servilia* ea vocantur quae ad corporis utilitatem maxime spectant, viribusque corporis magis quam animi perficiuntur, propterea servorum sunt propria. *Liberalia* vocantur quae ad animum erudiendum vel recreandum potissime conferunt et mente magis praestantur quam corpore, propterea a personis liberis magis fieri solent quam a servis. Medium quodammodo inter servilia et liberalia locum tenent *communia*, quae utrorumque participant. *Forensia* a foro in quo exercentur appellationem accipiunt: quod forum duplex est, nempe rerum venalium et litium. Ut autem definiatur in quonam horum genere opus aliquod sit censendum, spectanda cum primis ipsius operis natura, dein consuetudo ac prudentium aestimatio; minime vero agentis mens (ut puta si lucri vel solatii causa opus suscipiatur, vel animo egenorum tenuitatem levandi) neque diuturnitas operis, corporisve in eo praestando defatigatio, haec enim operis naturam non mutant (1).

(1) Caietanus in II^{a} II^{ae}, q. CXXII, a. IV; Navarrus, *Enchir.* c. XIII; Reiffenstuel, tr. X, dist. I; Sporer, tr. IV, sect. III; La Croix, l. III, tr. III; Bonacina, *In III Decal. praec.* disp. V, q. unic., p. II; S. Alphonsus, III, 272 et seq.; Génicot, I, 333; Sebastiani, *Summarium*, 217.

Praestat singula opera speciatim declarare. Haec, nemine contradicente, inter servilia numerantur: arare, fodere, serere, ligna caedere, nere, suere, tondere barbam, molere (1), mechanicas artes exercere (cuiusmodi sunt caementaria, fabrilis, sutoria, pistoria, molendinaria, typographica), fructus decerpere, decorticare et id genus plurima. Liberalia sunt legere, scribere, canere, concionari, consulere, scientiis sive addiscendis sive docendis incumbere, artes quas liberales vocant excolere. Communibus accenseri possunt venari, aucupari, piscari, pingere, sculpere, delineare, photographum agere, phyrigio opere distinguere, quod et acu pingere dicitur. Forensia sunt mercatus seu nundinae et actus iudiciales qui ad causas cum civiles tum criminales pertinent (2).

218. — Age dum, videamus quae ex his omnibus die festo vetantur, quaeque permittuntur. Servilia vetari prorsus ac liberalia permitti extra controversiam est: nec refert an illa animi causa, haec vero lucri suscipiantur, nam agentis mens (ut diximus) operis naturam non mutat. De communibus interest dispicere, utrum servilibus an liberalibus proximius accedant: si quidem illis, vetita; si his, licita existimantur. Hinc venari, aucupari et piscari licet, modo haec fiant sine magno apparatu ac labore (3). Delineare et penicillo pingere in tabula (nisi multum laboris in coloribus terendis dolandisve tabulis sit insumendum), item acu pingere, photographicae arti incumbere, operibus liberalibus accensentur; contra servilibus, colorare asseres vel parietes dealbare (4). Exscribere, musicas notas formare lineasque ducere notis supponendas liberalia putantur (5). Sculpere, servilibus magis quam liberalibus operibus accedit; at ultimam expoliendo sculptili admovere manum nonnulli merito permittunt (6). Iter facere pedibus, curru, navi aliisque vehiculis recens inventis quae italice *bicicletta*, *motocicletta*, *automobile*, *aeroplano* appellantur, saltem vi consuetudinis in universum receptae, communibus operibus accense-

(1) Si tamen mola vento vel aqua volvatur, adeo ut exigua hominis opera opus sit, probabilius molere licebit. Ferreres, *Epitome*, 246; Sebastiani, l. c., Génicot, 334 cum Sanchez et La Croix, quorum sententiae S. Alphonsus videtur assentire (n. 277). Accedit et consuetudo ex dicendis n. 220.

(2) Vide sis *Codicem iuris canonici*, can. 1248.

(3) Navarrus, loc. cit., 9, 11; Reiffenstuel, 16; Sporer, 47; S. Alphonsus, 283.

(4) Reiffenstuel, 18; Sporer, 45; S. Alphonsus, 280.

(5) La Croix, 575; Sporer, 47; Clericatus, *Erotemata*, c. XLVII, n. 27; S. Alphonsus, 279; Gousset, I, 563; Lehmkuhl, I, 706. In lineis ducendis se occupare La Croix et Lehmkuhl post Tamburinum servile putant, quod Sporer reiicit ceu scrupulum italicum germanis ignotum.

(6) Reiffenstuel, 18; Sporer, 45; S. Alphonsus, 281; Gousset, 564; Gury, I, 357; Gastaldi, I, p. 404; Lehmkuhl, 706; D'Annibale, III, 121, nota 7; Costantini, 216; Ferreres, Sebastiani et Génicot, ll. cc.

tur (1). Vehementer tamen sunt obiurgandi qui solatii causa dumtaxat, potissimis christiani hominis officiis neglectis, solidum festum diem iter habendo consumunt, perinde quasi non ad Dei cultum sed ad animi corporisque relaxationem tantum Dei festa essent instituta. Ceterum, hac de re multum consuetudini deferendum, de qua inferius dicemus. Demum, ad forensia quod attinet, nundinae universales (italice *fiere*) ipso iure pontificio concessae sunt, item publici mercatus hodie terme ubique ex consuetudine licent; mercium venditio, olim prohibita in publicis officinis ratione scandali, hodie permittitur si privatim fiat, vel etiam in publicis officinis, ianuis tamen clausis; eo magis esculentorum ac poculentorum venditio, necnon illarum mercium quae definitum habent pretium (2). Haec de his quae ad forum rerum venalium spectant. Ad forum vero litium quod pertinet, vetitum est causas tam civiles quam criminales agere ac sententias proferre, non tamen privatim ac sine strepitu testes audire, cum advocato sermonem conferre, iudicem instruere (3).

219. — Resp. ad II Q. Quidquid veteres senserint, hodie receptum est, illum gravis culpae non esse damnandum qui infra duas horas vel duas cum dimidio servilibus vacat (4); immo, si de leviusculo opere agitur quod minimo labore perficitur, veluti flores legere, decorticare poma, longius tempus requiritur ut lethaliter quis peccet (5). In forensibus autem non ex temporis diuturnitate sed magis ex operis qualitate culpae gravitas petenda est (6).

220. — Resp. ad III Q. Causae excusantes sunt: 1°. necessitas, 2°. caritas, 3°. pietas, 4°. consuetudo, 5°. dispensatio.

1°. Necessitas adest cum praeceptum servari nequit sine gravi damno seu corporis, seu animae, seu bonorum: nam *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum* (7). Ob hanc causam excusantur conflantes vitrum, coquentes calcem, lateres, ollas, pauperes qui se suosque aliter sustentare nequeunt, vel quibus aliud sarciendis vestibus lavandisve tempus non suppetit, praesertim si vestes die festo dimissae postridie sint resumendae (8). Excusantur agricolae, qui sive ob ingruentem praeteritamve pluviam, sive ob temporis procellam,

(1) S. Alphonsus, 275; Gury, I, 358; D'Annibale, III, 121 nota; Bucceroni, *De tertio Decalogi praecepto*, II, 653.

(2) Sporer, 48; S. Alphonsus, 286; D'Annibale, 122.

(3) Reiffenstuel, 21-23; Bonacina, 7; Navarrus, 12; S. Alphonsus, 287.

(4) Reiffenstuel, 25; Sporer, 38; Clericatus, l. c. n. 31; S. Alphonsus, 305; Gousset, I, 568; Lehmkuhl, 707; D'Annibale, 121; Tanquerey. *De virtute relig.* 1038; Reuter, *Neo-confessarius*, 163; Costantini, 218; Ferreres, 245; Génicot, 335.

(5) S. Alphonsus, 282; D'Annibale et Lehmkuhl et Génicot, ll. cc.

(6) S. Alphonsus, 307; Costantini, 218.

(7) Cap. *Quod non est*, 4, *De Reg. iuris.*

(8) Sebastiani, 219.

foenum segetesve metunt, vertunt, congregant in foenile vel in horreum portant (1). Immo et fructus colligere ut integriores serventur, vel ne marcescant aut surripiantur, plures permittunt (2). Certe quae ad victum quotidianum corporisque cultum sunt necessaria licite praestari possunt, veluti sternere lectum, crines pectere, parare mensam, cibos coquere (3); hodieque permittunt et cibos voluptuarios conficere, cuiusmodi sunt bellaria, placenta atque id genus cupedia (4). An ob timorem magni lucri et extraordinarii amittendi fas sit servilibus operibus vacare, in controversiam venit: probabile tamen est licere, quia magni lucri amissio gravi danno comparatur (5). Ratione necessitatis alienae fas est itinerantium equos calceare, nuptiales vestes vel funebres parare (6); ob eandem causam lanionibus licet animalia mactare et excoriare, si pridie commode fieri non potuit, aestivo praesertim tempore ne caro putrescat (7); ratione vero publicae necessitatis instaurare fontes, argines struere, pontes reficere (8). Haec tamen omnia, quovis remoto scandalo, fieri debent.

2°. Ob caritatem licet servile aliquod facere ut pauperi hic et nunc graviter indigenti subveniatur, item causas misellorum expedire (9).

3°. Pietatis causa ea praestare licet quae suapte natura et proxime ad Dei cultum pertinent, ut pulsare nolas, simulacra et vexilla deferre, altaria ornare. *Non legistis in lege*, ait Christus, *quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant et sine crimine sunt?* (10). Quae minus proxime Dei cultum respiciunt, veluti verrere templum, hostias consecrandas effingere, tabulata et artificiosas moles erigere, nonnulli licere putant ex consuetudine, aut saltem sine gravi peccato fieri posse arbitrantur. Quae autem remote ad Dei cultum conferunt, ut puta sacras supellectiles conficere, agros Ecclesiae colere, ligna saxaque vehere ad templum aedificandum, non licent nisi gravi urgente necessitate, vel obtenta praelati licentia (11).

4°. Consuetudo legitima, quae optima legum interpres vocatur, plura quae ex sua natura servilia essent, licita facit. Ob hanc causam excusantur barbitonsores, pistores coquentes panem, frumenta molentes, praesertim si mola vento agitur aut minima hominis opera

(1) Reiffenstuel, 28-30; Sporer, 50; S. Alphonsus, 303; Gousset, 574.
(2) S. Alphonsus, 298; D'Annibale, 126.
(3) S. Alphonsus, ceterique communiter.
(4) S. Alphonsus, 298; D'Annibale, 126.
(5) S. Alphonsus, 301; Gousset, 575; Lehmkuhl, 712; Ballerini-Palmieri, tr. *De 3° praecepto Decal.*, 81; Sebastiani, l. c.; Ferreres, 247; Génicot, l. c.
(6) S. Alphonsus, 300, 303.
(7) Génicot, 337.
(8) Navarrus, 11; Reiffenstuel, 32; Sporer, 50; D'Annibale, 126.
(9) Navarrus, 3, 10, 13; Reiffenstuel, 22; S. Alphonsus, 293, 294.
(10) Matth., XII, 5.
(11) Navarrus, 4; Sporer, 52; Clericatus, l. c. 32; S. Alphonsus, 291-293.

intercedat (1). Sunt qui his accensent et triturantes triticum, adhibita machina quam italice *trebbiatrice* appellant (2): quod sapientoribus definiendum remittimus. Hodie, saltem vi consuetudinis late vigentis, licitum putatur ob publicum bonum currus et navigia pridie onusta ducere, immo et onerare, ad merces sive per viam ferream, sive per navem transvehendas, si alia die id commode fieri nequeat (3). Ut tamen servilia consuetudine honestentur, de consuetudine constare debet, non enim semper eadem ubique consuetudo obtinet.

5°. Demum dispensatione legis vinculum laxari posse exploratum est. Dispensandi facultas penes illos est qui in Ecclesia iurisdictione pollent. Vi consuetudinis nedum Episcopus sed et praelati regulares et parochi cum suis dispensare valent quibusdam in eventibus et extante causa; quam consuetudinem *Codex pontificii iuris* hoc canone sanxit et declaravit: *Non solum Ordinarii locorum, sed etiam parochi, in casibus particularibus iustaque de causa, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, et in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum, itemque de observantia abstinentiae et ieiunii, vel etiam utriusque dispensare.* Eadem potestate in religione clericali exempta Superiores, itidem ut parochi, praediti sunt (4). Non autem potest confessarius dispensare, sed eius tantum est declarare, adesse vel minus causam excusantem a culpa (5). Ceterum, quovis nomine a praecepto feriandi quis eximatur, omnino cavendum ne scandali occasio cuipiam praebeatur.

221. — Resp. ad IV Q. Quamqam improbandus Valerius, quod magnam diei festi partem divinis subtrahat ut terrenis incumbat, non tamen erit gravis culpae reus si, audita Missa, venando, piscando, pingendo diem transigit, modo sine magno apparatu ac labore haec opera praestet quae communibus accensentur. Eo minus peccare dicendus quod musicam doceat, etiam stipendio accepto, quum musica ars liberalis sit.

Ex consuetudine ferme ubique tolerata barbitonsores excusantur, eo magis si operam suam recusando timeant notabile sibi damnum obventurum: quamobrem Petronius non est inquietandus, modo Sacro interesse studeat.

Amissio magni lucri, nempe extraordinarii, gravi damno comparatur; hinc valde communiter inter causas excusantes recensetur: non ergo

(1) Sporer, 55; Navarrus, 9; Illsung, tr. V, disp. II, q. I, a. II, § I; Mansi, *Epitome*, v. *Dies festi;* S. Alphonsus, 277, 290.

(2) Zaninetti, 959. cum DelVecchio, I, 756.

(3) Génicot 334; Ferreres, *Epitome*, 246.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 1245.

(5) Sporer, 57; La Croix, 584; S. Alphonsus, 288; Gousset, 570.

Martinum condemnabimus, praesertim si suis quaestibus se suosque sustentare debet (1).

Quum servilia sint quae Seius famulos suos praestare iubet, lethaliter peccat, nisi ob periculum gravis damni aut materiae parvitatem excusetur (2).

Domitilla duas horas non excedens gravi culpa non tenetur; immo nec levi, si vera necessitate prematur ea opera praestandi. Non tamen de gravi culpa purganda, quod postmeridianas horas (nimirum supra tres vel quatuor) servilibus operibus impendat puellasque sibi socias laboris adsciscat, non ob aliquam necessitatem sed otii vitandi causa: namque otio fugiendo plures patent viae; quapropter tunc tantum id permitti potest, quum vehemens urget tentatio quae nequeat alia ratione repelli (3).

IN IV DECALOGI PRAECEPTUM

LXI.

Anselmus invitis parentibus militiae nomen dat. Martina, Anselmi soror, in sacrarum virginum coenobio se ipsam Deo dicare vehementer exoptat; verum renuunt parentes, affirmantes eius operae se valde indigos esse. Faustina eius soror nuptias avet; contra omni studio parentes ad religionem suscipiendam inducere eam conantur. Quadam nocte sorores una simul paternam domum clanculum deserunt, illa ut in claustrum se recipiat, haec ut iuveni bonis moribus parisque conditionis nubat.

Quaeritur I°. An peccent parentes qui in electione status filiis obsistunt?

Q. II°. An filii hac in re obedire parentibus debeant?

Q. III°. Quid hisce in adiunctis parocho vel confessario cum filiis et parentibus sit agendum?

Q. IV°. Quid in propositis factis sentiendum sit?

Quaestionum solutio.

222. — Resp. ad I Q. Officia parentum in filios, itidem ac filiorum in parentes, alia *moralia* sunt, alia *iuridica*: nimirum parentes filiis, quemadmodum et filii parentibus, quaedam ex pietate, quaedam vero

(1) Sporer, 51; La Croix, 588; Reiffenstuel, 34; S. Alphonsus, 301; Gousset, 575; Sebastiani et Ferreres, ll. cc.

(2) Lambertini, *Casus*, an. mdccxlii, mense iulii.

(3) Sporer, 54; La Croix, 586; Bonacina, 7; Lambertini, *Casus*, an. mdccxlvi, mense aprilis; Voit, I, 624; S. Alphonsus, 302; D'Annibale, 126; Ferreres, l. c.; Génicot, 337.

debent ex iustitia (1). Ex virtute pietatis filii morali officio tenentur obsequium parentibus praestandi: quod postulat ut in negotiis magni momenti eorum consilium exquirant, pensi habeant et si iustum sequantur. At, qua homines sunt, filii iuribus suis gaudent, inter quae illud excellit eligendi genus vitae: quod ius effringere parentes nequeunt sine iniustitia. Quibus positis, ut cominus ad quaestionem nostram veniamus, dicimus mortaliter peccare parentes qui sine gravi causa filiis obsistunt in electione sui status, sive eos ad coniugium ineundum cogant, sive ab ineundo prohibeant, sive ad clericalem seu religiosum statem impellant, sive ab hisce statibus retrahant, deterreant (2). Quinimmo Tridentinum Concilium anathemate ferit omnes (cuiuscumque conditionis et dignitatis fuerint), qui mulierem quamcumque invitam ad religionem suscipiendam quomodocumque coegerint, *praeter quam in casibus in iure expressis*, eodemque anathemate illos percellit qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquomodo sine iusta causa impedierint (3). *Codex* autem *iuris pontificii* haec habet: *Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam solemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam* (4). Impedientes quominus femina religionem ingrediatur vel profiteatur hic canon praeterit, quocirca tridentina censura posthac eos non tenet. Diximus peccare lethaliter parentes *sine gravi causa* filiorum libertati adversantes, quandoquidem nullatenus peccarent impedientes filiorum coniugia quae in familiae damnum vel dedecus vergerent, quippe parentum est familiae decori ac bono prospicere. Neque etiam peccarent filios a religione amplectanda retrahentes, si eorum indigerent auxilio,

(1) Officia omnia *moralia* sunt, at non omnia *iuridica*, sed ea dumtaxat quibus ius aliquod respondet inviolatum servandum. De hac distinctione vide Rosmini, *Principii della scienza morale*, c. VII, a. VII; *Diritto*, vol. I; *Della natura del Diritto*, c. IV, a. I et S. Thomam, II^{a} II^{ae}, q. LVII, a. IV, ad 2^{um}. Distinctionem hanc subvertere videtur Costantini (nn. 23, 146) qui contendit omni officio ius respondere, seu (quod in idem recidit) omnia officia esse iuridica. Hoc verum est de officiis hominis in Deum, qui est dominus omnium; non autem de officiis hominis in hominem, secus omnia benevolentiae, pietatis, caritatis officia in officia iustitiae converterentur.

(2) Navarrus, *Enchir*, c. XIV, 17; Reiffenstuel, tr. IX, dist. II, 12; Sporer, tr. III, c. V, 19-23; Sanchez, *De matrim.*, l. IV, disp. XXII, 4; S. Alphonsus, III, 335; IV, 77; Génicot, I, 348 ceterique communiter. Cf. Rosmini, *Diritto*, vol. I, 122-124.

(3) Sess. XXV, *De regular.* c. XVIII. Videndus hac de re Pennacchi, qui fuse docteque argumentum hoc versat (Append. XXXVIII, c. IX).

(4) *Codex iuris canonici*, can. 2352.

nempe si in gravi necessitate versarentur. Quae ex proxime dicendis clarius patebunt.

223. — Resp. ad II Q. Quum divino ac naturali praecepto filii obsequium parentibus impendere iubeantur, integrum non est eis quae graviora sunt negotia inconsultis parentibus tractare. Quapropter novum vitae genus instituturi praestat, quemadmodum innuimus, ut parentum consilium exposcant, reverenter accipiant et plerumque sequantur. *Plerumque*, inquimus, nempe quum parentum consilium aequitati et iustitiae plane consonum est. Hinc, si filiorum coniugio parentes adversarentur quia ex eo iurgia, damna, dedecus in familiam redundarent, profecto filiis licitum non esset parentum consilium recusare; secus vero si parentes sine iusta causa coniugio obsisterent, aliudve coniugium proponerent a quo filii abhorrerent, nam in electione status filii sui iuris sunt; praeterquamquod nuptiae, quippe quae mutui amoris vinculum sunt, sponte et non coacte ineantur oportet (1). Idque eo magis obtinet quum filii clericalem vel religiosum statum amplecti constituunt, tum quia Deo ad perfectiora vocanti omnino parendum est, tum quia hac in causa parentes consiliarii minus idonei esse solent, Christo dicente: *Inimici hominis, domestici eius* (2). Excipe, quod et supra monuimus, si parentibus extrema vel gravi necessitate laborantibus filii ex officio pietatis subvenire deberent (3). Lubet haec Angelici Doctoris auctoritate firmare. *Quia omnes homines natura sunt pares, puta in his quae ad corporis sustentationem vel prolis generationem, non tenentur filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel de virginitate servanda* (4). Et rursus: *Parentibus in necessitate existentibus, ita quod eis commode aliter quam per obsequium filiorum subveniri non possit, non licet filiis, praetermisso parentum obsequio, religionem intrare. Si vero non sint in tali necessitate ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt, praetermisso parentum obsequio, filii religionem intrare etiam contra praeceptum parentum, quia post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea quae pertinent ad dispositionem sui status, praesertim in his quae sunt divini obsequii* (5). Demum cum eodem S. Doctore animadvertimus, fas esse filiis parentes etiam graviter egentes relinquere ut animae suae consulant, quae extra religionis septa valde periclitaretur, nam sempiterna filiorum animae salus corporeo parentum bono anteferenda est (6). Huc facit illud

(1) Sanchez, l. IV, disp. XXIII, 10; Sporer, 24-28; S. Alphonsus, VI, 850, 851; Génicot, II, 518; Ferreres, *Epitome*, 250; Sebastiani, *Summarium*, 223; Rosmini, *Etica*, 483; *Diritto*, vol. I, 1312-14; vol. II, 1532.

(2) Matth, X, 36.

(3) S. Alphonsus, IV, 66; Pennacchi, l. c. et ceteri communiter.

(4) II^{a} II^{ae}, q. CIV, a. VI.

(5) II^{a} II^{ae}, q. CLXXXIX, a. VI.

(6) *Quodlib.* X, a. IX; S. Alphonsus, IV, 66.

Hieronymi ad Heliodorum: *Licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola* (1).

224. — Resp. Ad III Q. Cauto admodum pede parocho et confessario hac in re incedendum. Parentes doceant, libertatem in electione status filiis esse relinquendam, praesertim si ad sacerdotium vel religionem divino instinctu se ferri sentiant; propterea eos grave crimen admittere sive filios a nuptiis prohibeant, sive ad nuptias reluctantes adigant, sive a religione vel sacerdotio retrahant, sive ad haec vitae genera invitos compellant. Item filios moneant ne inconsultis invitisve parentibus nubant, eorum consilia audiant, iisque acquiescere satagant; at simul doceant eos non peccare si iniustae parentum voluntati refragantur. Idque eo magis obtinet quum de perfectiori statu eligendo sermo est. Ceterum parochus et confessarius sive cum parentibus sive cum aliis mitius agant oportet, ut, quoad eius fieri potest, rem amice componant neque imprudenter in tricas se coniiciant. Ad haec parochum non praetereat hoc novissimi *Codicis* monitum: *Parochus graviter filios familias minores hortetur, ne nuptias ineant insciis vel rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario* (2).

225. — Resp. ad IV Q. Nisi iusta de causa parentes abnuerint, licuit Anselmo se militem conscribere, quippe iure suo usus est, neque indecorum cuipiam militem agere (3). Nisi in gravi necessitate parentes constituti fuissent (quod in proposito themate non videtur), licuit Martinae ad religiosum coenobium convolare, neque facile damnanda Faustina, quae iniustis parentum molestiis fugiendo se subduxit, utraque enim ab iniusta vexatione se liberavit.

IN VIII DECALOGI PRAECEPTUM (4)

LXII.

Aurelius, fabulator insignis, cum ad amicos exhilarandos tum ad simpliciores ludificandos, innoxia sermonibus suis intexere solet mendacia.

Camillus surdastro domino sciscitanti an amphoram fregerit, respondet: « Non fregi », subdens voce submissa: *heri*; sciscitanti an gallinaceum gallum occiderit, respondet: « Gallum non occidi », intel-

(1) *Epistolae selectae*, l. II, epist. IV.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 1034.

(3) Lambertini, *Casus*, an. mdccxlii, mense martii.

(4) De iis quae ad V et VII Decalogi praeceptum spectant nonnulla invenies in tractatibus *De actibus*, *De iustitia*, *De restitutione* et *De contractibus*; de iis quae ad VI praesertim in tractatibus *De Poenitentia* et *Matrimonio* et alibi passim; de iis quae ad IX et X quaedam in tractatu *De peccatis*.

ligens hominem natione gallum. Quaerentibus an dominus redierit domum, respondet ad fenestram versus: « Non vidi illum hac redeuntem »; pauperibus nummum aliquem poscentibus respondere solet: « Nummos non habeo », subaudiens: *quos tibi dem.*

Faustina confessario interroganti an retroactis annis blasphemias protulerit viroque fidem ruperit, perfracte negat, quia crimina illa iam rite confessa est, ac iuramento negationem confirmat.

Quaeritur I°. Quid est mendacium, quaeque eius pravitas et quanta?

Q. II°. Quid est aequivocatio, quid restrictio mentalis, quid falsiloquium?

Q. III°. An haec quandoque liceat adhibere?

Q. IV°. An liceat in confessione aequivocatio vel restrictio late mentalis?

Q. V°. An Aurelius, Camíllus, Faustina mendacii sint rei?

Quaestionum solutio.

226. — Resp. ad I Q. Mendacium definiri cum Augustino sic potest: *Enuntiatio falsi voluntarie ad fallendum prolata* (1). Nempe ad mendacium requiritur ut falsum dicas, animo fallendi dicas, prudens et scitus dicas, animo fallendi dicas: hoc tamen postremum non ad speciem mendacii pertinet (ut animadvertit S. Thomas) sed ad quandam perfectionem eius (2). Quocirca placuit aliis mendacium sic definire: *Verbum contra mentem prolatum* (3). Cum autem tota mendacii ratio seu natura in voluntaria falsi enuntiatione sita sit, nil plane refert an voce, vel scripto, vel nutibus, aliove signo falsum quis proferat (4),

227. — Mendacii turpitudo in eo est, quod veracitati opponitur ac iustitiae: veracitati, quia verba ad veritatem exigere idem est ac obsequium veritati praestare; iustitiae, quia ex quo homines sibi invicem sunt consociati, vi tacitae conventionis ius habent ut verba in communiter accepta significatione usurpentur. Hinc (quidquid alii senserint) officium non mentiendi iuridicum est, propterea qui mentitur iniuriam infert ceteris, quamvis forte nullum inferat damnum (5). Quod sat perspicue docet Aquinas: *Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tamquam sibi invicem veritatem manife-*

(1) L. I *De mendacio*, c. IV.
(2) II^{a} II^{ae}, q. CX, a. I.
(3) D'Annibale, II, 293.
(4) S. Thomas, l. c., ad 2^{um}; *Summa Sylvestrina*, v. *Mendacium*, 1.
(5) Rosmini, *Etica*, 447; *Diritto*, vol. I, 102-107.

stantibus (1). Mendacium esse natura sua seu intrinsece malum, quandoque etiam tam grave ut *occidat animam, perdat hominem, Domino abominabilem faciat*, fatentur omnes multisque patet SS. Scripturarum testimoniis (2). Non tamen semper mortiferum peccatum est. Nam dividitur mendacium in *iocosum, officiosum* et *perniciosum*: illud ad nugandum profertur, istud ad bonum aliquod sibi ceterisque comparandum, hoc ad nocendum vel saltem cum alterius damno. Primum et secundum mendacii genus plerumque veniale peccatum non excedit (immo iocosum et levi culpa carebit, si nugandi animus tam clare pateat ut audientium nemo decipiatur (3)); postremum ex sua natura grave est, nisi ex materiae parvitate levius fiat (4). *Duo sunt genera mendaciorum in quibus non est magna culpa* (ita Augustinus), *sed tamen non sunt sine culpa, cum aut iocamus, aut ut proximis prosimus mentimur* (5).

228. — Resp. ad II Q. I°. *Aequivocatio* est sermo duplicem exhibens sensum, sive ipsis in verbis duplex insit significatio, veluti si dicas: *Volo* (quod *velle* et *volare* significare potest), aut *Sum* (quod tam *esse* quam *edere* significat), sive verborum pronuntiatio ambigua sit, ut puta si dicam: *Spondeo tibi me centum aureos daturum*, ubi incertum est utrum spondeam tibi, an tibi sim daturus.

II°. *Restrictio mentalis* tunc adest quum loquens, per clausulam aliquam mente retentam, verba flectit ad sensum minus obvium, vel omnino impervium audienti: hinc diducitur in *late mentalem* et *pure* vel *stricte mentalem*. Restrictio late mentalis vix ab aequivocatione differt: in ea enim ex adiunctis diversae significationi verba se accommodant, quam possunt audientes percipere, ut puta si dicas: *Cibus hic mihi nocet*, qua locutione significare potes cibum nocere corpori tuo vel animae. Restrictio pure mentalis ea est qua illud quod quis mente retinet nullo prorsus modo ad audientibus percipi aut coniici potest, veluti si dicas: *Romae fui*, intelligens *animo* seu *desiderio* (6).

III°. *Falsiloquium* apud neotericos scriptores est enuntiatio falsi ad veritatem subtrahendam ei cui nullatenus debetur. Hi a mendacii

(1) II^{a} II^{ae}, q. CIX, a. III, ad 1^{um}.

(2) *Sap.* I, 11; *Eccli.* VII, 13, 14, XX, 27; *Prov.* XII, 22; *Psal.* V, 7; *Eph.* IV, 25; *Coloss.* III, 9.

(3) D'Annibale, 392; Ferreres, *Epitome*, 301; Sebastiani, *Summarium*, 349.

(4) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. CX, a. II et IV; Navarrus, *Enchirid.* c. XVIII, 3 et ceteri. Hic obiter animadverte, officiosi mendacii, saepe etiam perniciosi, assentatores esse reos, qui ad potentium gratiam aucupandam effusa fictaque laude eis blandiuntur.

(5) *Enarratio in Psal.* V.

(6) Sporer, tract. III, c. I, 101 et seq.; La Croix, l. III, p. I, 284 et seq.; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XXVI ab Innocentio XI damnatam; S. Alphonsus, III, 151; Lehmkuhl, I, 918.

notione communiter recepta discedunt, quam ita coarctant ut significet tantum veritatis alteri debitae negationem (1). Ad falsiloquium *cryptologiam* et *cryptographiam* revocari posse putamus, quae sunt loquendi et scribendi artes sermone adhibito audientibus vel legentibus noto, mutato tamen verborum sensu, ad veritatem iis ex industria celandam quibus eiusmodi sensus mutatio antea patefacta non fuit (2).

229. — Resp. ad III Q. I°. Aequivocatione uti tunc licitum est quum obligatio non adest veritatem aperiendi, causa vero adest honesta eam reticendi. Cum enim verba aequivoca verum sensum prae se ferant quem auditores percipere valent, qui ea profert non mentitur nec decipit, sed sinit dumtaxat ut auditores decipiantur. Christus ipse non semel aequivocatione usus est, v. c. quum de Ioanne Baptista dixit: *Ipse est Elias* (3), et de Lazaro: *Amicus noster dormit* (4), significans Ioannem Eliae spiritu praeditum esse, et Lazarum dormire somnum mortis. Idem dic de restrictione late mentali, quam aequivocationi comparavimus. Hac quoque usus est Christus quum dixit: *Non ascendo ad diem festum istum* (5), et tamen ascendit non manifeste sed occulte; item quum ait: *De die illo nemo scit, neque Filius* (6), et tamen ipse sciebat, sed non ad manifestandum. Teneamus ergo, licitum esse aequivocationis et restrictionis late mentalis usum, quum iusta subest causa veritatem tegendi, quin ulla obligatio urgeat eam aperiendi. Hinc confessario de iis interrogato quae ex confessione novit, respondere licet se nihil scire, nempe ea scientia qua uti possit, scit enim ut Dei minister non ut privatus homo. Item reus aut testis non legitime a iudice interrogati, puta de crimine sine culpa admisso, vel omnino occulto, vel sibi noto sub vinculo promissi secreti, affirmare possunt se illud nescire, ea nempe scientia quam debeant quae-

(1) Tanquerey (*De iustitia*, 410), a quo citantur Bolgeni, Piat, Dubois, Fonsegrive.

(2) Stattler, *Ethica christiana*, p. III, sect. II (apud Guillois, *Catechismo*, vol. II, lez. XXI, a. II).

(3) Matth. XI, 14.

(4) Ioann. XI, 11; Du Clot, *La Bibbia difesa*, vol. IV, *I quattro Vangeli*, nota XXVII.

(5) Ioann., VII, 8. Ita cum S. Ioanne Chrysostomo. Theophilacto et Euthimio, S. Alphonsus (III, 152) aliique, Vulgatae inhaerentes, Christi verba interpretantur; sunt tamen qui graeco textui innixi, in quo legitur *nondum ascendo (anabaino)*, mentalem restrictionem hinc penitus exulare contendunt, quippe *tunc* non ascendit sed *deinceps*. Vide Natalem Alexandrum, *De Decalogo*, c. X, a. II, Martini, *Il Nuovo Testamento*, in hunc locum et Curci, *Lezioni esegetiche e morali sopra i quattro Evangeli*, Lez. LIX. n. II; Du Clot, *La Bibbia Difesa*, vol. IV, *I quattro Vangeli*, nota XXVII.

(6) Marc. XIII, 32.

renti communicare. Secus autem dicendum si interrogans iuridice ac legitime interrogaret, vel nulla esset iusta causa veritatem celandi (1).

II°. Restrictio pure mentalis nunquam licita est: etenim cum sensus quem verba sonant omnino sit alius ab eo quem loquens in mente retinet, quique nullo modo audienti patere potest, mendacium adest et directa alterius deceptio (2). Huc venit propositio XXVI ab Innocentio XI damnata: *Si quis vel solus vel coram aliis interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, iuret se non fecisse aliquid quod revera fecit*, **intelligendo intra se aliquid quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum,** *revera non mentitur, nec est periurus.*

III°. Falsiloquium, quod et mendacium psychologicum appellant, recentiores quidam licitum putant in gravi necessitate, scilicet ad grave tam corporis quam animae damnum propulsandum. Nam ex uno capite qui decipitur ius non habet ad veritatem cognoscendam, ex altero falsiloquium non profertur nisi ad se indemnem servandum quum alia via non suppetat se ipsum tuendi (3). Postrema haec ratio infirma nobis videtur, quia si falsiloquium veracitati opponitur estque in se malum, nulla utilitatis causa honestari potest: *Ne pro vita quidem defendenda*, ait Innocentius III, *nobis licitum est mentiri* (4). Probabile tamen putamus, eum qui minis, vi, metu veritatem iniuste a te extorquere nititur, e iure decidere exigendi ut verba proferas sensu communiter recepto: nam verborum significatio non inest eis ex natura sua, sed ex tacita hominum conventione, propterea illi qui tibi iniurius est non videris iniuriam facere si, a conventa verborum significatione recedens, iis tanquam armis utaris ad teipsum tutum ab iniuria praestandum (5). Ceterum, quidquid de hoc sit, fatemur sententiam hanc raro admodum posse ad usum deduci sine mendacii periculo. Huc facere videtur illud Poetae nostri:

Sempre a quel ver ch'ha faccia di menzogna
Dee l'uom chiuder le labbra quanto ei puote,
Perocchè sanza colpa fa vergogna (6).

230. — Resp. ad IV Q. Plerumque in confessione poenitenti non licet aequivocatione aut restrictione late mentali uti, iure enim confessarius interrogare censetur ut poenitentis statum agnoscat; pro-

(1) Sporer, 118 et seq.; Viva, XVIII, XIX; S. Alphonsus, 153, 154; Lehmkuhl, 919; D'Annibale, 294; Ferreres, *Epitome*, 302; Génicot, I, 417; Sebastiani, *Summarium*, 200.

(2) Sporer, 110; La Croix, 285; Viva, n. VIII; S. Alphonsus, 152; Lehmkhul, 918; Génicot, 416; Sebastiani, l. c.

(3) Tanquerey, 413-416; Génicot, I, 415, 416.

(4) Cap. *Super eo, De usur.*

(5) Rosmini, *Diritto*, I, 106-112; Gastaldi, II, pag. 432, nota 2.

(6) Dante, *Inferno*, XVI, 123-125.

pterea ad mentem interrogantis poenitens respondere debet. Huc facit propositio LVIII ab Innocentio XI proscripta: *Non tenemur confessario interroganti fatere peccati alicuius consuetudinem.* Attamen, si confessarius legitime non interrogaret, puta de re non necessaria neque ad confessionem pertinente, liceret poenitenti ambiguis respondere verbis. Immo non peccaret saltem graviter poenitens aequivoca verba iuramento confirmans, quia responsio iurata vacans mendacio vacat et periurio. *Saltem graviter*, inquimus, nam ad aequivocationem iuramento firmandam maior causa requiritur ob Numinis reverentiam (1).

231. — Resp. ad V Q. Cum Aurelii amici exploratum habeant mendacia ab insigni fabulatore nugandi causa proferri, fabulatoris verbis iam non falluntur, quae proinde vera mendacia non sunt. Contra mendacio non carent quae Aurelius ad simpliciores ludificandos profert, hi enim iocum non animadvertentes facile decipiuntur. Hoc tamen natura sua venialem culpam non excedit, quippe mendacium iocosum est.

Camillus restrictione pure mentali utitur quum verbum ita submisse profert ut a domino non percipiatur; etenim verbum proferre quod audiri nequeat, idem est ac reticere: ergo mentitur. Item mentitur quum gallum se occidisse negat, quippe aequivocatione utitur, quam ei adhibere non licet quum iure a domino suo interrogetur. In responsione dominum quaerentibus ac pauperibus stipem rogantibus data, inest late mentalis restrictio, quam diximus cum causa licere; est etiam satis usu receptum ut nolens pecuniam dare dicat se non habere (2).

Si iure Faustina a confessario interrogata fuerit, mentita est ad restrictionem late mentalem se recipiens ut tegeret rei veritatem. Quod si iniurie interrogata fuit, negare potuit sine mendacio se crimina illa admisisse, namque crimen quod sacramentali confessione expiatum fuit atque deletum, iam crimen non est. In qua hypothesi neque peccavit Faustina dicta sua iuramento confirmans; vel ad summum peccavit leviter, si iuramento opus non erat.

LXIII.

Lucius, nobilis viri filius sed nothus, in longinquam regionem concessit, ubi natalium suorum macula omnes latebat, ibique nobilem uxorem ac praedivitem duxit. At, cum post annos aliquot Martinus

(1) S. Alphonsus, 151, 157; Viva, XVIII; Gury, II, 443; Lehmkuhl, II, 417; D'Annibale, 296; Ferreres, l. c.

(2) S. Alphonsus, 165; Bouvier, *De Decal.* c. VII, a. I, § III; Gousset, I, 1048; D'Annibale, II, 295; Frassinetti, I, 96, nota 33 et 88 (contra Salmanticenses et Sporer, 108); Guillois, *Catechismo,* vol. II, lez. XXI, a. II; Bucceroni, *De octavo Decalogi praecepto*, IV, 1529.

Lucii concivis illuc advenisset, eius natales parum honestos vulgavit, quae res inter Lucium et uxorem eiusque parentes graves dissensus et discordiam excitavit.

Quaeritur I°. Quid venit detractionis nomine, quaeque eius pravitas?

Q. II°. Quaenam detractionis materia, quodque subiectum?

Q. III°. An Martinus detractionis sit reus et damna Lucio illata reficere debeat?

Quaestionum solutio.

232. — Resp. ad I Q. I°. Detractio definiri potest *iniusta alienae famae laesio, irrogata per verba, eo absente qui laeditur*. Dicitur 1° *laesio famae*, bonae scilicet, quae in aestimatione virtutis, sapientiae, vitae bene moratae posita est. 2°. Famae *alienae*, quia cum iustitia sit ad alterum, idcirco qui famae suae prodigus est, nullam sibi infert iniuriam. 3°. *Iniusta*, qua nempe ius alterius violetur; sive directe fiat, sive indirecte, sive adsit denigrandi animus (quae detractio *formalis* appellatur), sive absit (quae *materialis* audit); modo is qui laeditur ius suae famae retineat. 4°. *Irrogata per verba*, idest voce, vel nutibus, aliove exteriori signo, nam quae intus in animo continetur, *suspicio* vel *iudicium temerarium* vocatur, non detractio proprie dicta. 5°. *Eo absente qui laeditur*, quae enim coram fit *contumeliae* nomen subit. Bifariam detractio fieri contingit, scilicet crimen verum sed occultum revelando, quae *detractio simplex*, et falsum crimen impingendo, quae *calumnia* nuncupatur (1). Utraque detractionis species ingravescit si eo animo fiat, ut iurgia et discordiae inter amicos serantur : nam *amicus* (ita Angelicus Doctor) *est melior quam honor, et amari melius quam honorari* (2). Haec *susurrationis* nomen subit, et a detractione differt ratione finis, qui est turbare pacem et amicitias dissuere.

233. — II°. Detractio in genere suo lethale peccatum est, quia caritati adversatur et iustitiae; calumnia autem gravius peccatur simplici detractione, tum quia calumnia etiam veracitati opponitur, tum quia plerumque graviorem infert iniuriam. Haec nunquam potest licita fieri, quippe quae mendacium perniciosum continet, quod semper malum est; illa vero quandoque desinit esse mala atque iniusta, sive fiat ad bonum eius qui deliquit, puta ut corrigatur, sive ad grave damnum sibi, reipublicae ceterisve imminens avertendum, nemo enim hisce in adiunctis ius habet ut cum gravi ceterorum damno sua fama servetur, immo iuri suo ipse cedere debet; proinde ab hac famae laesione exu-

(1) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXXIII, a. I; Navarrus, *Enchir.* c. XVIII, 17 et seq.; Reiffenstuel, tr. IX, dist, VI, q. I; Sporer, tr. V, c. IV, sect. III; S. Alphonsus, III, 966.

(2) II^{a} II^{ae}, q. LXXIV.

lat iniustitia (1). Praeterea satis communiter receptum est, omni vel saltem lethali culpa vacare occulti criminis revelationem uni vel alteri viro probo ac taciturno factam, seu ad petendum consilium, seu ad animi dolorem leniendum (2). Quamvis autem ex genere suo detractio sit mortale peccatum, veniale fieri potest ex materiae parvitate, ex defectu advertentiae, vel ex causa non omnino necessaria crimen revelandi (3).

234. — Resp. ad II Q. Iº. Detractionis materia est illud omne quo bona cuiuspiam fama perimitur vel extenuatur: quumque fama in aestimatione virtutis seu vitae bene moratae sit posita, hinc crimina, pravi habitus seu animi vitia (ut libido, ira, avaritia, superbia), quae sint occulta, detractionis materiam constituere dicenda sunt. *Occulta*, inquimus, quae enim crimina publica sunt seu *notorietate iuris*, ut aiunt (quae per iudicis sententiam habetur), seu *notorietate facti* (quae tunc adest quum crimen tam multis innotescit ut iudicio prudentium amplius nequeat celari), haec famam non adimunt quae iam consumpta est (4). At de homine ob aliquod crimen famoso non licet aliud crimen specie diversum revelare: etenim fama divisibilis est, nempe non in uno consistit, propterea potest aliquis castimoniae famam tenere, etsi aequitatis amisit; excipe si crimina seu vitia ita inter se cohaereant ut alterum alterum trahat, veluti si de homine manifeste ebrioso dicas, ebrium cum uxore rixari (5). Neque licet occultum crimen pandere una cum peccantis emendatione, nam famae laesio plerumque non satis emendationis notitia pensatur (6). Neque etiam licet criminis olim publici nunc autem oblivione deleti memoriam refricare, quia recuperata fama integrae comparatur (7). Materia detractionis non sunt naturae vitia, quae et defectus vocantur, tam animi quam corporis, quippe quae infamiam non pariunt: hinc dicere aliquem luscum, gibbosum, herniosum, tardum, voce vel moribus asperum detractione caret, quamvis culpa non vacet si haec in faciem

(1) S. Thomas, l. c., a. II; Navarrus, 32; Reiffenstuel, 7-10; Sporer, 73-81; S. Alphonsus, 968; Génicot, I, 421; Sebastiani, *Summarium*, 344.

(2) Caietanus in IIª IIæ, q. LXXIII, a. II; Laymann, l. III, tr. III, c. III, 5; S. Alphonsus, l. III, 973 (cum Busembaum); D'Annibale, II, 260; Génicot, I, 420; Ferreres, 304; Costantini, 499.

(3) S. Thomas, l. c., a. II; Sporer, 54-58; Sebastiani, l. c.

(4) Navarrus, 26; Sporer, 66-71; S. Alphonsus, 974, 975. Quodnam crimen sit *occultum*, quod *publicum*, quod *notorium*, seu *notorietate iuris seu notorietate facti*, diserte traditur canone 2197 *Codicis pontificii iuris*.

(5) Sporer, 72; Bonacina, *De restit. in particulari*, disp. II, q. IV, p. VII; S. Alphonsus, 976; D'Annibale, II, 259; Génicot, 420.

(6) Del Vecchio, II, 347; Zaninetti, 1525; Bucceroni, *De octavo Decalogi praecepto*, II, 1497. Contrarium docet Bonacina, p. VI.

(7) S. Alphonsus, *Homo apost.* tr. XI, 13; D'Annibale, 261; Génicot, 422.

dicantur cum alterius moerore (quippe contumeliam facerent), vel si aliquod inferant damnum (1).

235. — II°. Detractionis subiectum est quisque suam famam possidet, sive persona singularis sit, sive collectiva, veluti coenobium, religiosum institutum, oppidum, urbs, nam infamia personis collectivis inusta in singulas personas recidit ex quibus personae collectivae coalescunt. Etiam defuncti detractionis subiectum esse possunt, functorum enim iura aeque ac vivorum sancta sunt ac reverenda (2); vel ipsi ethnici in lege duodecim tabularum scripserant: *Deorum Manium iura sancta sunto.* Quamobrem non nobis probatur quod nonnulli asserunt, minus grave peccatum esse mortuos infamare quam vivos (3): quasi ius hominis in famam suam tenuetur per mortem, cum potius tunc religiosius videretur servandum, quia mortui illud tueri iam non valent. Hinc liquet, et historicos arcana functorum crimina sine iusta causa revelantes scriptoque tradentes in caritatem et iustitiam delinquere posse. Id unum concedimus quandoque *per accidens* minus esse damnificum infamare defunctum quam viventem; immo etiam licere ad innocentis famam iniuste laesam vindicandam.

236. — Resp. ad III Q. Natalium vitium inter naturales defectus recensetur, propterea in culpam nothi verti nequit eiusque bonam famam non laedit; attamen quia in hominum aestimatione vitium eiusmodi probrosum censetur, idcirco fit ut eius manifestatio dedecus et moerorem afferat notho, quandoque et damnum. Quapropter Martinus, etsi detractor dici nequit, in caritatem graviter offendit, sive ob moerorem quo Lucium affecit, sive ob discordiam quam in eius familiam ingessit: quod damnum si inde obventurum praeviderit, nedum ex caritate sed etiam ex iustitia reparare pro viribus debet, quisque enim ius habet ne sine iusta causa a quopiam damnificetur (4).

LXIV.

Terentius clericus de Episcopo suo conqueritur, quod rigidus sit, et scrupulis implexus, et male affectus animo, quippe sacros ordines ei detrectat. Item, certissime sciens Hyppolitum condiscipulum vino et

(1) Navarrus, 24; S. Alphonsus, 967; D'Annibale, II, 265 et ceteri.

(2) Reiffenstuel, 5; Natalis Alexander, l. III, *De peccatis*, c. IX, a. V, Regula XVI; Clericatus, *Erotemata*, c. CX, n. 9; Habert, *De iustitia et iure*, p. II, c. IX, § IV; Bonacina, l. c., p. II, 2, 3; Voit, I, 975; D'Annibale, II, 259; Lehmkuhl, 1426; et *Casus*, I, 969; Pramaggiore, *De restit*, p. II, c. III, a. III; Costantini, 502; De Varceno, *De restitut. in specie*, c. I, a. I; D'Annibale, 259.

(3) Busembaum (apud S. Alphonsum, 978); Del Vecchio, 347; Zaninetti, 1525, *Compend. Salmantic.*, tr. XXI, 51; Sebastiani, *Summarium*, 342; Bucceroni, 1492; Génicot, 418.

(4) Sporer, 57; Clericatus, l. c., n. 13; S. Alphonsus, 967; Lehmkuhl, 1420, *Compend. Salmantic.*, 56; Costantini, 499, VIII; Génicot, 420.

Veneri indulgere, simulque conspiciens bona pollere fama ob singularem virtutis speciem, passim affirmat eum insignem hypocritam ac lupum esse ovina tectum pelle. Item de Horatio milite dictitat, gallico laborare morbo et concubinam fovere.

Quaeritur. An Terentius gravi peccati detractionis sit reus?

Quaestionis solutio.

237. — Resp. ad Q. Principio animadvertimus, in aestimanda detractionis gravitate rationem habendam esse conditionis seu dignitatis illius cuius fama laceratur: etenim quae parum vel nihil quorumdam famam onerant, nonnunquam censentur aliorum famam onerare quam maxime. Exempli gratia, si hominem plebeium immitem voces, mendacem, mulierosum, quandoque fortasse peccabis leviter; minime vero si de viro gravi et honorato, de sacerdote, de religioso, de Episcopo, de principe haec proferas (1). Hinc in veteri Foedere peculiare praeceptum: *Diis* (iudicibus nempe) *non detrahes, et principi populi tui non maledices* (2).

Hoc posito, rigidum quempiam vocare, eius famam non inficit, quandoquidem perinde est ac dicere moribus, vita, imperio severum. Item dicere quempiam scrupulis obnoxium plerumque vacat iniuria, quia scrupuli ut plurimum non ex pravo voluntatis habitu, sed ex motu phantasiae ad timorem facilis, tanquam ex proxima causa, proficiscuntur; quamobrem naturalibus defectibus scrupuli adnumerantur. Quinimmo, cum scrupuli in homines pios ac meticulosae conscientiae cadere soleant, scrupulosum aliquem vocare, ad laudem saepe magis quam ad vituperium redundat. Verumtamen Episcopum tanquam scrupulis implexum traducere detractione non caret, Episcopus enim scrupulis implicatus officii sui numeris obeundis minus idoneus censetur. Hinc videre est quatenus ex primo capite Terentius detractionis sit reus (3). Quod autem male affectum animo Episcopum Terentius dixerit, quia sacros ordines sibi conferre renuit, gravis oppido detractio fuit, si malae voluntatis aut iniustitiae illum insimulare voluit; si vero hoc dixerit dumtaxat ad significandum ex praeiudicata opinione a malevolo detractore ingesta Episcopum ita egisse, excusari potest, quippe et Episcopos obtrectatorum versutia circumveniri et decipi posse nemo est qui nesciat.

Quamvis Terentius exploratum habeat Hyppolitum sub pietatis tegumento pravos velare mores, nequit illum ceu hypocritam et lupum traducere quin grave eius famae detrimentum afferat. Expedit quidem

(1) La Croix, l. III, p. II, 1194; Sporer, tr. V, c. IV, 56; S. Alphonsus, III, 967; Gousset, I, 1082.

(2) *Exod.* XXII, 28.

(3) Lambertini, *Casus,* mense iunii, an. mdccxxxii; Reiffenstuel, tract. IX, dist. VI, 5, addit. I; La Croix, 1202.

nonnunquam publico bono ut hypocritae detegantur ne ceteris noceant (quod et Iesus non semel praestitit Pharisaeorum hypocrisim revelans); christianae etiam reipublicae magni interest ne sub ovina pelle in Christi ovile lupi se intrudant; verum plerumque satis est pastores monere ut malum caveant, quin sit necesse delinquentis crimina in vulgus proferre (1).

Dicere militem gallico laborare morbo probrosum est et bonae famae noxium: quum enim venerea lues ut plurimum ex libidinosa vita contrahatur, nisi simul dicas morbum casu fuisse innocenter contractum, libidinosae vitae suspicionem ingeres (2). Adhuc probrosius et bonae noxium famae est dicere militem concubinam fovere; nam, etsi plures milites id consuetum habeant, plures etiam sunt qui ab hoc vitio abhorrentes se intaminatos servant; quapropter sine gravi famae laesione hoc dici non posse putamus (3). Vides quid de Terentio sentiendum.

LXV.

Fabricius haec confessario suo peccata manifestat: «Obtrectatoribus saepe facilem aurem praebui, modo ex curiositate, modo ex verecundia; tum audita aliis retuli, non ea confirmando sed quasi accepta referendo».

Quaeritur I°. An et quatenus peccent detractionem audientes?

Q. II°. An et quatenus eam repetentes?

Q. III°. Quid de Fabricio iudicandum?

Quaestionum solutio.

238. — Resp. ad I Q. I°. Qui detractionem fovet, obtrectantem laudando, approbando, excitando, contra iustitiam graviter delinquit tanquam palpo et particeps; immo, quatenus ad detrahendum instigat, gravius ipso detractore peccare potest. Ad rem S. Bernardus: *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim* (4). Peccat etiam contra caritatem in obtrectatorem, quem ad malum inducit (5).

(1) Lehmkuhl, I, 1425.

(2) La Croix, 1203; Reiffenstuel, l. c.; Bonacina, *De restitut. in partic.* disp. II, q. IV, p. II, 9.

(3) Qua in re a sententia discedimus illorum theologorum, qui militum conditionem parum honorabilem habentes, affirmant non gravem militi irrogari iniuriam, si dicatur eum concubinum esse. Ita Sporer, 58; Busembaum (apud S. Alphonsum, 967); D'Annibale, II, 262, nota 28, et alii.

(4) *De consideratione*, l. II, c. XIII.

(5) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. LXXIII, a. IV; Navarrus, c. XVIII, 37; Clericatus, *Erotemata*, c. CIV, n. 22; Reiffenstuel, tr. IX, dist. VI, 16-19; Sporer, tr. V, c. IV, 104-109; Bonacina, *De restit. in partic.* disp. II, q. IV, p. VII; S. Alphonsus, III, 980, 981; Sebastiani, *Summarium*, 344.

II°. Qui de obrectatione secum gaudet, etsi eam nullatenus fovet, in caritatem offendit: graviter quidem si ex odio gaudeat, leviter si ex curiositate tantum, neque gravi obligatione teneatur detractionem impediendi (1).

III°. Qui neque fovet detractionem, neque de ea delectationem capit, sed nullam dat operam detractioni impediendae, plerumque contra caritatem delinquit, et quandoque contra iustitiam: contra *caritatem*, qua iubemur cum detrahentis tum eius de cuius fama detrahitur bonum curare, malum removere; contra *iustitiam* erga detrahentem, si forte ratione muneris illum ex iustitia corripere debeat (quod onus Episcopis et parochis S. Alphonsus incumbere probabilius existimat) et etiam erga infamatum, si de eo agitur qui in temporalibus praeest, quemque ratione muneris obligatio tenet subditorum famam tuendi (2). Diximus *plerumque* peccari contra caritatem, nam si monitio sine gravi incommodo fieri nequeat, item si prorsus inutilis vel noxia praevideatur, caritas desinit obligare (3). Ceterum non est necesse ut monitio semper fiat detractori resistendo aut eum redarguendo, sufficit enim saepe sermonem aliorsum divertere, aut animi aegritudinem per tristitiam vultus, immo et per silentium ostendere, nam *ventus aquilo dissipat pluvias et facies tristis linguam detrahentem* (4). Hinc communissime cum S. Thoma docent: *Si non placet ei* (audienti) *peccatum, sed ex timore vel ex negligentia vel etiam ex verecundia quadam omittit repellere detrahentem, peccat quidem sed multo minus quam detrahens et plerumque venialiter* (5).

239. — Resp. ad II Q. Qui gravia alterius crimina tanquam ab aliis audita refert, mortaliter peccat contra caritatem et iustitiam perinde ac detractor, si ita ea narret ut audientes ad credendum inducat, sive crimen quasi certum vel a fide digno acceptum perhibeat, sive de tali crimine agatur cuius narratio vix unquam gravem in audientium animos suspicionem non inserit: quippe manifestum est, haec referentem alienae famae obtrectatorem existere. Qui vero audita refert quin ullam iis fidem conciliet, immo tanquam non credibilia vel ab homine accepta qui nullam meretur fidem, ratus audientes non credituros, is profecto neque contra iustitiam peccat, neque contra caritatem, saltem mortaliter peccare dicendus est (6). Quod si noverit audientes ex levitate, aut ex malo animo fidem suis dictis esse adhibituros, graviter contra caritatem peccat praebens eis occasionem

(1) S. Thomas, ceterique modo citati.
(2) S. Alphonsus, 980 et 360; Sporer, 107; Gousset, I, 1076; Lehmkuhl, I, 1428.
(3) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. XXXIII, a. II, ad 3^{um}; S. Alphonsus, 981 etc.
(4) *Prov.* XXV, 23.
(5) II^{a} II^{ae}, q. CXXIII, a. IV.
(6) Navarrus, 36; Sporer, 62; Reiffenstuel, 13-15; S. Alphonsus, 978.

graviter peccandi, immo probabiliter peccat et contra iustitiam, quippe qui voluntarie alienae famae damnificus fit (1). *Probabiliter*, inquimus, sunt enim qui iniustitiam abesse putant, audientium levitati aut malae eorum voluntati famae detrimentum tanquam causae tribuentes (2).

240. — Resp. ad III Q. Interrogandus Fabricius primum an detractioni consenserit, vel detractorem foverit, aut non impedierit cum posset: dein an audita referens firmaverit, vel quoquomodo fidem iis adstruxerit. Ex Fabricii responsis nihil erit negotii confessario iudicare, an et quatenus in caritatem vel iustitiam ipse peccaverit.

LXVI.

Fabiola, cum ab Eusebii famulatu discesserit, ut Placidam ab eius famulatu suscipiendo averteret, ait illum asperum virum ac perdifficilem herum esse; cum autem haec dicendo parum proficeret, subdit eum perditis esse moribus atque ancillis periculosum quam qui maxime.

Alias, cum rescisset Marthan sponsalia cum Petronio contraxisse, monet eam Petronium iracundum esse ac vino devotum, proindeque rixosum: hinc fit ut Martha a nuptiis ineundis se retrahat.

Alias, Lucillae pauperis famam dente carpens maledico, autrix est ut Possidonius stipem illi deneget quam antea copiose largiebatur. Facti dolens Fabiola detractionem revocat, verum Possidonius a stipe Lucillae largienda deinceps se sustinet.

Quaeritur I°. An qui detrahendo de alterius fama illum ab aliquo bono consequendo impediunt, damna reficere debeant?

Q. II°. An obligatio haec etiam a restituta fama permaneat?

Q. III°. Quid de Fabiola in singulis factis expositis?

Q. IV°. An laesam alterius famam reficere non valens, debeat eam pecunia aliave ratione pensare?

Quaestionum solutio.

241. — Resp. ad I Q. Qui iniuste cuipiam impedimentum infert quominus bonum aliquod consequatur quod licite consequi valet, profecto sarcire damnum debet cuius est causa. Hinc qui mendacio, calumnia, detractione iniusta impedimento fuit ne quis bonum aliquod obtineret, damnum reficere debet pro rata spei illud obtinendi. *Pro rata spei*, nam boni in re possessi ac boni sperati par pretium non est; propterea arbitrio prudentium damnum aestimare oportet (3). Ut autem detractor obligatione restituendi teneatur, detractio iniusta esse debet,

(1) La Croix, l. III, p. II, 1207.

(2) S. Alphonsus et Sporer, ll. cc.; D'Annibale, II, 262, nota 27.

(3) S. Thomas, IIª IIªᵉ, q. LXII, a. II, ad 4ᵘᵐ; Bonacina, *De restitut. in partic.* disp. II, q. IV, p. XVI; Lugo, *De iustitia*, disp. XVIII, 90; S. Alphonsus, III, 584, 587; Carrière, *De iustitia*, 726 et seq.

nam quandoque licet (ut vidimus n. 233) occultum cuiuspiam crimen patefacere, sive ad reipublicae, sive ad nostrum, sive ad ceterorum damnum cavendum; quibus in eventibus abest a detractione iniustitia.

242. — Resp. ad II Q. Si fama laesa ita fuit instaurata ut detractionis influxus penitus sublatus fuerit (veluti si obtrectator se mendacem aut calumniosum fuisse aperte fassus sit), omnis reficiendi damna obligatio extinguitur: etenim, causae efficacia sublata, damna si qua obveniant, audientium malitiae dumtaxat sunt reputanda. Secus si fama non fuerit in integrum restituta, vel damna ante revocatam detractionem obtigerint, quippe detractor horum extitit causa.

243. — Resp. ad III Q. Si Eusebius vere pravis moribus et ancillis periculosus erat, non peccavit Fabiola, nam caritatis erat illum detegere Placidae ne grave animae damnum incideret. Multo minus peccavit dicens Eusebium asperum ac perdifficilem herum, quae naturae vitia sunt ac vix unquam inficere famam censentur. Neque peccavit de Petronii vitio Marthae commonefaciens, modo dixerit verum; cavit enim ne eius nuptiae lugendum exitum sortirentur (1). Contra, si falsa lingua in Eusebium et Petronium Fabiola locuta est, graviter contra iustitiam deliquit; propterea tum famam instaurare, tum damna ex calumniis orta reficere necesse habet. Quod demum, Lucillam pauperem maledico dente carpens, autrix fuit ut a Possidonio consueta stips ei denegaretur, sive falsum affirmaverit, sive iniuste et sine causa verum panderit, debet in primis detractionem revocare, hoc est famam restituere, dein pensare damna quae, manente detractionis influxu, in Lucillam proveniunt: haec tamen damna pro spe quae Lucillae affulgebat stipis accipiendae metiri oportet (2).

243*bis*. — Resp. ad IV Q. An male oneratam alterius famam reficere non valentem obligatio teneat seu numerata pecunia, seu alia re pretio aestimabili, iniuriam damnumque illatum sarciendi, in quaestionem venit (3). Probabilis oppido communiorque sententia est quae eum omni restitutionis vinculo exemptum facit, quia iustitia commutativa postulat ut aequalitas laesa perfecte restauretur, illud nempe reddatur quod ablatum iniuste fuit, non aliud (4). Verum contraria

(1) Gousset, I, 1070; Génicot, I, 421.

(2) Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxiv, mense septembris.

(3) Quaestio haec sic latius institui posset: an damnum iniustum quod in sua specie sarciri nequit, per bona alterius speciei seu inferioris ordinis sit reparandum.

(4) Lugo, disp. XI, 5; Reginaldus, *Praxis*, l. X, 318; Laymann, l. III, tr. III, p. II, c. VII, 4; Sporer, tr. V *In VIII praec. Decal.* c. IV, 127-130; Lessius, *De iustitia*, sect. I, c. XI, dub. XVI; Illsung, tr. IV, disp. III, q. VI, a. I; Bonacina, *De restit.* disp. II, q. ult., sect, II, p. I, 10; La Croix, l. III, p. II, 299 et seq.; S. Alphonsus, III, 627, 1000; D'Annibale, II, 227; Lehmkuhl, I, 912; Piscetta; tr. *De iniuriis*, 274; Cerato, *De iustitia*, 182; Ferreres, *Epitome*, 306, 392; Sebastiani, *Summarium*, 320; Génicot, 560.

sententia nobis magis probatur, quam, duce S. Thoma, multi gravissimique theologi professi sunt et plures prioris sententiae patroni probabilem et aequitati consonam agnoscunt (1). Sane, etsi famae laesio quavis pecuniae vi sarciri perfecte non possit, nam *melius est nomen bonum quam divitiae multae* (2), attamen, si quando ad animi moerorem leniendum quo quis ob famae laesionem fuit affectus, damnumque minus aegre tolerandum quod pertulit, pecunia aliudve inferioris ordinis bonum conferre potest, iustitia id postulare videtur ut hac ratione violati iuris reparatio fiat: hinc eiusmodi reparatio a iudice infligi solet. Equidem hac ratione aequalitas omnimoda, seu perfecta violati iuris instauratio, obtineri nequit; verum ex eo quod quis integrae satisfactioni praestandae impar est, perperam inferes posse illum eam recusare quam praestare valet: quippe instar axiomatis est: *Qui restituere non potest quantum debet, restituere debet quantum potest.* Diximus *si quando conferre potest* etc. quia homo dives ac nobilis eiusmodi satisfactionem saepenumero non haberet acceptam, immo fortasse tanquam sibi indignam respueret: in quo eventu palam est eam non esse praestandam. Quae autem quantaque pecuniae vis sit tribuenda, difficile est definire; etenim cum laedentis tum laesi conditio, ceteraque rerum adiuncta inspiciantur oportet, propterea probi viri atque prudentis iudicium expetendum est; *secundum arbitrium boni viri,* ut verbis utamur S. Thomae, *recompensatio fiat.*

LXVII.

Augustinus, vir suspiciosus, firmiter iudicat Plautillam uxorem suam sibi infidelem esse, quia hospitibus facilem et comem se praebere solet. Praeterea videns Tulliolum filium prae ceteris matri carum,

(1) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXII, a. II, ad 1^{um} et 2^{um}; *Summa sylvestrina*, v. *Restitutio*, III, 2; Natalis Alexander, l. III, *De peccatis*, c. IX, a. V, Regula XXVIII; Billuart, disp. X, a. XV, § I; Antoine, *De iustitia*, p. II, c. VI, q. VI, et p. III, c. V, q. XVIII: Bouvier, *De iure*, p. III, q. II, a. I et q. IV, prop. I; *Compend. Salmant.*, tr. XXI, 109; Pramaggiore, *De restit.*, p. II, c. II, a. I; Carrière, *De iust.* 1273: Rosmini, *Diritto*, I, 1967-68; Tanquerey, *De iustitia*, 565. Probabilem hanc sententiam agnoscunt La Croix, Sporer, Bonacina, S. Alphonsus, D'Annibale, Piscetta (ll. cc.). In hanc sententiam illi quoque videntur concedere qui laesam defuncti famam reficere non valentem ad eam sarciendam adigunt per suffragiorum ac spiritualium bonorum exhibitionem. Ita Bonacina et Rebellius apud Voit, I, 975. Lessius quoque (l. c.) *satis probabilem* eam appellat; et homini aere alieno gravato, ad damnum famae sarciendum quod sibi intulit creditor et sarcire recusat, fas esse putat pecuniam illi debitam non solvere.

(2) *Prov.* XXII, 1; et Génicot (l. c.) aequitati naturali *prorsus* consonum retur, ut qui nisi per bona alterius ordinis restituere nequit, ad hanc restitutionem faciendam per iudicis sententiam damnetur.

vultu autem ingenioque fratribus valde dissimilem, vehementer suspicatur adulterinum esse. Ad haec, cum de Plautillae tum de Tullioli ac famulorum honestate dubitans, quidquid domi pretiosum est sub clave custodit.

Quaeritur I°. Quid discriminis inter iudicium, suspicionem et dubium temeraria, et an iis iustitia laedatur?

Q. II°. Quando per haec graviter peccatur?

Q. III°. Quid de Augustino sentiendum?

Quaestionum solutio.

244. — Resp. ad I Q. De cuiuspiam pravitate iudicare, suspicari, dubitare possumus. *Iudicium* est firmus mentis assensus. *Suspicio* est quasi inchoatum iudicium, nempe assensus imperfectus cum haesitatione ac formidine errandi: haec gravis est vel levis, quatenus magis vel minus ad iudicium accedit. *Dubium* est fluctuatio mentis veluti in ancipiti positae: quae si ad assentiendum inclinat, dubium *positivum* dicitur, sin vero in suspenso manet, scilicet ab omni vel inchoato iudicio se sustinet, *negativum* vocatur.

Iudicium, suspicio et dubium de alterius pravitate, si prudenter fiant hoc est sufficientibus indiciis tanquam fundamento nitantur, omni culpa vacant; si vero fiant temere, nempe nullo vel infirmo indiciorum fundamento sint innixa, *temeraria* vocantur et non caritatem tantum sed et iustitiam offendunt, quilibet enim ius habet ne sine causa improbus aestimetur. *Ex hoc ipso* (ait S. Thomas de suspicione loquens) *quod aliquis malam opinionem habet de alio sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, et ideo iniuriatur ei* (1). Et quia maius est iudicare quam suspicari, et suspicari quam dubitare, propterea ut temeritas adsit, maiora ad iudicandum sine temeritate requiruntur indicia quam ad suspicandum, maiora ad suspicandum quam ad dubitandum.

245. — Resp. ad II Q. Iudicium temerarium de re gravi, levibus innixum indiciis, peccatum esse ex genere suo mortale convenit apud

(1) II^{a} II^{ae}, q. LX, a. III, ad 2^{um}; Clericatus, *Erotemata*, c. CVI, n. 5; S. Alphonsus, III, 962; Rosmini, *Coscienza*, 618 et *Epistolario ascetico*, vol. III, lett. 1217. Alibi tamen Rosminius negare videtur actibus interioribus, qui nempe in animo consummantur, ius alterius violari (*Diritto*, I; *Natura del diritto*, c. IV, a. I, § 6). Id fortasse eo sensu est accipiendum, quod ex solo actu interiori, damno iniusto deficiente, nulla oriatur exhibendae reparationis obligatio. Quo sensu et Angelicus Doctor locutus fuisse videtur qui ait: *Quia iniustitia est circa exteriores, tunc iudicium suspiciosum directe ad iniustitiam pertinet, quando ad actum exteriorem procedit* (ibi ad 3^{um}). In quem locum Caietanus subdit: *Eiusdem rationis est iniuria temerarii iudicii intus et extra, quamvis non sit aequale nocumentum.*

omnes: est enim quaedam calumnia, licet animo retenta, qua alterius nomen graviter oneratur (1). Suspicio temeraria plerumque veniale peccatum est, quia etsi bonae aestimationi plus minus officiat, eam tamen non aufert: excipe si malum de quo quis suspicatur ex gravioribus sit et indicia levia. Item dubium temerarium plerumque veniale peccatum non excedit: excipe si malum de quo dubitatur gravissimum sit, levissima vero indicia (2). De positivo dubio loquimur; negativum enim, cum non sit nisi iudicii suspensio, omni vacat culpa (3). Ceterum contingere potest ut et iudicium temerarium a gravi peccato excusetur quum iudicans non animadvertit grave esse malum de quo iudicat, aut levia nec sufficientia indicia mali (4).

246. — Resp. ad III Q. Augustinus (nisi forte ex indole suspiciosa inconsiderate ac sine plena deliberatione agat), graviter peccare dicendus est, quia inepte prorsus ac sine probabili indicio uxorem infidelem iudicat eamque ex adulterio prolem suscepisse suspicatur. Quod vero de suorum honestate dubitans pretiosa recondat, videndum an dubio positivo vel negativo ad id praestandum moveatur: et si quidem positivo dubio, potest graviter, vel leviter, vel nullatenus peccare pro natura indiciorum quibus dubium innititur; si autem dubio negativo, nullatenus peccat, quippe, tali dubio manente, animus in suspenso stat quin in alterutram partem inclinet, ac per eiusmodi dubitationem nemini irrogatur iniuria.

(1) S. Thomas, q. cit.; Navarrus, *Enchir.* c. XVIII, 9; Reiffenstuel, tr. IX, dist. VI, 62; Sporer, tr. V, c. IV, 26; La Croix, l. III, p. II, 1178; *Compendium Salm.* tr. XXI, 86; Alasia, *De Decal.* diss. VIII, a. II, 2; S. Alphonsus, III, 962; Gousset, I, 1057; D'Annibale, II, 265; Tanquerey, *De iustitia*, 367; Costantini, 495; Sebastiani, *Summarium*, 343; Bucceroni, *De octavo Decalogi praecepto*, I, 1481; Ferreres, *Epitome*, 311; Génicot, I, 426; Lehmkuhl, I, 1429. Vide etiam Rodriguez, *Esercizio di perfezione*, p. I, tr. IV, c. XV. Communi sententiae contraire videntur e recentioribus pauculi qui, excluso odio aliove affectu graviter malo, contendunt *vix contingere posse* ut iudicium temerarium sit mortale peccatum: quasi gravitas peccati non ex intrinseca temerarii iudicii pravitate, sed ex pravo affectu iudicantis sumenda esset, aut gravis iniuria sine odio iudicantis consistere non posset, propterea *ex accidenti* magis quam ex natura sua iudicium temerarium pravitatem hauriret. Piscetta, tr. *De iniuriis*, 287, cui consentit Zaninetti, 1518.

(2) S. Thomas, l. c.; Reiffenstuel, 64, 65; Sporer, 31-34; La Croix, 1177; *Compendium Salm.* 93, 94; S. Alphonsus, 963, 964; D'Annibale et Lehmkuhl, ll. cc.; Génicot, 427.

(3) Sporer, 35; Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Iudicium temerarium*, 16.

(4) S. Alphonsus, 962.

IN TRACTATUM
DE PRAECEPTIS ECCLESIAE (1)

LXVIII.

Iulius die ieiunii modo bellaria sumit ad clarificandam vocem, modo electuaria ad humectandas fauces: etenim (ait ipse) medicinae magis quam cibi rationem habent. Interdum et potiunculas sumit ex peponum succu, vel ex arabica faba (vulgo *caffè*), vel ex chocolate confectas, *nam liquida non frangunt:* hisce autem potionibus aliquid solidi consociat, ut puta frustulum panis, nuces aliquot, pastillum bis coctum (vulgo *biscottino*), *ne potus noceat.* In vespertina coenula pulmentum conficit ex octo panis unciis, butyro, sale et aqua, ratus valetudini iuxta ac conscientiae sic belle consuli posse.

Fortunatus, cum ieiunii immemor prandium mane fecisset, coenulam sub meridie sumpsit; at vespere, stimulo famis exagitatus, coenulam iteravit. Alias cum ieiunii inscius binam refectionem sumpsisset, tertiam prudens scitus sumpsit, illo theologorum fretus: *Semel fractum, semper fractum.*

Quaeritur I°. In quo ieiunii essentia constituenda est?

Q. II°. Quaenam ciborum qualitas et quantitas a ieiunantibus sumi potest?

Q. III°. An et quatenus Iulius et Fortunatus in ieiunii legem peccaverint?

Quaestionum solutio.

247. — Resp. ad I Q. De ieiunio acturis praestat haec duo nobis ante oculos ponere: I°. ieiunii legem, partim ex indulgentia Ecclesiae, partim ex indulgentia theologorum, longe mitiorem hodie esse quam anteactis saeculis; II°. in quaestionibus de ieiunio consuetudines maxime inspiciendas esse, quae pro locorum ac temporum varietate Ecclesiae legem moderantur atque interpretantur.

Ieiunium ab Ecclesia praeceptum in refectione semel in die, cum ciborum delectu atque statuto tempore sumenda, positum est. Et I°. quidem refectio unica intra diei spatium sit oportet: quod patet ex perpetua Ecclesiae consuetudine et ex communi doctorum sententia, et S. Officii decreto firmatur, in quo ieiunii praeceptum *lex unicae per diem refectionis* appellatur, et hoc *Codicis Pontificii iuris* canone tra-

(1) De praecepto audiendi Missam, alibi diximus; de praeceptis annuae confessionis et de librorum prohibitione dicetur in tractatibus *De Poenitentia* et *De Censuris.*

ditur: *Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat, sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum qualitatem et quantitatem probata locorum consuetudine* (1). Hinc qui plus quam semel prandet in die ieiunii, ita ieiunium solvit ut nequeat amplius illud servare; quod significari solet adagio: *Semel fractum, semper fractum* (2). Refectio continua esse debet neque diutius producta: nam comestionem geminare videtur qui eam interrumpit et post notabilem intercapedinem resumit; et qui ad plures horas prandium producit, pluries prandere censetur. Interruptio quae horae quadrantem non excedit, vel parum excedit, brevis putatur, etiamsi quis, replicata mappula, e mensa recesserit animo ad eam non revertendi, quippe *ex facto* non *ex animo* comedentis refectionis unitas aestimanda est. Si vero adsit honesta causa e mensa recedendi, verbi gratia ad negotium superventum expediendum, ad extrema Sacramenta aegroto ministranda, unius vel plurium horarum spatio unica refectio non censetur interrupta, quae per resumptionem absolvitur: certe mens Ecclesiae non est ut semipransus abeat, qui operi bono et necessario operam dedit (3). Ad refectionis durationem quod spectat, ad duas horas produci posse plerique arbitrantur: quod autem quidam asseruerunt, apud Germanos id moris esse ut ad quatuor vel quinque horas refectio trahatur, laxissimum est ac reiiciendum (4). II°. De ciborum delectu, nempe de cibis in unica refectione permissis, mox dicemus proximae quaestioni satisfaciendo. III°. Refectio statuto tempore sumenda est. Prioribus Ecclesiae saeculis fas non erat ante solis occasum quadragesimale ieiunium frangere, cetera vero ieiunia ante horam nonam, quae est tertia post meridiem: hinc *coenae* nomine unica refectio appellari consuevit. Tum, senescente mundo et frigescente charitate, hora coenae anticipari coepit, iamque a saeculo XII, teste S. Thoma, circa nonam horam sumebatur (5); dein paulatim a saeculo XIV mos obtinuit (hodieque obtinet) ut circa meridiem sumeretur (6). Cumque monachi sub vesperum convenire solerent sive ad orandum sive ad colloquendum de divinis, primum potiuncula, dein (ne potus noceret) frustillo panis aliove modico cibo

(1) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. CXLVII, a. VI; Navarrus, *Enchir.* c. XXI, 15; Reiffenstuel, tr. X, dist. V, 11; Sporer, *De ieiunio*, 12; Bonacina, *De praecept. Ecclesiae*, q. I, p. III, 8; Voit, I, 993; S. Alphonsus, III, 1004; Decretum *Frequentes pluribus* S. Officii, 5 sept. 1906; *Codex iuris canonici*, can. 1251, § 1.

(2) Caietanus in II^{a} II^{ae}, q. CXLVII, a. VIII; Navarrus, l. c.; Reiffenstuel, 20-22; Sporer, 18; S. Alphonsus, 1030; D'Annibale, III, 135; Sebastiani, *Summarium*, 357; Génicot, I, 441; Ferreres, *Epitome*, 327.

(3) S. Alphonsus, 1020, ceterique communiter.

(4) Clericatus, *Erotemata*, c. CX, n. 18; La Croix, l. III, p. II, 1283; S. Alphonsus, 1020; Ferreres, *Epitome*, 328.

(5) II^{a} II^{ae}, q. CXLVII, a. VIII; Génicot, I, 485.

(6) S. Alphonsus, 1016.

vires reficere coeperunt: hinc, Ecclesia tacite consentiente, consuetudo invaluit vespertinae refectiunculae seu coenulae, quam et *collatiunculam* appellarunt, quia monachorum in unum convenientium colloquia *collationes* vocabantur. Hac ergo aetate nostra refectio circa meridiem sumenda est: ita tamen ut paulisper eam anticipare (non ultra horam) culpa vacet, longiorque anticipatio fieri possit extante causa, nam satis ieiunii essentia servatur, quae in unica refectione sita est (1). Immo, vi consuetudinis ferme ubique receptae, integrum est hodie refectionis ordinem invertere, nempe coenulam infra decimam vel undecimam horam matutinam ponere, coenam vero seu prandium ad quartam vel quintam post meridiem differre (2). Consuetudinem *Codex pontificii iuris* hisce verbis confirmat: *Non vetitum est serotinam refectionem cum prandio permutare* (3).

248. - Resp. ad II Q. Perspicuitatis ergo singillatim dicemus de qualitate et quantitate ciborum quos sumere licet sive in refectione magna, sive in refectiuncula, sive per diem, hoc est extra refectiones consuetas.

I°. Ad qualitatem quod attinet ciborum quibus in unica refectione vesci licet, disciplinae usque adhuc in Ecclesia vigenti nonnihil mutationis *Iuris pontificii Codex* attulit. Quapropter abs re non erit in primis ea memorare quae ante dicti *Codicis* editionem universim servabantur.

1°. Cibi in unica refectione interdicti (citra indultum, dispensationem vel probatam consuetudinem) erant *carnes animalium in terra nascentium et respirantium et quae ab eis procedunt, sicut lacticinia ex gressilibus et ova ex avibus*: ita Angelicus Doctor (4). Ad carnes revocantur sanguis, lardum, adeps, ius, succus e carnibus expressus. Esuriales autem cibi (nempe esurialibus feriis permissi) sunt omnes terrae fructus, olera, legumina, herba, poma, etc., pisces omne genus, seu fluviales, seu marini, quibus accensentur animalia quae piscibus assimilantur, veluti ranae, limaces, cochleae, ostreae, canceri, testudines. Paucis: animalia autotermata, seu sanguis calidi (cuiusmodi sunt mammifera), diebus esurialibus vetantur; eterotermata, seu sanguis frigidi, permittuntur (5). Dubio autem de aliquo amphibio manente, licet illud solvere physicorum iudicio, vel locorum consuetudine, vel inspecta ipsius animantis structura, utri propius accedat, pisci nempe aut carni (6). Ad ova et lacticinia quod attinet, iure communi

(1) S. Alphonsus, l. c.

(2) D'Annibale, 134; Tanquerey, *De praeceptis Dei et Ecclesiae*, 1114, ex responso S. Poenitentiariae, 10 ianuarii 1834.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 1251, § 2.

(4) II^{a} II^{ae}, q. cit., a. VIII. Génicot, 485.

(5) Sebastiani, *Summarium*, 354.

(6) S. Alphonsus, 1011; Benedictus, XIV, *De Synodo dioec.* l. XI, c. V, 12.

in quadragesimali tantum ieiunio, quod est solemnius, vetita erant (1); in ceteris iamdudum permissa, paucis diebus exceptis quae *stricti ieiunii* nuncupantur (2). Ad haec, carnium et piscium commixtio in eadem refectione semper vetita fuit, ne exceptis diebus dominicis quadragesimali tempore (3). Videamus nunc memorati *Codicis* statuta unicam refectionem respicientia: can. 1251 § 2: *Non vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere;* can. 1252 § 1: *Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis;* § 2: *Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae et feriis Quatuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini*; § 3: *Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus.* Ex his in primis planum fit, carnium et piscium in eadem refectione mixtionem posthac non prohiberi; dein fas esse etiam quadragesimali tempore ova, lacticinia et carnes in unica refectione sumere, paucis diebus quoad esum carnium exceptis; demum nullum stricti ieiunii diem deinceps exstare. (Cf. et canonem 1250, a nobis n. 98 relatum).

II°. De quantitate cibi in unica refectione sumendi nullum adest Ecclesiae praeceptum: quare cuique, pro naturae necessitate, plus minusve concedere licitum erit; et si forte temperantiae limites transiliet, finem quidem praecepti frustrabit qui est castigatio corporis, non autem in ieiunii legem offendet (4).

249. — II°. Refectiunculam, consuetudine inductam, consuetudo potissime moderatur. In ea nisi cibis esurialibus vesci non licet: propterea ius ex carne, ova et lacticinia prohibentur. Hodie tamen ex indulto fas est lardum, adipem, butyrum ad condimentum adhibere, quibusdam diebus exceptis (5).

Ad quantitatem cibi quod spectat, veterum theologorum sententiis dimissis, recentiores plerique S. Alphonso consentiunt, qui octo unciarum quantitatem nemini vult esse negandam; immo et decem unciarum ei indulgeri posse qui copiosiori indiget alimento (6). Recte tamen monet S. Doctor, de grandioribus piscibus ultra duas tresve uncias

(1) Vide prop. XXXII ab Alexandro VII damnatam.

(2) S. Alphonsus, 1009.

(3) Decretum *Frequentes pluribus.*

(4) S. Thomas in IV *Sent.* dist. XV, a. IV, q. III; Bonacina, *De praec. Ecclesiae,* q. I, p. II, 7; Sporer, 12; Reiffenstuel, 17; La Croix, 1283.

(5) Decretum *Frequentes pluribus.*

(6) S. Alphonsus, 1025. Unciae pondus ponderi viginti octo grammatum aequivalet, seu fere trigesimae sextae chilogrammatis parti. Ita Costantini, 269; Génicot (I, 437, nota) unciae pondus ad triginta et unum grammata producit, monetque in unciae pondere definiendo non omnes et ubique theologos convenire.

non esse sumendas: quippe, cum pisces valde nutriant, octo vel decem uncias comedens fere videtur coenulam in coenam convertere (1).

250. — III°. Extra dictas refectiones ea sunt per se vetita quae cibi rationem habent, non vero quae potus vel medicinae: nempe illa ad nutriendum, haec ad sitim restinguendam vel incommodum valetudini removendum pertinent, etsi forte et ad nutriendum conferunt. *Non intendit Ecclesia interdicere potum* (ita Aquinas), *qui magis sumitur ad alterationem corporis et digestionem ciborum sumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat* (2). Hinc licet vinum et cerevisiam sumere, potionem ex arabica faba, ex saccharo vel succu mali citrini (multum aqua diluto) et ex chocolate quae densa non sit: neque refert an potio liquida sit vel gelu concreta, nam gelu rei naturam non mutat (3). Ecligmata autem, quae et electuaria dicuntur (vulgo *conserve*), etsi liquida non sunt, si in parva quantitate ac per modum medicinae sumantur (v. c. ad vocem concionatoris vel musici roborandam, ad oris foetorem auferendum), ieiunium non frangunt (4). Audi Doctorem Angelicum: *Electuaria etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: unde non solvunt ieiunium sicut nec aliarum medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumit per modum cibi* (5).

Restat ut de quantitate cibi dicamus. Quaevis cibi quantitas, citra duas refectiones, per se vetita est. Quia tamen praeceptum hoc parvitatem materiae recipit, potest comedens ob materiae parvitatem leviter peccare, et etiam innoxius esse si quid comedat ex probata causa. In materiae gravitate pensanda non satis convenit. Plerique recentiores theologi in sententiam S. Alphonsi concedunt, qui, si de carnibus agitur, octavam unciae partem retur esse levem; duas vero uncias si de cibis esurialibus (6). Diximus ob probatam causam posse comedentem etiam a levi culpa excusari: v. c. si modicum quidquam edat per modum medicinae (ut de electuariis paulo ante dictum fuit); vel si indigens potu, frustulum panis, nucem, castaneam, amygdalam sumat, non ad voluptatem, sed ne noceat potus (7). Verum haec cum mica salis ac-

(1) S. Alphonsus, 1028, cui consentiunt Gury, I, 449; D'Annibale, 134; Constantini, 270; Ballerini-Palmieri, tr. *De ieiunio*, 54; Lehmkuhl, I, 1463, et contradicit ignoti nominis scriptor, *hodiernam praxim generalem* praetendens, quae ceteros fugit (apud Zaninetti, 1598).

(2) II^{a} II^{ae}, q. CXLVII, a. VII, ad 2^{um}.

(3) Sporer, 14-16; La Croix, 1289-1291; Viva, in prop. XXXII Alexandri VII, n. XX; Mansi, *Epitome*, v. *Ieiunium*; S. Alphonsus, 1022, 1023; Ferreres, *Epitome*, 327; Génicot, 439.

(4) S. Alphonsus, 1019 et ceteri.

(5) II^{a} II^{ae}, q. CXLVII, a. VI, ad 3^{um}.

(6) S. Alphonsus, 1029.

(7) *Summa Sylv.* v. *Ieiunium*; S. Alphonsus, 1018 ceterique.

cipienda sunt: quippe damnata fuit ab Alexandro VII haec propositio: *In die ieiunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.* Demum consuetudo obtinuit ut mane panis frustulum sumatur etiam cum aliqua potione ex saccharo, vel ex faba arabica, vel ex chocolate, modo pars nutriens duarum unciarum pondus non excedat: quod nonnulli (forte quia ex theologorum benignitate inductum) *bolum theologicum* appellant (1). Idque canone 1251, § 1 *Codicis pontificii iuris firmatur.*

251. — Resp. ad III Q. Quamvis bellaria (vulgo *confetture*), electuaria, peponum succus, chocolates, pastilli bis cocti ex ovis et butyro confecti vere cibi sint ieiunantibus interdicti, attamen si modice, non ob voluptatem, sed ex aliqua naturae necessitate, scilicet ad modum medicinae a Iulio sumantur, a peccato etiam levi liberum eum aestimabimus. Potiunculas ex faba arabica, ex peponum succu aqua valde diluto, ex chocolate non admodum densa fas est ei sumere, neque peccat paululum solidi cibi potiunculae sociando, dumne ad gulae irritamentum hoc faciat, sed ne noceat haustus. An liceat in coenula ex octo panis, farinae vel orizae unciis cum aqua, butyro et sale pulmentum conficere, multi negant, dicentes ex cibis simul coctis et fermentatis unum quid fieri, propterea in octo unciis ponderandis ea omnia computanda esse ex quibus novum ferculum coalescit (2). Alii tamen contradicunt et merito; quamvis enim per mixturam et coctionem esculenta massa concrescat, vis tamen nutriendi in pulmento non crescit; addunt consuetudine hoc firmari (3). Quare Iulium ex hoc capite damnare non audemus.

Fortunato licuit comedendi ordinem invertere: quippe ieiunii essentiam non violavit. Non tamen ei licuit iterare coenulam, quae semel tantum permittitur; potuit ad summum aliquid cibi capere ad sedandam famen forte nimis molestam (4). Illud *semel fractum, semper fractum,* sunt qui de ieiunio quod quis sciens fregit accipiendum esse contendunt, non vero de ieiunio ex errore vel inscientia fracto, quia materialiter non formaliter fractum fuit (5). Contraria tamen sententia

(1) Tanquerey, 1116; Lehmkuhl, 1461 ceterique hodierni communiter.

(2) S. Alphonsus, 1029; Lehmkuhl, 1462.

(3) Sporer, 32; Diana, Bonacina aliique apud S. Alphonsum, 1029; Génicot, Capellmann apud Zaninetti, 1597; Sebastiani, 358. Bucceroni, mediam quodammodo iniens viam, quatuor vel quinque panis uncias (aqua et oleo non computatis) sumi posse contendit, quia esculenta massa ex mixtione concrescens, etsi magis non nutrit, magis tamen satiat (*De quinto et sexto Ecclesiae, praecepto,* II, 1599). Verum haec ratio parum vincit, nam cibi quantitatem ex eius nutriendi vi, non ex stomachi repletione et satietate metiri oportet.

(4) La Croix, 1284 (cum Diana et Tamburini); Gury, I, 496; Sebastiani, l. c.

(5) D'Annibale, Sebastiani, Ferreres, ll. cc.

ratione praestat et communis est, nam essentia ieiunii in unica refectione consistit, propterea post binam refectionem iam nequit ieiunium servari. Non ergo peccavit Fortunatus tertiam refectionem sumendo. Secus dicendum si pluries carnes comedisset, nam praeceptum a carnibus abstinendi negativum est, propterea toties frangitur quoties carnes manducantur (1).

IN TRACTATUM
DE IUSTITIA ET IURE

LXIX.

Maevius iuris doctor contendit, personas quas collectivas seu morales vocant (vulgo *persone morali, enti morali*) nisi civitatis seu Principum venia non consistere, indeque ius suum exteriora bona possidendi derivare. Ex qua doctrina quasi consequens colligit, ius existendi ac possidendi in Ecclesia Christi arbitrio Principum inesse, quibus integrum est eam bonis suis pro libito despoliare et impedire quominus alia quaevis deinceps acquirat.

Quaeritur I°. Quo iure generatim collectivae personae existant ac bona possideant?

Q. II°. Quo iure existat et possideat Ecclesia Christi?

Q. III°. An Maevii doctrinis catholicae religionis vir consentire possit?

Quaestionum solutio.

252. — Resp. ad I Q. Moralis seu collectiva persona est duorum vel plurium consociatio, ex qua coetus, congregatio, collegium conflantur; consociatione autem facta, consociati omnes fictione iuris unam personam iuridicam constituere consentur (2). Collectiva persona non a civitate aut Principum venia, sed ab ipso naturae iure vitam recipit et ius possidendi. Thesis haec illos scriptores impetit qui ut Christi Ecclesiam civitati manciparent, reipublicae et Principum iura

(1) Voit, I, 993; S. Alphonsus, *Homo apost.* tr. XII, 20.

(2) *Fictione iuris,* inquimus, nam dominii subiectum, si proprie loqui velimus, individuae seu singulares personae sunt, non entia fictitia; proinde iura quae collectivis personis tribuuntur, in personas singulares resolvantur oportet. (Videsis Rosmini, *Diritto,* Introduzione, V. et vol. I, 1650 et seq.). Hinc facile intelliges quo sensu collectivas personas iure naturae consistere affirmamus, nempe quatenus ius quo gaudent homines in societatem honestam coeundi non ab humana aliqua potestate proficisci, sed in ipsa eorum natura inesse dicendum est.

in immensum protulerunt, effutientes vitam iuraque omnia in collectivas personas a republica tanquam fonte esse derivanda. Quam doctrinam falsitatis arguere planum est.

253. — Et I° quidem, ad ius existendi quod attinet, thesim nostram tam indirecte quam directe conficimus. *Indirecte* primum. Domestica societas, nemine dubitante, persona collectiva est; attamen, quia natura et tempore civitatem praecedit, absurde prorsus ab hac illam progigni quispiam contenderet: perperam ergo omnes collectivae personae a civitate procreari dicuntur. Et civitas persona collectiva est; quapropter si omnis collectiva persona a civitate ius existendi mutuaretur, civitas vitam mutuaretur a semetipsa: sed hoc absonum est, ergo et illud (1). Hoc argumentum Leo XIII in Encyclica *Rerum novarum* ita est prosecutus: *Privatas societates inire concessum est homini iure naturae: est autem ad praesidium iuris constituta civitas, non ad interitum; eaque si civium coetus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat necesse est, propterea quod tam ipsa quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur: quod homines sunt natura congregabiles.*

Age dum *directe* thesim nostram vindicemus. Inest naturaliter in homine ius quod *libertatis relativae* philosophi appellant, ius nempe ea omnia praestandi quae in se sunt honesta neque ceterorum iuribus adversantur. At congregare se cum aliquo in societatem nihil aliud est quam libertatis relativae ius exercere. Ergo iure naturae, non ex cuiusquam venia, fas est hominibus societatem inter se inire, seu iure naturae personae collectivae existunt (2). Firmatur adhuc thesis nostra et explicatur magis. Ius illud homini naturaliter inditum dici debet quod est ei necessarium ut suis rationibus consulat finemque assequatur ad quem conditus fuit. Iamvero ita homines natura sunt comparati, ut vix aut ne vix quidem suis necessitatibus providere atque in bonis artibus, in doctrina, in virtute excolenda quidquam proficere valeant nisi consocientur, collatisque corporis et animi viribus absolutissimam illam agendi rationem ineant ad quam conditi sunt. Cum igitur naturae instinctu et necessitate homines ad se consociandos ferantur, dicendum ipsam naturam ius coeundi societatem cum ceteris homini indidisse, seu (quod idem sonat) iure naturae collectivas personas consistere (3). Vel ipsi ethnici docuerunt, natura duce homines

(1) Hoc usus est argumento ad Ecclesiae iura protuenda D'Ondes Regio, orator a legibus ferendis in Italico regno, vir doctrina ac probitate spectatissimus.

(2) Rosmini, *Diritto*, II, 431-438; Taparelli, *Saggio teorico di diritto naturale*, nn. 1471 et seq.; Ferrè, *Degli universali*, vol. IX, 1294-1299; Gastaldi, II, pag. 12-14; Pestalozza, *Compendium philosophiae*, Ethica, 304 et seq.

(3) Tanquerey, *De iustitia*, 183-187. Vide etiam Rosmini, *Compendio di Etica*, 464 et *La Società e il suo fine*, ubi plura invenies de religiosarum societatum iuribus diserte tradita.

inter se consociari. *In hoc debemus naturam ducem sequi* (ita Tullius), *communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum dando accipiendo tum artibus tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem* (1).

254. — Ius exteriora bona, nempe res, facultates, opes acquirendi ac possidendi, e iure existendi prono velut alveo in collectivas personas emanat: qui enim ad vitam ius habet, ad ea omnia sibi licite comparanda atque tuenda oportet ius habeat quibus vitam alere, augere, perficere valeat; eiusmodi autem sunt terrena bona, quum collectivae personae ex hominibus non ex spiritibus conflentur. Rursus: collectivae personae constant ex individuis personis una consociatis, quibus vi libertatis relativae qua pollent ius spectat acquirendi ac possidendi exteriora bona quae sibi sunt necessaria, cui iuri non valedicunt quum in societatem coeunt; quapropter sine manifesta iniuria nequeunt eo privari (2).

Concludamus: ius coalescendi in societatem aliquam ad finem honestum et bona sibi necessaria acquirendi atque tenendi, non a civitate aut Principum venia originem ducere, sed ab ipsa natura; propterea collectivae personae iure naturae existunt ac terrena bona acquirere possunt et possidere.

255. — Resp. ad II Q. Christi Ecclesia iure cum naturali tum divino positivo existere et possidere dicenda est.

I°. Iure naturali. Collectivas personas ad honestum finem conflatas ab ipsa natura ius vivendi ac possidendi mutuari modo vicimus. Atqui Christi Ecclesia, etsi solius rationis lumine eam inspicias, collectiva persona est ad finem omnium sanctissimum conflata, nempe ut homines ad virtutes omne genus instituat, ad Dei amorem incendat, ad aeternam beatitatem perducat: ergo iure naturae existit, obtinetque bona quaecumque sibi sunt necessaria.

Id ipsum lubet alio argumento firmare. Omnes homines cuiusdam divini boni (veritatis scilicet) per intellectum participes sunt: nam *lumen vultus divini* quod, teste Davide, *signatum est super nos* (3) nihil aliud est quam *participatio divini luminis, impressio quaedam veritatis primae* (4). Ex hac divinae veritatis communicatione naturalis quaedam exsurgit societas hominum inter se et cum Deo, quae spectari potest veluti rudimentum et initium illius societatis quam graeco vocabulo *teocraticen* vocant. Quod Tullius ipse persensit scribens: *Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine et in*

(1) *De officiis*, I, 7.
(2) Rosmini, *Diritto*, II, 446-449.
(3) *Psalm.* IV, 7.
(4) S. Thomas, I^a, q. XII, a. XI ad 3^um; q. LXXXIV, a. V, q. LXXXVIII, a. III, ad 1^um.

Deo, prima hominis cum Deo rationis societas (1). Haec societas tum nobilitate tum tempore civitate potior est, propterea non civitatis venia sed ipso naturae iure existit. Cum autem Iesus Christus Ecclesiam instituerit ut divinitatis suae nos participes faceret, rudem illam imperfectamque societatem ad sublimiorem amplitudinis gradum, ad supernaturalem videlicet ordinem evexit; attamen societas teocratica perfecta, idest Ecclesia, in iure naturae tanquam primaevo fundamento adhuc insistit; quamobrem nequit civitas eam sibi subiicere, facultatibus despoliare, suorumque munerum exercitium quoquomodo praepedire, quin sanctissima naturae iura pessumdet atque subvertat (2).

256. — II°. Etiam divino iure positivo Ecclesiam Christi existere diximus et possidere. Sane, si divinarum Literarum oraculis credere est, Christus non cuiusdam Principis venia sed suprema, divina scilicet, qua pollebat auctoritate Ecclesiam exstruxit. Apertissima quippe sunt eius verba: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes* (3); *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (4). Eapropter, cum Christus divina usus potestate Ecclesiam suam constituerit, iam iure positivo divino existere ea dicenda est. Praeterea, cum Ecclesia ceu perfecta societas a Christo fuerit instituta ut munere suo inter homines perpetuo fungeretur, cumque ad officii sui partes rite explendas terrenis opibus indigeat, sine quibus nec Dei cultui, neque ministris suis alendis, neque tenuioribus levandis, neque christiano nomini ad dissitas plagas proferendo satis esset consultum, perspicuum est Ecclesiam Christi una cum iure existendi ab auctore suo ius accepisse terrena bona acquirendi, obtinendi iisdemque fruendi (5).

Hactenus dicta auctoritate roborantur Pii IX Pontificis Maximi, qui iterum iterumque doctrinam execratus est quam modo evertere studuimus. Videsis prae ceteris XIX et XXIV *Syllabi* propositiones hisce verbis expressas: *Ecclesia non est vera perfectaque societas, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites intra quos eadem iura exercere queat; - Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi et possidendi.* Et in *Codice iuris canonici* Ecclesiae doctrina hisce verbis profertur: *Ecclesia catholica*

(1) *De legibus*, l. I, VII.

(2) Rosmini, *Diritto*, II, 632 et seq., 762 et seq.; *Compendio di Etica*, 467-469; *Questioni politico-religiose della giornata:* Ferrè, *La costituzione dogmatica « Pastor aeternus »*, 54 et seq.; Aichner, §§ 27, 28; Gastaldi, II, pag. 15; D'Annibale, I, 67, 68; Pestalozza, *Compendium philosophiae*, Ethica, 326. Boistel, *Cours de Philosophie du Droit*, tom. II, 446; Scotti, *Teoremi di politica cristiana*, p. IV, Teorema IV.

(3) Matth., XVIII, 18, 19.

(4) Ioann. XX, 21.

(5) Tanquerey, *De virtute iustitiae*, 196, 197.

et Apostolica Sedes nativum ius habent libere et independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos (1). Ex quibus omnibus satis superque demonstrasse putamus, ius existendi ac bona possidendi non a republica sed a naturali iure atque divino in Ecclesiam manare.

257. — Resp. ad III Q. Post haec palam est quid de Maevii placitis sentiendum. Quae quum in iis potissimum errent quae Christi Ecclesiam respiciunt, quumque Summus religionis Antistes universae rei christianae ab ipso Christo praefectus ea proscripserit, (etsi nulla censoria nota iisdem inusta), iam liquet ea prorsus esse reprobanda, et proinde catholicae professionis homini nefas esse eisdem assentiri.

LXX.

Crispus officinator librarius non renuit scriptorum opera semel prelo commissa denuo clam excudere et evulgare, ratus eiusmodi opera per ipsum evulgationis factum iuris communis fieri : namque quum scriptor opus suum evulgat, de iure suo concedere illudque in rempublicam transferre censetur.

Quaeritur I°. An scriptor quisque evulgati sui operis dominium retineat quod *ius proprietatis* appellant ?

Q. II°. An et quatenus, iure saltem civili, eiusmodi dominium scriptori competat ?

Q. III°. An civicarum legum scita de hoc genere ita hominem ligent ut nequeant sine iniustitia violari ?

Quaestionum solutio.

258. — Resp. ad I Q. Ante inventam guttembergicam artem quaestio haec vix institui poterat : hinc apud veteres theologos nec volam eius invenies nec vestigium ; immo et apud iurisconsultos saeculo XIX tantum coepit agitari. In hoc potissimum cardine versatur quaestio, an scriptor ita sui operis dominus sit, ut eo evulgato iam nemini liceat suo marte illud denuo excudere scriptore invito. *Eo evulgato*, inquimus, nam una omnium sententia est, scriptorem operis sui manuscripti, seu nondum editi, vere dominum esse, propterea licere nemini illud surripere ac typis mandare quin scriptori inferat iniuriam oppido sarciendam (2).

259. — Quaestioni nostrae variant responsa. Iuris doctores et theologi non contemnendi scriptoris dominium in opus suum typis editum

(1) *Codex iuris canonici*, can. 1495, § 1.

(2) Carrière, *De iustitia*, p. I, sect. I, 61 ; Gury, I, 567 ; Lehmkuhl, I, 1076 ; Tanquerey, *De iustitia*, 39 ; Sebastiani, *Summarium*, 272 ; Cerato, *De iustitia*, 33 ; Ferreres, *Epitome*, 363.

ex ipso iure naturae prodire contendunt. An vero dominium eiusmodi, iure naturae iuspecto, ab eo violetur qui evulgatum opus in aliam linguam transfert, non satis inter eos convenit (1). Haec ratiocinationis eorum summa. Ius scriptoris in opus suum manuscriptum vere et proprie dominium est: nam si cuiusvis rei fructus domino cedit (vi noti axiomatis: *Res fructificat domino*), multo plus ingenii, quo nihil magis proprium hominis est. Iamvero cum quodlibet dominium suapte natura sacrum sit et inviolabile, ius scriptoris perperam censeretur ab evulgato opere corruere: hinc locutio illa *proprietà letteraria* passim obtinuit invaluitque. Haec sententia tam firma non est ut multa ei obiici nequeant. Etenim si scriptoris dominium verum est atque ex iure naturae prodiens, perpetuum sit oportet: qua ergo ratione sese ab iniustitia purgabunt legumlatores qui illi dominio tempus praefiniunt? Ad hoc locutio *proprietà letteraria* amphibologiae inducendae nata videtur, quippe quae per metaphoram usurpatur; in metaphora autem argumentum superstruere periculosum est (2).

Hinc iurisperiti ac theologi nec numero nec doctrina sequiores in aliam abierunt sententiam quae nobis magis probatur. Hi doctrinam scripto traditam, seu libro contentam, a labore et studio distinctam volunt quibus liber confectus fuit. Doctrina per librum evulgata in publico fit: namque ea est natura boni intellectualis, idest veritatis, ut omnes eadem aeque frui et nemo illam sibi tanquam propriam vindicare possit. *Veritas*, ait Augustinus, *nec mea est nec illius aut huius, sed omnium nostrum* (3); veritas non teritur usu nec minuitur, quae autem usus non exhaurit (ut legisperiti aiunt) dominio cuiuspiam obnoxia fieri nequeunt. Quare integrum quidem est scriptori librum suum prelo committere vel minus; at si committat, omnes ob ipsam rei naturam ius acquirunt eodem fruendi etiam scriptore reluctante. Hinc opus quum imprimitur *publici iuris* fieri dicitur. Quia tamen labor operi conficiendo insumptus dignus est pretio, praeterea aequum est ut civis quisque bene de re publica meritus laboris sui pretium recipiat, iure sapienterque ferme ubique legibus civicis scitum fuit, ut scriptor unus per aliquot annos librum suum excudere valeat: quo facto ex altera parte cautum est ne scriptoris labor debita fraudaretur mercede, ex altera ne quid respublica detrimentum caperet.

(1) Frank, *Philosophie du Droit civil*; Carolus Comte, *Traité de la Propriété*; Molinari, *Dictionnaire d'économie politique*, art. *Propriété littéraire*; Ballerini ad Gury, I, 568; Tanquerey, 40; Lehmkuhl, 1076, 1077; Sebastiani, l. c.

(2) Scite et argute Alexander Manzoni: *Questa formola* **Proprietà Letteraria** *è nata non da un intuito dell'essenza della cosa, ma da una semplice analogia: è un traslato, che, come tutti i traslati, diventa un sofisma quando se ne vuol fare un argomento. (Lettera al prof. Girolamo Boccardo intorno a una questione di così detta proprietà letteraria,* § 1).

(3) *Confessionum*, l. XI, c. XXV.

Quod privilegium, ad amphibologiam vitandam, placuit nonnullis *ius auctoris* nuncupare (1).

Est et tertia sententia quae distinguit inter veritatem mente conceptam eiusque manifestationem, seu inter doctrinam intus reconditam et formam qua extrinsecus promitur; affirmans illam nullius dominio contineri, hanc e contrario veri ac proprie dicti dominii obiectum esse posse, quia exterior doctrinae forma fructus est ingenii ac laboris a scriptore ad eam concinnandam impensi (2). Hoc tamen argumentum elumbe nobis videtur: nam verba, sive voce sive scripto promantur, non sunt nisi doctrinae involucra, sine quibus ea prodire nequit; quocirca verba semel prolata, quaevis sit eorum forma, tam proferentis sunt quam excipientis.

260. — Resp. ad II Q. Non eadem apud omnes populos sunt hoc in genere legum iussa. Apud nos, lege lata die 26 iunii anno 1865, cautum est ut ius scriptoris quoad ipse vixerit maneat; ipso autem vita functo, ad haeredes transeat vigeatque ad quadragesimum annum ab edito primum opere, quibusdam conditionibus positis.

261. — Resp. ad III Q. Cum haec lex aequitati apprime sit consona et ad bonum publicum lata, iam patet eam esse ab omnibus religiose custodiendam. Namque nemo unus inficiaverit ad reipublicae moderatores potestatem pertinere legum ferendarum quibus sua merces labori civium atque industriae rependatur, disciplinae artesque bonae foveantur quae rempublicam in dies augeant, celebrent, illustrem faciant. Porro ex hisce legibus scriptorum ius manat, quod qui violaverit ab iniustitia vacuus non erit, gravique obligatione tenebitur illata scriptori damna reficiendi. Concludamus: ius quod *auctoris* vocant, terminis saltem per civicas leges definitis, sartum tectumque ab omnibus esse servandum, propterea Crispum in iustitiam peccare et restitutioni obnoxium esse (3).

(1) Ita prae ceteris Rénouard, *Journal des Économistes*, an. 1858, *Traité des droits d'auteur*; Hieronymus Boccardo, *Dizionario dell'Economia politica e del Commercio*, vol. IV, pag. 236 et seq., *Trattato teorico pratico di Economia politica*, vol. I, c. IV, *Appendice* (ubi testimonia proferuntur illustrium virorum, qui sunt Demolombe, Macaulay, Ferrara, Mamiani); Manzoni, *Lettera* etc. cit.; Gury, I, 568 et scriptores ephemeridum queis titulus *La Civiltà Cattolica*, sez. III, vol. XI, et XII; De Varceno, *De iustitia*, c. III, a. III § 4; Piscetta, III, tr. *De iustitia*, 33 cum Bucceroni, *De septimo Decalogi praecepto*, I, 876 et Appendix *De dominio auctorum*, ubi fusius docteque hanc quaestionem prosequitur; Vermeersch, *De iustitia*, 258. Rosminius in ipsa hominis natura ius proprietatis inniti contendit, vim tamen suam plenam non consequi nisi civicis legibus fulciatur ac firmetur, et cum scriptoris vita extingui. Vide *La Rivista rosminiana*, anno III, n. 3, *La proprietà letteraria* (frammento). Cf. etiam *Diritto*, I, 1676.

(2) Boistel, *Cours de Philosophie du Droit*, tom. I, 145, 146; Lehmkuhl, I, 1077.

(3) Gury, Sebastiani, Génicot, ll. cc.

LXXI.

Augustinus filiusfamilias, studiorum causa extra paternam domum in urbe degens, unciatim vivendo, identidem apud amicos coenando, libros ab eis in commodatum accipiendo, bonam pecuniae partem sibi a patre traditae pro victu ac libris comparandis servat et in arcam reponit. Ad hoc cum sexcentos argenteos a parte accepisset ut iis aliquot vini dolia emeret domum mittenda, pretio infimo industrius emit ea, biscentum argenteis servatis, quos in arcam suam laetus recondidit.

Anselmus filiusfamilias per annos plures patri suo mercaturam exercenti strenuam contulit operam, ob quam extraordinaria lucra patri provenerunt. Cum autem pater inopinato atque intestatus obiisset, Anselmus ratus aequum non esse ut ceteri fratres parem sibi ex asse paterno portionem vindicarent, certam pecuniae vim ex communi haereditate surripuit, quasi laboris sui pretium et mercedem.

Quaeritur I°. An filiifamilias rerum quas a parentibus accipiunt dominium habeant?

Q. II°. An per laborem extraordinarium parentibus praestitum ius ad aliquod lucrum acquirant?

Q. III°. Quid de Augustino et Anselmo sentiendum?

Quaestionum solutio.

262. — Resp. ad I Q. Filiosfamilias eos nuncupamus, qui patriae potestati adhuc sunt obnoxii. Hi rerum primo usu consumptibilium (v. c. pecuniae, ciborum) quas a parentibus acceperunt, absolutum dominium habent, quippe ideo eis datae fuerunt ut tanquam suis uterentur. Excipe si ad certum praestitumque finem pecunia data fuerit, puta ad libros, vestes, supellectilem comparandam. Contra rerum usu non consumptibilium, cuiusmodi sunt libri, vestes etc., filii non habent nisi dominium utile, nempe iis quidem uti possunt, non autem inconsultis parentibus vel invitis ea donare, vendere, commutare, destruere. Ceterum dantium mens inspicienda est (1).

263. — Resp. ad II Q. Quo planiori via ad quaestionem perdifficilem accedamus, quibusdam limitibus iuverit eam circumscribere. Et primo quidem de lucris non loquimur ordinario labore partis: filius enim familiae, quippe qui familiae pars est, eiusmodi laborem gratis insumere debet, tum ex obedientia parentibus debita, tum ad sumptus pensandos quos pater pro eo alendo atque instituendo sustinuit vel sustinet adhuc. Neque de lucris loquimur quae filius labore suo

(1) Bouvier, *De iure*, p. I, c. II, a. I, § II, sect. II, q. I; Rebaudengo, *De virtutibus cardin.* 82; Gury, I, 546; Tanquerey, *De iustitia*, 147; Ferreres, *Epitome*, 351; Génicot, I, 472.

atque industria separatim acquisivit, nam ipsa lege civili haec lucra tamquam adventitia filio adiudicantur (1); neque de iis loquimur quibus tacite vel expresse filius renunciavit, neque de iis quorum intuitu congruam a patre remunerationem accepit. Quaestio itaque fit de lucro extraordinario, quod neque filius remisit, neque pater aliqua mercede pensavit. Quaestioni hisce circumscriptae limitibus aliter atque aliter theologi respondent; rationum momenta, quibus sententiam quisque suam conatur suadere, nostrum est paucis efferre.

Qui filiisfamilias omne ius denegant ad haec sibi lucra vindicanda ita ratiocinantur. Filiifamilias in domo patris a quo aluntur degentes operam suam gratuitam in familiae bonum conferre debent, mercenarii enim non sunt: hinc neque ius vetus, neque novum, neque consuetudo eiusmodi lucra filiis adiudicat. Praeterea haec lucra instar compensationis habentur quam filii patri rependunt sive pro alimentis et institutione ab eo receptis, sive pro sagacitate ac bono nomine quod sibi comparant patris negotia gerentes. Fas utique est filio pactionem inire cum patre, vel separatim ab eo industriam colere; at nisi faciat, pro familiae bono operam praestare censetur sua sorte contentus. Demum contraria sententia plurimis incommodis atque periculis sternit viam, quod ipsi eius patroni ultro fatentur (2).

Qui filiisfamilias controversum ius tribuunt, adeo ut liceat eis et per occultam compensationem tamtumdem de communibus bonis surripere quantum extraordinario labori insumpto respondet, hisce argumentis suam sententiam tuentur. Extraordinaria lucra, quae tum ex patris bonis tum ex filii labore proveniunt, partim profectitia partim adventitia sunt, propterea partim patri debentur partim filio. Ad hoc filius deterioris conditionis quam extraneus non est: quod si extraneo pro labore non debito merces ex iustitia rependitur, cur rependenda non erit et filio? Ad extremum instar axiomatis est: *Pietatem liberi parentibus debent non operas* (3). Quidquid sit de speculativa huius sententiae probabilitate, plerique eius fautores conveniunt non esse palam hanc doctrinam tradendam, cum ob hallucinationis periculum, tum ob gravia quibus patet incommoda. Hinc merito S. Alphonsus

(1) Videsis *Codicem italicum*, art. 229.

(2) Navarrus, *Enchir.* c. XVII, 148; Laymann, l. III, tr. IV, c. VIII, 11; Antoine, *De iustitia*, p. III, c. V, q. XIII; La Croix, l. I, p. I, 1084; Billuart, diss. III, a. IV; Alasia, *De iustitia*, c. IV, § IV, 5; S. Alphonsus, III, 544; Gousset, I, 684; Gury, I, 547 (qui de lucro notabili non extraordinario loquitur).

(3) Lugo, *De iustitia*, disp. V, 42 et seq.; Lessius, sect. II, c. XII, dub. XIII, 81; Bouvier, l. c., q. II; Carrière, *De iustitia*, 244; Tanquerey, 149; Reuter, *Neo-Confessarius*, 145; Lehmkuhl, I, 1060; Zaninetti, 1066; Génicot, I, 471. Voit hanc sententiam *probabilem* retur (I, 806); Gury (l. c.) *sat probabilem* de lucro extraordinario; item Génicot, 471; Sebastiani, *Summarium*, 269; Ferreres, l. c.

concludit, occultam compensationem filiisfamilias non licere, quia ius eorum certum non est (1).

264. — Resp. ad III Q. Pecuniae, quam ad victum et libros comparandos Augustinus accepit a patre, tanquam rei primo usu consumptibilis dominium habet, non tamen absolutum, quippe ad praestitutum finem eam impendere debet; at si parsimoniae studens quidquam ex ea servet, potest illud quasi industriae suae fructum in arcam reponere. Contra de argenteis ad vinum emendum sibi traditis nil retinere potest, quippe qui patris nomine, cuius negotium gerebat, egisse censetur; propterea quidquid lucri emendo consecutus est, patri cedit.

Si patre vivente Anselmus nullum laboris sui pretium expetivit, tacite remisisse censetur. Immo, etiamsi ob verecundiam non petiit, non licuit ei pecuniam surripere ad impensum laborem occulte compensandum: cum enim ius eius incertum sit, discrimini se commisit fratres suos damnificandi. Ad summum (ob secundae sententiae probabilitatem) indulgeri posset ei ut modicum quidquam pro docti ac probi viri arbitrio surriperet ad laboris sui onestam retributionem. Quae plane iis cohaerent quae diximus in tractatu *De conscientia* de tutiore via tenenda quum damni alterius vel iniuriae periculum subest, ac de rei divisione pro rata dubii facienda quum iura utrinque sunt incerta.

LXXII.

Honorius, parochiali beneficio auctus, patrimonii sui reditus in arcam reponit; interea e decimis, primitiis, Christifidelium oblationibus, Missarum proventibus certaque pecuniae vi quam municipes quotannis ei rependunt, ceterisque beneficii fructibus seipsum alit et sororem et matrem una domi suae commorantes, et nepotem studiis vacantem, et canes aliquot ad venandum; praeterea amicis et collegis identidem lauta instruit convivia, atque ita quidquid beneficium fert consumit ad assem. Ad haec, cum curiales aedes reficere atque in meliorem statum redigere constituisset, nonnulla utensilia ad beneficium pertinentia vendit biscentum argenteorum pretio; quod cum operi perficiendo impar esse cognosceret, vendit et agellum pretio tercentum argenteorum, quo propositum exequi valeat.

(1) S. Alphonsus, III, 544 cum La Croix, 1035; Voit, I, 886; Gury, 547. Fortasse huic quaestioni lumen aliquod afferre potest distinctio plerumque neglecta inter ius *plenum* et ius *relativum*: iuri pleno, quod vi patriae potestatis parentibus competit in filiorum bona, respondet officium iuridicum in omnibus; iuri relativo, quod competit filiis in bona communia, respondet officium iuridicum in ceteris, unis parentibus exceptis. Videndus Rosmini, *Diritto*, vol. I, *Della derivazione dei diritti*, c. I, a. III; item nr. 1302-1309 et vol. II, 1512.

Quaeritur I°. Quot sunt genera bonorum clericis spectantia?

Q. II°. An patrimonialium et quasi patrimonialium bonorum clerici dominium habeant?

Q. III°. An ecclesiasticis bonis seu beneficii proventibus ad congruam sui sustentationem uti valeant, et in quo honesta sustentatio sit posita?

Q. IV°. An parsimonialium bonorum sint domini?

Q. V°. An et quatenus peccent superflua in profanos usus convertendo?

Q. VI°. An aliqua beneficii bona marte suo alienare possint?

Q. VII°. An et ex quo capite Honorius sit improbandus?

Quaestionum solutio.

265. — Resp. ad I Q. Trifariam clericorum bona distinguuntur, scilicet in patrimonialia, quasi patrimonialia et ecclesiastica. I°. *Patrimonialia* sunt quae clerici possident non qua clerici, sed qua cives seu homines, idest ob titulum ceteris communem, v. c. haereditatis, donationis, contractus, artis vel profani muneris quo funguntur, ut puta grammaticam, literas, musicam docendi. II°. *Quasi patrimonialia* (quae etiam *quasi ecclesiastica* nuncupari solent, quia medium quodammodo inter patrimonialia et ecclesiastica locum tenent) ea sunt quae clerici qua clerici percipiunt, non tamen ratione beneficii ex bonis Ecclesiae dicatis, sed titulo sacri ministerii, quasi stipendium vel mercedem sui operis, puta ob sacram concionem habitam, ob Missae celebrationem, ob nuptias benedictas, ob funera et cetera quae *iura curialia* seu *stolae* vocantur. Huc veniunt distributiones chorales, emolumenta scilicet quae canonicis divinas laudes in choro psallentibus tribuuntur. III°. *Ecclesiastica*, quae et *beneficiaria* appellantur, ea sunt quae titulo beneficii clerici percipiunt, nempe proventus bonorum quae a Christicolis Ecclesiae donata sunt, quorum proinde dominium penes Ecclesiam est. Haec bona diduci solent in *necessaria*, quibus scilicet clericus eget ad vitam honeste sustentandam; in *superflua*, qua victui ac congruae sustentationi supersunt; et in *parsimonialia*, quae clericus frugi vivens necessariis subtrahit.

266. — Resp. ad II Q. I°. Patrimonialium bonorum clericus dominus est, propterea iisdem pro sua voluntate uti valet. Sane Dei militiae se adscribens bonorum suorum dominio non fit ineptus, neque eo se abdicat, neque ulla Ecclesiae lege privatur. Hoc luculentum est et apud omnes receptum (1).

267. — II°. Etiam bonorum quasi patrimonialium clericus dominium habet: quae est communis theologorum iurisque peritorum

(1) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. CLXXXV, a. VII; S. Alphonsus, III, 491 et ceteri.

doctrina, pauculis eidem refragantibus (1). Re enim vera bona haec a Christi fidelibus non Ecclesiae donantur sed clericis quasi laboris stipendium, nullo adiecto onere ea largiendi pauperibus aut in pios usus erogandi. Quae doctrina S. Poenitentiariae responsis firmatur, quae iterum iterumque eiusmodi bona tanquam patrimonialia habenda esse decrevit (2). Bonis quasi patrimonialibus distributiones chorales accensuimus; quamvis enim beneficii fructus sint iisque tribuantur qui beneficio sunt aucti, attamen ob sacrum ministerium quasi stipendium tribuuntur; cumque iam fuerint ab Ecclesia ex beneficii fructibus decerpta atque ad pium usum destinata et addicta (scilicet ad canonicorum vitam Dei laudes in templo canentium sustentandam), ad alium usum, nempe ad pauperum subsidium, iterum non sunt addicenda. Quod hodie extra omnem controversiam est positum, praesertim quia Apostolica Sedes plus semel hoc declaravit (3).

268. — Resp. ad III Q. Integrum esse clericis ex bonis ecclesiasticis, idest ex beneficii proventibus, ea percipere quae ad honestam sui sustentationem sunt necessaria, exploratissimum est et canone 1473 *Codicis pontificii iuris* firmatum. Etenim ideo instituta sunt beneficia ne clerici victum mendicare cogerentur, neve illum suis manibus quaeritantes distraherentur a Deo. Est etiam aequitati ac rationi maxime congruum ut laboris sui mercedem accipiant, nam *dignus est operarius mercede sua* (4). Hinc Paulus: *Quis militat suis stipendiis unquam? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere* (5). Immo etiamsi clerici patrimonialia bona possideant, fas est eis de beneficii fructibus se ipsos alere, quippe eorum dominium habent (6).

Honestae autem sustentationis nomine id omne venit quo clericus eget ad vitam cum decore sibi conveniente ducendam: hinc expensae quae fiunt pro cibo, vestibus, supellectili, libris opportune comparandis, pro famulis, medicis, pharmacopolis remunerandis, pro hospitalitate exercenda, pro corpore animoque tantisper recreando, ad honestam sustentationem pertinere dicendae sunt. Quantum vero clericus hoc nomine expendere valeat, certa regula taxari nequit: prudentium

(1) S. Thomas, l. c.; Reiffenstuel, tr. VII, dist. IV, 26; Sporer, tr. VI, c. I, 90; Schmalzgrueber, l. III, tit. XXV, 7; Lugo, *De iust.* disp. IV, 23; Bonacina, *De oblig. beneficiariorum*, disp. IV, p. I, 4; S. Alphonsus, 491.

(2) Respons. 9 augusti 1821 et 9 ianuarii 1823.

(3) Lugo, 25; Sporer, 91; Schmalzgrueber et S. Alphonsus, ll. cc.; Carrière, *De iustitia*, 181; Benedictus XIV, *De Synodo*, l. XIII, c. XII, 22.

(4) Luc., X, 7.

(5) I *Cor.* IX, 7, 13, 14.

(6) S. Thomas, l. c. ad 3^{um}; Reiffenstuel, 27; Sporer, 96; S. Alphonsus, 491, q. 5; Carrière, 152.

iudicio piorumque usu aestimanda res est, ratione habita aetatis, valetudinis, dignitatis, consuetudinis, loci in quo quis degit, nam ad vitam honeste et decore transigendam plus in praelato requiritur quam in parocho vel sacerdote inferiori in officio constituto, plus in sene valetudinario quam in iuvene viribus valente, plus in illo qui in urbe degit quam in illo qui in pago (1).

269. — Resp. ad IV Q. Ad bona sibi ad vitam congrue ducendam necessaria clericus, tanquam ad stipendium operis ex iustitia sibi debitum, ius habet; quapropter, cum horum bonorum dominium nanciscatur, potest pro libito ea consumere aut parce vivendo servare: et si servare malit, ceu industriae fructus sunt spectanda (2).

270. — Resp. ad V Q. Una omnium sententia est, clericum gravi obligatione teneri superflua in pauperum alimoniam expendendi vel in usus pios, proindeque lethaliter peccare ad profanos usus ea distrahendo. Sufficiat nobis Tridentini Concilii verba in medium proferre, cui concinit *Iuris pontificii Codex* canone paulo supra relato. *Omnino eis (Episcopis) interdicit (S. Synodus) ne ex reditibus Ecclesiae consanguineos familiaresque suos augere studeant, cum et Apostolorum Canones prohibeant ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa.* Statimque Concilium subdit, haec nedum ab Episcopis, sed ab omnibus beneficia obtinentibus ad amussim servanda (3). Docent tamen theologi, ad gravem materiam constituendam requiri maiorem, immo notabiliter maiorem quantitatem quam in furto, atque in ea definienda rationem habendam esse tum proventuum beneficii, tum communium necessitatum, tum ceterorum adiunctorum. Laxioribus opinionibus dimissis, cum S. Alphonso dicimus ad gravem materiam constituendam sufficere vigesimam partem bonorum quae honestae sustentationi supersunt, idest quinque pro quolibet centenario (4). Idque cohaerenter dictis intelligendum est, nimirum quum vigesima pars gravem communis furti materiam excedit. Ceterum abs re non erit animadvertere, inspecta ingenti mutatione in pecuniae valore aestimando, ad gravem in furto materiam constituendam longe maiorem hodie quam antea quantitatem exposci, cum pecuniae pretium in dies minuatur (5).

271. — Utrum vero ex iustitia superflua sint pauperibus vel in pios usus eroganda, ita ut clerici non erogantes restitutioni sint

(1) Schmalzgrueber, 20; Sporer, 95-98; Bonacina, l. c., p. II, 7, 8; Busembaum (apud S. Alphonsum, IV, 180-182); Illsung, tr. IV, disp. II, q. III, a. V, § I.

(2) S. Thomas, l. c.; Lugo, disp. IV, 35; Reiffenstuel, 28; Sporer, 97; S. Alphonsus, III, 491.

(3) Sess. XXV, *De reformatione*, c. I.

(4) Lugo, 42; La Croix, l. IV, 1358; S. Alphonsus, 491.

(5) Génicot, I, 507.

obnoxii, an ex religione tantum vel ex Ecclesiae praecepto, quaestio est controversa, si qua alia, neque hactenus dirempta (1). Quin singula proferamus expendamusque argumenta quibus utriusque sententiae patroni causam suam adstruere conantur, quaestionis nodus (si quid videmus) in eo potissimum est, an bonorum Ecclesiae divisio per RR. Pontifices facta fuerit, adeo ut altera pars Episcopis, altera clericis, tertia pauperibus, quarta fabricae Ecclesiae sit attributa. Nempe de facto agitur, quod alii asseveranter affirmant, alii perfracte negant. Cum ergo in dubio facti versemur, tutior (ut in tractatu *De conscientia* dictum fuit) tenenda est via. Quamobrem clericus in profanos usus superflua distrahens discrimini se committit iustitiam laedendi, quod intrinsece malum est; propterea iniustitiae reus est habendus, nam *quicumque non cavet pericula*, ait Angelicus Doctor, *videtur contemnere id cuius detrimentum pericula inducere possunt* (2). Ad restitutionem vero quod attinet, cum ius clerici aeque ac ius pauperum sint incerta, restitutio pro rata dubii fiat oportet, qua damni periculum hinc inde diribetur. Ceterum abs re non erit cum Aichner animadvertere, ex eo quod clerici beneficialium bonorum dominium habeant non recte inferri eos omni iustitiae vinculo solvi erogandi superflua in pias causas, quippe rei dominium potest cum obligatione consistere quidquam alicui praestandi (3).

272. — Resp. ad VI Q. In constitutione *Apostolicae Sedis* excommunicatione latae sententiae nemini reservata plectebantur « Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extrav. *Ambitiose* de rebus ecclesiasticis non alienandis ». Hanc excommunicationem confirmat *Iuris pontificii Codex*, canone 2347, 3°. Alienationis vocabulum hic late sumitur pro quovis contractu quo dominium bonorum Ecclesiae in alios transfertur: alie-

(1) Pro sententia obligationem iustitiae affirmante certant Navarrus, *Enchir.* c. XXI, 94, XXIII, 75; Bonacina, p. II, 9; Laymann, l. IV, tr. II, c. III, 3; Ferraris, v. *Beneficiatus*, a. I, 38-62; Habert, *De iustitia*, p. I, c. XXI; Alasia, *De iustitia*, c. IV, a. II, 8-11; Bouvier, *De iust.* c. II, a. I, § II, sect. IV; S. Alphonsus, 491; Carrière, 152; Dell'Aquila, *Dizionario biblico*, v. Restituire, VIII. Huic sententiae plura suffragantur testimonia SS. Patrum, qui clericorum bona appellant *pauperum patrimonium, patrimonium Christi, fidelium vota, thesaurum Dei*, eosque *rapinae et sacrilegii reos* faciunt qui eiusmodi bona in profanos usus impendunt. Pro sententia negante stant Lugo, disp. IV, 2 et seq.; Lessius, l. II, c. IV, 41 et seq.; Reiffenstuel, 29 et seq. (qui tamen *in praxi tutiorem ac merito tenendam* contrariam dicit); Illsung, l. c.; D'Annibale, III, 86; Tanquerey, 175; Sebastiani, *Summarium*, 271; Ferreres, *Epitome*, 361; Génicot, 476; Vermeersch, *Summa*, 567. Animadvertendum, S. Alphonsum serius *non minus probabilem* sententiam negantem habuisse.

(2) *Quodlib.* III, a. IX ad 3^{um}.

(3) Aichner, § 232.

nare igitur est vendere, permutare, donare, transigere, oppignorare, in emphyteusim concedere, hypothecae aut servituti subiicere; dicam paucis, ius aliquod Ecclesiae reale alteri tradere, vel reale onus Ecclesiae bonis imponere. Bonorum autem nomine, quorum alienatio hic vetatur, censentur immobilia (nempe aedificia, praedia, fodinae, arbores fructiferae, iura realia, veluti census annui perpetui, pecunia praediis acquirendis destinata) et mobilia pretiosa (veluti vasa aurea vel argentea, gemmae, numismata quae antiquitate vel operis caelatura praestant, bibliothecae copiosae) quae viginti quinque aureis saltem valeant (1). Etiam insignes Sanctorum Reliquiae, etsi pretio non aestimabiles, ex S. Congregationis C. declaratione die 14 ianuarii anni 1707 data, mobilibus pretiosis accensebantur (2). Attamen nonnulli (saltem quoad censuram incurrendam) aliter sentiebant (3). Hodie certum est eiusmodi Reliquias sine Apostolicae Sedis venia distrahi non posse, novo *Iuris pontificii Codice* id praecipiente canone 1281 § 1: *Insignes reliquiae aut imagines pretiosae, itemque aliae Reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorantur, nequeunt valide alienari neque in aliam ecclesiam perpetuo transferri sine Apostolicae Sedis permissu* (4).

Praediola rĕsque mobiles minoris pretii, arbores caeduae, agrorum fructus, supellectiles usu detritae et cetera quae sine detrimento servari nequeunt, sine Apostolicae Sedis permissu alienantur; plerumque tamen Episcopi venia requiritur (5). Rerum autem venditarum pretium pro beneficio impendi debet, rem rei sufficiendo. Episcopis hodie ampliores facultates traditae sunt ex novo *Pontificii iuris Codice* canone 1532, quem ex integro hic exscribimus. § 1 *Legitimus Superior est Sedes Apostolica, si agatur* 1° *De rebus pretiosis*; 2° *De rebus quae*

(1) D'Annibale, III, 78; Del Vecchio, I, 625. Viginti quinque aureos (seu scuta aurea) Alasia pares facit biscentum libellis argenteis (Append. *De alienatione bonorum* etc., 11); item Pennacchi (Append. XXVI); D'Annibale ducentis et triginta quinque (*Commentarii*, 174); Lehmkuhl quingentis et amplius (*De censuris*, 1252). Immo recentiores theologi longe maius rei alienandae pretium requirunt ut Sedis Apostolicae beneplacito opus sit. Vide Pighi, *Censurae sententiae latae*, n. 117; Cavigioli, *Censurae latae sententiae*, n. 174; Cerato, *Censurae vigentes*, n. 65,

(2) Bonacina, *De alienatione bonorum ecclesiast.*; Ferraris, v. *Alienatio*, a. II; Scavini, III, 638; Del Vecchio, l. c.

(3) Vide D'Annibale, *Comment.* n. 174 et nota 23; Zaninetti, 334, V; Sebastiani, *Summarium*, 618, 3°.

(4) Reliquiae insignes in *Codice iuris pontificii*, canone cit. § 2 sunt *corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus, aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva*; bona pretiosa ex canone 1497 § 2 eiusdem Codicis sunt illa *quibus notabilis valor sit, artis, vel historiae, vel materiae causa.*

(5) La Croix, l. IV, 1363, 1367; Alasia, Append. cit.; S. Alphonsus, IV, 187.

valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum; § 2 *Si vero agatur de rebus quae valorem non excedunt mille libellarum seu francorum, est loci Ordinarius, audito administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et cum eorum consensu quorum interest*: § 3 *Si denique de rebus quarum pretium continetur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum, est loci Ordinarius, dummodo accesserit consensus tum Capituli cathedralis tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest* (1). Quaestioni, *An donaria votiva alienari possint absque beneplacito Apostolicae Sedis*, S. Congregationis Concilii Patres die 12 iulii anni 1919 responderunt: *Negative* (2).

273. — Resp. ad VII Q. Patrimoniales proventus in arcam reponere deque beneficii fructibus vivere licet utique Honorio, illorum quippe dominus est, hos autem pro laboris stipendio accipit ad se honeste sustentandum. Ut de ceteris Honorii factis rectum iudicium ferre valeamus, plura sunt inspicienda. Videndum I° an de bonis superfluis quidquam distrahat in profanos usus. Ad ecclesiastica bona non pertinent Missarum proventus neque oblationes a Christi fidelibus factae. Decimae ecclesiasticis bonis accensentur, cum ad clericorum sustentationem praestentur ac beneficii titulo percipiantur. De pecunia quam municipes quotannis solvunt, oportet inspicere utrum ea ex liberalitate vel grati animi ergo solvatur, an ex debito quasi beneficiariorum proventuum pars. Idipsum de primitiis dicendum, quae quandoque ad oblationes, quandoque ad decimas revocantur. II°. Si de bonis ecclesiasticis Honorius quidquam distrahat ad profanos usus, videndum quantum insumat praeter illud quod honesta sui sustentatio exposcit: meminerimus autem ad grave peccatum maiorem quam in furto materiam requiri. III°. Matrem et sororem secum commorantes alere licet Honorio, sive illae egeant, sive domi utilem praestent operam: alterum quippe ad pietatem, alterum ad remunerationem pertinet. Et nepotem studiis vacantem subsidio iuvare Honorio fas est, dumne adsint pauperes graviter egentes et dummodo nepos bonam de se expectationem concitet, namque ad congruum familiae decorem id conducere videtur: verumtamen caveat ne forte naturali decipiatur affectu, nam *quid nequius quam quod excogitavit caro et sanguis?* (3). Ad honestam recreationem, venatus causa, canem alere non est illicitum; at plures Honorius alit, quo nomine exprobrandus est, quippe pauperibus subtrahitur quod datur canibus. Neque est illicitum quandoque ad

(1) In Novariensi dioecesi iamdiu consuetudo obtinet, ut immobilia et mobilia pretiosa, quae sexcentum argenteorum pretium non excedunt, alienari queant ex Episcopi venia. Vide *Synodum dioecesanam novariensem* anno MDCD editam, n. 741.

(2) Vide *Acta Apostolicae Sedis*, an. XI, vol. XI, pag. 419.

(3) *Eccli.* XVII, 30.

convivium collegas et amicos excipere, si ex more, hospitalitate, decentia hoc fiat; frequenter tamen et sumptuose parare convivia clericum maxime dedecet, eius famae nocet illumque in periculum coniicit Christi patrimonium dissipandi, cuius esse debet sedulus dispensator. Hisce omnibus perpensis, iam licebit de Honorio iudicare an et quatenus peccaverit, sitne restituendi obligationi obnoxius.

Quod marte suo beneficii bona alienaverit, oppido improbatione dignus. Utensilia vendendo, quae pretiosa non erant neque viginti-quinque aureorum pretium excedebant excommunicationem non incurrit; potuit etiam excusari si servari nequibant urgebatque alienandi necessitas. Contra, agellum vendendo, cuius pretium vigintiquinque aureos superabat, excommunicationem non fugit, nisi loci recepta consuetudo aliud ferat.

LXXIII.

Lucretius, venationi deditus, modo ad persequendas feras alienos fundos ingreditur; modo laqueos inibi tendit, domino repugnante et praedam frustra expetente; modo vicini sui columbas, exquisitiore et copiosiore cibo iis exhibito, ad mutandam sedem allicit. Ad haec nonnunquam fortuna iuvatur: nam semel aper, quem incassum canes persecuti fuerant, cum alienum laqueum incidisset, Lucretius illum sibi vindicavit; olim cervum ab alio venatore vulneratum facile ipse cepit; alias ovem quam rapuerat lupus ex eius ore feliciter extraxit. Quae autem sunt in hoc genere civilium legum statuta flocci facit recusatque luere poenas in harum legum violatores decretas.

Quaeritur I°. An rerum dominia occupatione acquirere liceat?

Q. II°. An liceat ferarum venatio?

Q. III°. An leges hoc in genere latae conscientiam ligent?

Q. IV°. Quid de Lucretii agendi ratione in singulis factis expositis?

Quaestionum solutio.

274. — Resp. ad I Q. Inter primigenios dominii acquirendi modos recensetur *occupatio*, quae definiri solet apprehensio rei in nullius dominio existentis, animo eam faciendi suam. Ex qua definitione liquet: oportere I° ut res eiusmodi sit quae a quopiam apprehendi valeat ad ceterorum exclusionem: hinc quae inexhausti usus sunt neque limite aliquo circumscribi possunt, veluti lux, aer, mare, per occupationem acquiri nequeunt; II° ut res sit vacua, nempe in nullius potestate posita; III° ut per aliquem exteriorem actum coniungatur capienti (nempe *physico vinculo*, ut philosophi aiunt); IV° ut apprehendatur animo eam sibi comparandi (idest *morali vinculo* capienti coniungatur); V° ut animus seu voluntas rem comparandi per aliquod exterius signum ceteris patefiat. Hunc acquirendi modum licitum esse manifestis-

simum est, quum non sit nisi quoddam relativae libertatis exercitium, quam libertatem ipsa rationalis lex sartam tectam servari iubet (1).

275. — Resp. ad II Q. Animalia fera ea dicuntur quae libere per terram, aera, aquam vagantur. Cum haec nullius sint, licite per occupationem capiuntur, dumne ex alio aliquo capite iniuria cuipiam fiat, aut iustum aliquod legis iussum violetur (2). Hinc I° si venando vel piscando damnum inferas alieno fundo, iniuriam domino facis. Item si fundus sit clausus illumque invito domino ingrediaris. Immo, si fundus undequaque sit clausus ita ut ferae evadere inde nequeant, iam dici possunt quodammodo a domino fundi apprehensae: quod eo magis obtinet si dominus soluta pecunia ius sibi comparaverit venandi vel piscandi in certo loco. II° Si ob publicum bonum leges latae fuerint quae venationis vel piscationis tempus, modum, instrumenta constituant, servandae sunt (3).

276. — Resp. ad III Q. A ligando lex dicitur, propterea omnis lex quae sit iusta ad aliquid obligare dicenda est. Iamvero leges ferarum capturam respicientes iustae sunt, quippe quae ad plura incommoda cavenda et bona procuranda sunt latae; ergo obligationem inducunt. At probabile est satisque receptum leges eiusmodi *poenales* esse, quae nempe obligant vel ad iussum servandum vel ad poenam luendam (4). Cumque de lege positiva dubia agatur, illud merito usurpare licet: *In obscuris quod minimum est tenendum.*

277. — Resp. ad IV Q. Quamvis Lucretius alienum fundum ingrediens laqueosque feris invito domino tendens iniurius illi sit, debeatque damnum quod forte intulit sarcire, feras tamen ibidem captas sibi vindicare potest quae in ullius dominio nondum erant. Excipe ex dictis, si fundus pervius non fuisset, ferae autem ita inclusae ut exilire nullatenus possent; item si fundi dominus soluto pretio venandi ius sibi uni comparaverit.

Columbae natura sua ferae sunt; si tamen cuiusquam industria mansuefactae fuerint atque in columbario receptae, desinunt esse nullius iamque ad illum pertinent qui mansuefecit. Quapropter fraude ac dolo eas allicere ad sedem mutandam, hoc est ad columbarium suum deserendum, iniurium est illarum domino ipsisque civilibus legibus vetitum (5). An vero fraus adsit et dolus si exquisitior copio-

(1) Videsis Rosmini, *Diritto,* I, 254-256; 452-520 et Génicot, I, 480.

(2) Sporer, tr. VI, 147; Reiffenstuel, tr. VII, dist. V, 5; Lugo, disp. VI, 54 ceterique communiter.

(3) Lugo, 72; S. Alphonsus, III, 605; Alasia, *De iustitia,* c. V, a. I, 4; Lehmkuhl, I, 1084.

(4) S. Alphonsus, I, 145; D'Annibale, I, 207; Lehmkuhl, 239; Sebastiani, *Summarium,* 275; Ferreres, *Epitome,* 367, Schòlion. Videndus Rosmini, *Diritto,* II, 2458-2465.

(5) Vide *Codicem italicum,* art. 413, 462.

siorque cibus eis exhibeatur, nobis videtur non dubitandum, si eo animo proponatur cibus ut columbae columbario suo subducantur (1).

De fera quae a venatore exagitata in alienum incidit laqueum, ad quem spectet disceptatur. Nobis distinguendum videtur: vel casu prorsus, vel industria insequentis fera laqueum incidit: si casu, ad laquei dominum pertinet: si ex arte atque industria persequentis, inter dominum laquei et insequentem dividenda, uterque enim ad eam captandam contulit operam (2). Fera ab altero vulnerata ab altero capta ad vulnerantem pertinet, si tam gravi vulnere fuerit affecta ut insequentis manum iam fugere nequiret: si autem leviter sauciata fuerit, vel e vulnerantis manu se eripuit, vel hic eam insectari iam desiit, suam libertatem recuperasse censetur, ideoque capienti cedit: re dubia manente, ex aequitate inter utrumque est dividenda (3). Ovis domesticum animal est dominum habens: propterea et in ore lupi ad dominum suum clamat.

Haec cum ita sint, concludendum, in nonnullis Lucretium contra iustitiam peccasse et ad reficienda damna adigendum esse: perperam vero civilium legum scita flocci facere, quae etsi ceu poenales tantum spectari velint, ad poenam sustinendam violatores obligant: et si quando ad aliquod civium ius tuendum sint latae, sub peccato obligare indubium est.

LXXIV.

Proculus, dum agro domini sui excolendo dat operam, vas absconditum reperit in quo gemmae latent ac numismata pretiosa. Memor verborum Christi: *Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit et vadit et vendit universa quae habet et emit agrum illum*, vas repertum illico recondit, agroque sibi comparato, gemmas ac numismata sibi vindicat. Verum deinceps dubitans ne recte egerit, parocho suo rem omnem pandit. «Quid angeris?» ait illi parochus, «bona vacua primo occupanti cedunt; civilium legum scita, si qua sint, conscientiam non ligant saltem ante iudicis sententiam, quippe poenalia sunt: insuper bona fide egisti evangelicae nixus doctrinae: tene ergo quod tuum est».

Quaeritur I°. Quid sit thesaurus et iure naturae cui spectet?

Q. II°. Quaenam praecipua legum civilium scita de thesauro et quaenam eorum vis?

Q. III°. Quid de parochi responso?

(1) Sporer, 144; Lugo, 43; Lehmkuhl, l. c.

(2) Alasia, 8.

(3) Lugo, 76; Sporer, 148; Lessius, sect. I, c. V, dub. X: Alasia, 7; S. Alphonsus, 606; Carrière, *De iustitia*, 290.

Quaestionum solutio.

278. — Resp. ad I Q. I°. Iure romano thesaurus erat *vetus quaedam pecuniae depositio, cuius non extat memoria ut iam dominum habeat* (1). Iure italico novissimo thesaurus est *quaecumque res mobilis pretiosa, abcondita vel humi infossa, cuius nemo se dominum probare potest* (2). Quae thesauri definitio a priore vix differt, cuius explicatius reddit sensum. In quaestionibus quae de thesauro instituuntur ratio habenda est cum iuris naturae tum iuris civilis, publicum enim bonum postulat ut quaedam a civitatis moderatoribus decernantur ad rerum dominia temperanda: quod innuit S. Thomas ceterique theologi disertius docent (3).

279. — II°. Quidam veteres romani iurisperiti (uti monet Heineccius, *Recitat.* § CCCL) opinati sunt thesaurum iure naturae ad fundi dominum pertinere, cuius est quidquid inest fundo, nam *qui dominus est soli, dominus est cacli et inferorum*. Quam opinationem benigno vultu exceperunt nonnulli iurisconsulti qui saeculis XVII et XVIII in Gallia excelluere (4). Verum communis ac fere omnium sententia est, thesaurum, iure naturae spectato, inventoris esse (5). Sane, cum thesaurus ex accidenti insit fundo, perperam fundi fructus vel pars putatur sed, quemadmodum ex ipsa thesauri definitione liquet, iis bonis est accensendus quae domino carent; quae autem domino carent, primo occupanti cedunt. Neque argumenta quae contra afferri solent tanti ponderis sunt ut nos a communi doctrina removeant, nam ad summum id arguunt aequitati congruere ut reipublicae moderatores in legibus condendis nonnihil tribuant fundi domino ex quadam dominii praesumptione.

280. — Resp. ad II Q. I°. In *Codice italico* haec de thesauro statuta leguntur: *Thesaurus ad dominum fundi pertinet in quo repertus fuit. Quod si in alieno fundo casu repertus fuerit, dimidia eius pars domino fundi cedit, dimidia vero inventori* (6). Ex his licet inferre: 1°. totum thesaurum ad fundi dominum pertinere, si ipse illum detexerit vel aliena manu fodiendum curaverit, nam qui per alium facit

(1) L. *Nunquam*, ff. *De acquirendo rerum dominio.*

(2) *Codex italicus*, art. 714. Iisdem ferme verbis *Codex gallicus* thesaurum definit, nisi quod requirit ut res sit *fortuito inventa*, quae clausula thesauri notionem quadantenus coarctat.

(3) II^{a} II^{ae}, q. LXVI, a V, ad 2^{um}.

(4) Domat, Toullier, Duranton apud Carrière, *De iustitia*, p. I, sect. II, c. V, 321.

(5) S. Thomas, l. c.; Reiffenstuel, tr. VII, dist. V, 10; Lessius, l. II, c. V, dub. 15; Lugo, disp. VI, sect. XI, 112; Sporer, tr. VI, c. I. 175; Bouvier, *De iustitia*, c. II, a. I, § IV, sect. II, p. I; Carrière, l. c.; Lehmkuhl, I, 1087; Sebastiani, *Summarium*, 276; Génicot, I, 484.

(6) *Codex italicus*, art. 714.

per se facere censetur. 2°. Qui fortuito thesaurum in alieno fundo detexit, ad dimidiam thesauri partem ius habet; si vero data opera, nempe ex industria, thesaurum exquisivit, nullam thesauri partem sibi vindicare potest. 3°. Qui ad fodiendum in alieno fundo conductus fuit, non autem ad thesaurum quaerendum, ad dimidiam thesauri partem, quem forte invenerit ius videtur habere, quippe qui ad fodiendum operam suam locavit domino, non ad thesaurum quaerendum.

281. — II°. Civiles leges hoc in genere latae ita dispesci solent, ut aliae *definitivae dominii* seu *proprietatis rerum*, ut aiunt, aliae *poenales* dumtaxat vocentur. Priores, quae in publico bono nituntur civiumque iura definiunt, illico obligare dicendae sunt; posteriores vero minus, ea enim est poenalium legum natura ut nemo eas sibi applicare debeat quin per iudicis sententiam cogatur. Ex quo palam fit, ea legum iussa quae thesaurum inter fundi dominum et inventorem iuxta partiuntur, statim esse observanda, sunt enim dominii definitiva; contra quae inventori thesaurum in alieno fundo ex industria quaerenti omne ius adimunt ad quamvis thesauri partem sibi vindicandam, ante sententiam non obligare, quippe quae poenae rationem habent. Re enim vera leges hoc decernentes illum corripere voluere qui invito aut inscio domino alienum fundum perscrutatur; poenam autem subit reus, non sibimet infligit (1). Hinc in iustinianaea lege de thesauris scriptum est: *Totum locorum domino reddere compellatur et veluti temerator legis saluberrime puniatur*: porro vox *compellatur* sat aperte irrogandam poenam esse demonstrat (2). Ceterum si fundi dominus ita sit animo comparatus, ut ius sibi a lege tributum ad totum thesaurum omnino prosequi velit, iudicis sententiam provocando, suadet caritas ne cunctetur inventor integrum thesaurum dimittere ut inconsultis litibus occludatur via: nam impendiis aliisque incommodis obnoxium facere quempiam ius suum prosecuturum, a caritate alienum est. Ita in quaestione haud multum dissimili opinatur Bouvier (3). Si quis autem aliter senserit, non viris equisque cum eo decertabimus.

282. — Resp. ad III Q. Male prorsus parochus respondit: thesaurus enim casu in alieno fundo detectus ad fundi dominum pro dimidia parte spectat; cumque hoc legis iussum sit dominii definitivum, ante iudicis sententiam vim suam exerit. Quapropter, thesaurum recondens ut illum deinceps, agro empto, totum sibi vindicaret, Proculus iniusti damni auctorem se fecit, quod fundi domino sarcire debet.

(1) Navarrus, *Enchir.* c. XVII, 175; Lessius, 29; Lugo, 112, 121; Reiffenstuel, 11, 12; Sporer, 172; Lambertini, *Casus*, mense aprilis an. mdccxlviii; Voit, I, 863; S. Alphonsus, III, 602; Gousset, I, 702; Lehmkuhl, 1087; Ferreres, *Epitome*, 369; Cerato, *De iustitia*, 41; Sebastiani et Genicot, ll. cc.

(2) L. unic. C. *De thesauris.*

(3) *De contract.* p. II, a. II, § 1, punct. III.

Frustra autem ad Christi parabolam confugit, non enim quidquid in parabolis narratur tanquam honestum imitationi proponitur, ut videre est in parabola *de villico iniquitatis* (1). Neque Proculo bona fides suffragatur, nam, errore detecto, bona fides deficit; deficiente autem bona fide, Proculus rei alienae iniustus detentor existit.

LXXV.

Homobonus, cum crumenam argento refertam invenisset, ex confessarii sui consilio argentum illud tenuioribus confestim erogavit; at ecce post paulo crumenae dominus comparet, qui Homobonum in ius rapit adigitque ad omnem sibi pecuniam restituendam. Cum alias pecuniam iterum invenisset, Homobonus satius duxit eam facere suam, tum ad damnum antea perlatum sarciendum, tum ne eandem sortem rursus incurreret, tum quia audierat bona vacua illius esse qui prior occupaverit; at graviter a confessario correptus, tantum pecuniae pauperibus largiri iubetur quantam retinuerat. Demum cum monile baccatum invenisset, vir bonus reliquit illud in via ne se denuo in tricas coniiceret: sed eheu!

incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim;

namque a confessario vehementer obiurgatur cogiturque largam pauperibus stipem tribuere, quia monile in via relinquens iniustum domino intulit damnum.

Quaeritur I°. Ad quem spectant res amissae?

Q. II°. Quid earum inventori sit agendum?

Q. III°. Quid de confessario et Homobono?

Quaestionum solutio.

283. — Resp. ad I Q. *Res amissae*, quae et *deperditae* vocantur, illae sunt quae domino inscio et invito exciderunt, itidem fere ut avis quae manu tenentis evasit. Ex hoc patet quo nomine res amissae distent a *vacuis*, quae nullius unquam in dominio fuere; a *vacantibus*, quae ab eo relinquuntur qui intestatus decedit haeredes necessarios non habens, aut iis haereditatem repudiantibus; a *derelictis*, quae dominus abiecit. Hae omnes domino carent, contra res amissae domini sunt quamdiu ad eum redire possunt, qui quamvis manu eas non teneat, adhuc tenet animo. *Quamdiu ad dominum redire possunt*, inquimus, nam si nequeant a domino recuperari, aliter sentiendum, ut mox dicturi sumus.

284. — Resp. ad II Q. I°. Amissae rei inventor necesse est in primis dominum sedulus quaerat: etenim valentem alterius damnum sine gravi suo incommodo impedire, iubet caritas impediat. Diligentia autem in quaerendo domino tanta adhibeatur oportet quantam in-

(1) Luc., XVI, 8.

ventae rei pretium expostulat (1). An vero ex iustitia ad dominum quaerendum inventor obligetur, affirmant quidam dicentes adesse quasi-contractum, quem *gestionis* vocant, cuius vi rem alienam apprehendens censetur onus in se suscipere dominum inquirendi: quapropter, domino non comparente, tanquam iniustus rei alienae detentor iam esset habendus, qui eam sibi nullo pacto vindicare potest, sed pauperibus tribuere vel in pios usus impendere debet (2). Verum obligatio iustitiae in universum asserenda non videtur, nisi forte inventor rem tollendo viam occluserit domino, vel saltem difficiliorem fecerit, rem suam recuperandi (3).

285. — II°. Si diligenti inquisitione peracta dominus non appareat, quid inventori sit agendum, quaestio est inter theologos iurisque doctores agitatissima, de qua pauca.

Sententia quam veteres communiter docuere, quamque ceu magis piam et tutam plerique suadere solent, res inventas pauperibus vel piis usibus adiudicat. Nititur haec sententia potissime in praesumpta domini voluntate: nam qui rem suam recuperare non valet, censetur velle in pios usus vel pauperibus tribuatur, ut in animae bonum cedat quae in bonum corporis cedere nequit (4). Firmatur haec sententia auctoritate *Catechismi Romani* aperte dicentis: *Si rerum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda* (5). Poterit autem inventor, qui sit pauper, rem retinere: quod palam est.

Verum sententia quam Dominicus Soto primus haesitanter proposuit (6), plerique deinde probabilem habuere (7), non pauci praesertim e recentioribus amplexati sunt, affirmat licere inventori, diligenti domini inquisitione frustra peracta, rem sibi vindicare quasi domino carentem (8). Sane rerum dominia duplici vinculo constant, physico

(1) Sporer, tr. VI, c. I, 183; La Croix, l. III, p. II, 87; Bouvier, *De iustitia*, c. II, a. I, § IV, p. II.

(2) Haunoldus (apud Carrière, *De iustitia*, 332); Voit, I, 862; Gury, I, 576; Ballerini ad Gury, I, 576; Bucceroni, *De septimo Decalogi praecepto*, II, 890; Génicot, I, 485.

(3) Carrière, l. c.; D'Annibale, II, 132.

(4) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXII, a. V, ad 3^{um}; Navarrus, *Enchir.* c. XVII, 171; *Summa Sylvestr.*, v. *Inventum*, 2; Lessius, *De iustitia*, sect. II, c. XIV, dub. VII; Sporer, 182; Reiffenstuel, tr. VII, dist. V, 8; Bonacina, *De restit. in genere*, disp. I, q. III, p. IV, 3, 15; Bouvier, l. c.; Guillois, *Catechismo*, vol. II, lez. XX.

(5) *Catechismus R.*, p. III, *De VII praecepto*, XVII.

(6) *De iustitia*, l. V, q. III, a. III, ad 2^{um}.

(7) Reiffenstuel, 8; Lugo, disp. VI, 138; La Croix, 89, *probabilem* appellant; Laymann, l. III, p. II, 89, *valde probabilem*; Gousset, I, 705, *probabilem*.

(8) E recentioribus Gury, I, 578; Frassinetti, I, nota 67; D'Annibale, l. c.; Lehmkuhl, I, 1090; Tanquerey, *De iustitia*, 228, 229; Costantini, 374; Piscetta, III, tr. *De iustitia*, 123; Sebastiani, *Summarium*, 276; Bucceroni et Génicot, II.cc.

nempe atque morali; utroque autem resoluto, dominium cessat. Iam vero, quum dominus rem amissam recuperare iam non valet, facto et animo res ab eius potestate eximitur fitque nullius, non secus ac fera quae, laqueo contrito, pristinam adepta est libertatem (1). Fundamentum in quo prior sententia insistit, scilicet praesumpta domini voluntas, maxime nutat: quandoquidem dominus potius praesumendus est velle ut res sua pauperibus eam protinus consumpturis non tribuatur, sed penes inventorem maneat, tum quia facilius eam poterit recuperare, tum quia inventor, spe illectus rei sibi demum vindicandae, ad eam colligendam servandamque exstimulabitur. Ad haec, quid discriminis inter thesaurum et rem amissam cuius dominus reperiri nequit? Porro si res amissa ex praesumpta domini voluntate in pios usus impendenda foret, quidni et thesaurus?

Est et tertia sententia, quae parum a secunda differt sed eam quadantenus moderatur et explicat. Haec in duo veluti genera res amissas diducit: quorum alterum res complectitur quas probabile est adhuc a domino recuperari posse; alterum vero illas quarum dominus, omnibus inspectis, nequit uspiam reperiri. Priores in dominio manent eius qui amisit, propterea vel servari debent vel, si servari nequeant, in pios usus impendi ex praesumpta domini voluntate: posteriores vero, quasi res nullius, in dominium inventoris cedunt. Difficultatis punctum in eo est ut definiatur, quando res deperdita a prioris domini potestate ita sit subducta, ut vinculum physicum et morale quo tenebatur abruptum sit censendum. Hanc sententiam Lugo primus tradidit, quem La Croix et S. Alphonsus secuti sunt (2).

286. — III°. Quid si rei amissae dominus compareat? Si res adhuc existat in se vel in aequivalenti, profecto domino est reddenda, qui eius dominium non amiserat. Si vero res consumpta fuerit vel in pios usus erogata quum adhuc spes aderat dominum inveniendi, tunc rei pretium vel id in quo quis factus est ditior domino restituendum est; censetur enim res tributa sub conditione, seu cum onere restituendi eam domino si forte comparuerit; contra nulla adest restituendi obligatio si quum fuit ab inventore consumpta, vel in pios usus distributa, omnis inveniendi dominum spes conciderat, nam e potestate domini res censebatur erepta (3).

287. — Resp. ad III Q. Eleemosynam Homobono praepropere suggerendo, plane consilii inopem se confessarius probavit, quandoquidem ante quaerendus erat crumenae dominus quam argentum eius distraheretur: quapropter homini bono imprudens homo grave intulit damnum. Male se gessit Homobonus inventam deinceps pecuniam, domino non quaesito, sibi statim vindicando; etenim neque res de-

(1) Vide Lugo, 103 et Rosmini, *Diritto*, I, 1048.
(2) Lugo, 140, 141; La Croix, 89; S. Alphonsus, III, 603.
(3) S. Alphonsus, 590; Voit, I, 778.

perditae bonis vacuis accensentur, neque fas est damnum iniuste ab altero sibi illatum cum alterius insontis damno compensare: debuit proinde dominum inquirere ad pecuniam ei reddendam, quam retinere sibi fas non erat, nisi forte ignotus dominus eam nullatenus recuperare potuisset. Male etiam se gessit baccatum monile in via relinquens: suadet enim caritas res inventae colligantur, quo facilius a domino recuperari valeant. At fortasse vir bonus, ab imprudente confessario male mulcatus, potuit ob suam simplicitatem a peccato excusari. Certe contra iustitiam non deliquit: quapropter inique prorsus confessarius ad largam stipem pauperibus tribuendam illum adegit.

LXXVI.

Aurelius per viginti annos Tiburtii agrum mala fide possedit, quem moriens Polydoro filio reliquit. Polydorus, malam patris fidem prorsus ignorans, per decem annos agrum tenet, quibus elapsis, en Tiburtius invictis argumentis ostendens agrum esse suum.

Eugenius vi contractus ad legum normam initi riteque transcripti villam emit a quovis onere liberam. Contendit Maurus annuo canone sibi debito villam esse gravatam; at syngrapha, quam iuri suo tuendo profert, tanquam inepta a iudice reiicitur. Subinde tabulas exhibet ius suum luculentissime commonstrantes: at quoniam inde ab venditione villae decennium iam fluxit, iudex omne ius Mauri praescriptione extinctum pronunciat.

Petronilla Martinae pratum per decem annos mala fide possessum filio suo Eusebio per testamentum relinquit, Eusebius post decem annos agrum vendit Anselmo. Elapso a venditione decennio, Martina ius suum prosequitur.

Quaeritur I°. Quid est praescriptio et quotuplex?

Q. II°. Quibus rationibus praescriptio innitatur et quo iure sit inducta?

Q. III°. Quaenam ad praescribendum conditiones requiruntur?

Q. IV°. Quae praescriptionis vis in foro conscientiae?

Q. V°. An in propositis facti speciebus praescriptio obtineat?

Quaestionum solutio.

288. — Resp. ad I Q. Praescriptio definiri potest: *Modus iuris acquirendi vel se ab aliqua obligatione liberandi per certum temporis lapsum et sub praefinitis conditionibus* (1). Quae definitio duplicem praescriptionis speciem complectitur, *acquisitivam* scilicet quam veteres usucapionem appellabant, et *liberativam* seu *extinctivam*, quae magis proprie praescriptionis nomen obtinebat. Praeter hanc distinctionem praescriptio diduci solet in *ordinariam*, quae decennio aut

(1) *Codex italicus*, art. 2105, cui consonat *Codex gallicus*, art. 2219.

infra decennii spatium absolvitur, et *extraordinariam*, quae tricennio aut supra tricennii spatium finitur.

289. — Resp. ad II Q. I°. Enrationes quae praescriptionis aequitatem et iustitiam commendant. Omnium interest, nimirum tam reipublicae quam singulorum civium: 1° ut rerum dominia in perpetuum incerta non maneant; 2° ut infinitis litibus praecludatur aditus; 3° ut possessores iugi evictionis timore non teneantur; 4° ut dominorum excutiatur segnities ceteris obfutura; 5° praeterea (quod praescriptionem extinctivam speciatim respicit) ex creditoris silentio praesumptio nascitur peractae debiti solutionis; 6° aequum est ut post certum temporis spatium liberetur debitor ab onere testimonia seu documenta peractae solutionis servandi; 7° praestat ut damna saepe gravissima caveantur quae debitori eiusque familiae ex creditoris desidia obvenire possunt.

290. — II°. Praescriptionem ipso naturae iure quandoque obtinere posse pro certo habemus. Etenim (ut de rebus amissis agentes innuimus) quum quis ad longum tempus aliena re utitur, putans bona fide illam esse suam (idque palam facit, domino vidente nec de violato iure suo conquerente), vinculum illud solvatur necesse est quo res iungebatur domino, simulque novum superinducatur vinculum quo res illi iungatur qui eam pacifice tenet: quo facto rei dominium ex altero in alterum transiisse dicendum (1). Verumtamen quia saepe difficile est definire an et quando, priore soluto vinculo, novum sit inductum, supervenit lex humana, ob commune bonum conditiones quasdam constituens ad praescribendum necessarias. Hinc dicere possumus, praescriptionem iuri naturae maxime consentaneam esse, plenam tamen absolutamque vim suam ab humana lege recipere (2).

291. — Resp. ad III Q. Conditiones ad praescribendum requisitae noto versiculo continentur:

Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

I°. *Res apta*, quae nempe sub dominio cadere possit. Eximuntur a praescriptione quae iuri naturali adversantur, quae Deo sunt sacra (v. c. templa, sacella, coemeteria) iura spiritualia quae laicis tribui nequeunt (v. c. ius absolvendi, percipiendi decimas, beneficia conferendi), quae privatorum dominio non sunt obnoxia (v. c. viae publicae, litora maris, portus) et quae lex ipsa praescriptioni subtrahit (3).

(1) Rosmini, *Diritto*, I, 1047-1050.

(2) Lugo, *De iustitia*, disp. VII, 7; Bouvier, p. I, c. II, a. I, § IV, sect. III; Tanquerey, *De iust.* 243. Hac ratione componitur communior theologorum sententia, praescriptionem repetens a iure humano, cum sententia quam recentiores iurisperiti cum Grotio, Puffendorf, Delvincourt, Troplong, Merlin tuentur, a iure naturae eam derivantes. Vide Carrière, *De iustitia*, 402.

(3) Reiffenstuel, tr. VII, dist. VII, 16-19; La Croix, l. III, p. II, 501-506; S. Alphonsus, III, 515, ceterique; *Codex italicus*, art. 501-506; *Codex iuris canonici*, can. 1509.

292. — II°. *Fides*, quae et *bona fides* dicitur, est firma rectaque persuasio qua quis rem aliquam existimat esse suam (1). Haec est bona fides *theologica*, quae discriminatur a *iuridica*, in eo posita ut extrinseca desiderentur argumenta ad malam cuiuspiam fidem comprobandam. Ut in foro exteriori praescriptio valeat, bona fides iuridica requiritur et sufficit (excepta, ut dicemus, praescriptione tricenaria); ut valeat in foro conscientiae, utraque requiritur: theologica, quia ea deficiente possessor a fure non differt; iuridica, quia ex lege civili praescriptio plenam vim capit (2). Est regula iuris: *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit* (3). Et Lateranense IV Concilium: *Synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis: unde oportet ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae* (4). Cui consonat hoc *iuris pontificii* scitum: *Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito* (5).

Hic quaeri potest, an culpa levis, ignorantia, dubium, mala fides auctoris obsint bonae fidei ad praescribendum necessariae. 1°. *Culpa levis* bonam fidem non inficit: nam si quaevis negligentia vel minima in excutiendis dubiis obesset bonae fidei, vix unquam tuta conscientia quis praescribere posset (6). 2°. *Ignorantia* alia est facti, alia iuris: illa, modo invincibilis sit et sine culpa, bonam fidem non aufert; haec vero, quamvis invincibilis sit et inculpata, bonam fidem infirmat. *Iuris ignorantia in usucapione negatur prodesse; facti vero ignorantia prodesse constat* (7). 3°. *Dubium* aliud possessionem antecedit, aliud possessioni inchoatae supervenit. Dubium antecedens bonam fidem adimit: qui enim possessionem inchoat dubitans an res aliena sit vel nullius, nequit animo domini rem possidere; eapropter, nisi dubium ponere valeat, debet rem cum eo partiri de quo dubitat an dominus sit, vel tanquam rem incerti domini eam spectare. Quod si dubium inchoatae possessioni supervenerit, neque elui possit, plu-

(1) S. Alphonsus, III, 504; Gury, I, 589; Scavini, II, 357; Del Vecchio, II, 82; D'Annibale, II, 119, nota 10; Sebastiani, 279; Bucceroni, *De septimo praecepto*, 925; Guillois, *Catechismo*, vol. II, lez. XX; Ferreres, *Epitome*, 371, V; Génicot, I, 491.

(2) Laymann, l. III, tr. I, c. VIII, 10; S. Alphonsus, III, 511; Tanquerey, 256.

(3) *Reg* 2 iuris in 6°.

(4) Quo pacto cum Lateranensis concilii definitione componi queat sententia docentium cum Piscetta (III, tr. *De iustitia*, 145) ad decennalem praescriptionem sat esse ut bona fide possessio inchoata fuerit, perspicere non valemus; perspicaciores videant.

(5) *Codex iuris canonici*, can. 1512.

(6) Lugo, 37; Bouvier, l. c., prop. I; S. Alphonsus, l. c.

(7) L. 4, ff. *De iuris et facti ignorantia*.

rium sententia est, dubitanti fas esse praescribere illi regulae innixo: *In dubio melior est conditio possidentis* (1). Verum, etsi possessio praesumptionem aliquam possessori faventem inducit, eius tamen vis per dubium subortum enervatur, bona possessoris fides plus minus vulneratur, qui iam nequit animo domini possidere: quocirca, iis cohaerentes quae in tractatu *De conscientia* professi sumus, putamus dubio manente rem pro dubii rata esse dividendam inter possessorem et illum de quo ambigitur an sit dominus (2). 4°. *Mala auctoris fides*, successori ante nota quam praescriptio absolvatur, huius bonam fidem laedit et praescriptionem infirmat. Quod si mala auctoris fides nota non fuit, ei nocet qui titulo universali, scilicet ut haeres succedit, nam ex iure haeres unam cum defuncto personam facere censetur; non autem ei nocet qui titulo particulari (ut puta emptoris, donatarii, legatarii) succedit, hic enim ceu persona ab auctore distincta spectatur, quae possessionem per se incipit, quin praecedentis possessionis vitia recipiat (3). Quia tamen haeres et defunctus nisi *ob fictionem iuris* una persona non sunt, propterea si quando lex bonam fidem (iuridicam nempe) ad praescribendum non requirit, sufficere videtur et in successore universali bona fides theologica (4).

293. — III°. *Titulus* est ratio seu causa ob quam quis possessionem inchoavit. Titulus hoc sensu est ad praescribendum necessarius, quatenus si certo constet possessionem sine titulo aut cum titulo vitioso inchoatam fuisse, possessio non prodest. *Vitiosus* appellatur titulus qui aliqua legali solemnitate caret, ideoque natura sua ineptus est dominio transferendo; de hoc titulo instar axiomatis dicitur: *Melius est non habere titulum quam habere vitiosum*. Titulus *coloratus* hoc nomine a vitioso distat, quod specie quidem validus est, quippe qui formam prae se fert veri tituli, sed occulto vitio laborat; v. c. si quis per actum authenticum rem emat ab eo qui dominus putatur cum non sit: titulus iste, modo cum bona fide iungatur, ad decennariam praescriptionem sufficit (5). In praescriptionibus longissimi temporis sufficere potest et titulus *praesumptus*, sine quo bona fides concipi nequit: in quo eventu ipsa possessio tituli locum tenet, quatenus ob temporis diuturnitatem veri tituli memoria obliterata censetur. Excipe si quando aliud iure cautum sit: v. gr. ut quis contra parochialem Ecclesiam decimas praescriberet, iure antiquo vigente, statu-

(1) Lugo, 17; Laymann, 10; Sporer, tr. VI, c. I, 210; Reiffenstuel, 12; Natalis Alexander, *De Decalogo*, c. IX, a. IV, Regula XL; Voit, I, 883; S. Alphonsus, l. c.; Génicot, l. c.

(2) Collet, *De iustitia*, c. II, p. III, § III; Bouvier, l. c. cum Soto, Ledesma, Gerdil et aliis quos citavimus in tractatu *De conscientia*, n. 35, nota.

(3) Laymann, 18; Sporer, 212; La Croix, 490, 491; S. Alphonsus, 512.

(4) Carrière, *De iustitia*, 479 et seq.

(5) Vide *Codicem italicum*, art. 2137.

tum erat ut praeter quadragenariam possessionem titulum vel immemorabile tempus praetendere posset (1).

294. — IV°. *Possessio* est detentio rei tanquam propriae. Regula iuris est: *Sine possessione praescriptio non procedit* (2). Sunt qui rentur possessionem ad praescriptionem acquisitivam dumtaxat requiri; verum et in liberativa dici potest, possideri libertatem ab aliqua re praestanda (3). Possessio esse debet: 1° *animo domini*, proinde qui rem alieno nomine tenet (v. c. emphyteuta, commodatarius, procurator) non praescribit; 2° *pacifica*; 3° *publica*, idest quae ceteris pateat; 4° *certa* seu non aequivoca; 5° continua, scilicet *non interrupta*, interrumpitur autem *naturaliter* et *civiliter*; naturaliter, si res per aliquod tempus (non minus anno) ab alio fuerit possessa, vel bona fides in possessore desierit, civiliter si possessor in ius vocetur vel quoquomodo ius illius agnoscat contra quem praescriptio currit. Haec communis doctrina, antiquis et hodiernis legibus plane conformis.

295. — V°. *Tempus* ad praescriptionem requisitum iure naturae non est constitutum sed humano, pontificio nempe et civili. Praescriptiones aliae *longissimi temporis*, aliae *longi*, aliae *brevis*, aliae *brevissimi* dicuntur. Longissimi temporis sunt immemoriales, centenariae, quadragenariae (quae omnes iure pontificio atque ad Ecclesiae iura tuenda sunt constitutae) et tricenariae quae et lege civili sanciuntur; longi temporis, quae decennio absolvuntur; brevis, quae quinquennio; brevissimi, quae infra quinquennium. Hodie longissimi temporis praescriptio non obtinet nisi ad Apostolicae Sedis iura salva tecta servanda, nam *Codex pontificii iuris* canone 1511, § 1 haec statuit: *Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur*, Et § 2: *Quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio triginta annorum.*

296. — Resp. ad IV Q. Praescriptio seu acquisitiva seu liberativa in utroque foro vim habet, dummodo debitis conditionibus sit instructa neque in sola praesumptione facti nitatur. Haec hodie una omnium sententia est, quam paucis suadere aggredimur. Leges illae iustae dicendae sunt atque servandae quae nemini iniuriam faciunt atque ad reipublicae bonum omnino sunt necessariae. Iamvero leges praescriptionem sancientes, in antecessum spectatae, neminis ius laedunt, quippe quae (instar aleatorii contractus) hodie tibi nocere, cras prodesse poterunt. Reipublicae autem bonum leges eiusmodi expostulare, luce clarius patet ex iis quae supra diximus quum rationes expendimus quae praescriptionem commendant. Cum ergo leges eiusmodi

(1) Reiffenstuel, 15; Sporer, 205; Laymann, 14; Voit, I, 884; Sebastiani, 279.

(2) *Reg.* 3 iuris in 6°.

(3) Lugo, 14.

et iustae sint et ob publicum bonum ferantur, consequens est et in foro conscientiae eas obtinere. Praeterea, si secus esset, leges hae fere inutiliter conderentur, nemo enim bene moratus ac pius auderet unquam talium legum patrocinium invocare. Idque firmatur definitione Lateranensis Concilii supra relata et pluribus iuris pontificii testimoniis praescriptionem probantibus (1). Et *Codex iuris canonici*, paucis factis exceptionibus, hac statuit: *Praescriptionem, tanquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit* (2).

297. — Praescriptiones excepimus quae in sola praesumptione facti nituntur; nam si factum non existit, ipsa praescriptio, fundamento labente in quo nititur, corruat necesse est. Hinc statim inferimus, praescriptiones longissimi item ac longi temporis, quae in praesumptione iuris fundamentum habent, et in foro conscientiae obtinere; contrarium vero dicendum de praescriptionibus brevissimi temporis, quae in praesumptione facti nituntur, idest in praesumptione extincti debiti seu peractae solutionis, haec enim praesumptio cadit ubi facti fundamentum deest (3). Id ipsa lex innuit, quae quamvis ad plura incommoda submovenda creditori actionem deneget, permittit tamen deferatur debitori iuramentum quo debiti sui extinctionem demonstret. Ex hoc palam fit, ex ipsa legislatoris mente praescriptiones eiusmodi in exteriori foro dumtaxat obtinere, quin eis prosint quibus bona fides theologica defuit (4). De praescriptionibus brevis temporis, idest quinquennalibus, an debitoris conscientiam liberent, disceptatur; ut plurimum hisce praescriptionibus obest praescribentis mala fides (5).

298. — Resp. ad V Q. Bona fides iuridica ad tricenariam praescriptionem non requiritur; cumque in Polydoro malam patris fidem ignorante bona fides theologica adfuerit, videtur et in foro conscientiae praescribere potuisse. Obiicies, haeredem unam cum auctore suo de-

(1) S. Thomas, *Quodlib.* XII, a. XXIV; Navarrus, *Enchir.* c. XVII, 85; Reginaldus, *Praxis*, l. X, 300; Reiffenstuel, 5; Lugo, 5; Sporer, 192; Billuart, diss. IV, a. III, § XI; S. Alphonsus, 517; Carrière, 418; Génicot, 492; Ferreres, 370.

(2) *Codex iuris canonici*, 1508.

(3) Lugo, 55; Billuart, § IV; Bouvier, l. c., prop. II; S. Alphonsus, 516; Gousset, I, 719; Carrière, 426; Rosmini, *Coscienza*, 651, nota; Gury, I, 588; Lehmkuhl, I, 1103; Cerato, *De iustitia*, 59; Génicot, I, 494.

(4) *Codex italicus*, art. 2138-2143. Ceteri Codices italico fere in omnibus cohaerent.

(5) Affirmat D'Annibale debitorem liberari (154, nota 23); eique consentit Génicot, l. c.; idem sentire videtur Costantini (472); negant Bouvier et Gousset (ll. cc.); negat Gury de primo debitore, non autem de eius successore (588); negat Sebastiani (280) de primo debitore eiusque successore universali, affirmat vero de successore titulo particulari; anceps haeret Tanquerey (262).

functo personam facere; at enim nisi per fictionem iuris hoc non dicitur, nam re vera pater et filius duae sunt personae, et mala illius fides nequit huius bonam fidem auferre.

Eugenius vi contractus rite initi atque transcripti post decennium possessionis licite praescribere valet, dumne bona fides theologica atque iuridica defuerint illi: per syngraphum autem a iudice reiectam praescriptio non interrumpitur (1).

Anselmus, si bona fide et per contractum rite initum atque transcriptum pratum emit, elapso possessionis decennio, licite illud praescribit. Mala Petronillae fides nisi Eusebio haeredi suo nocere non potest.

LXXVII.

Modestinus bona fide agrum a non domino acquirit per emptionem ad legum normam exactam. Lucillus Modestini filius, probe sciens agrum venditoris non esse, patrem non monet. Modestino vita functo, agri verus dominus Lucillum urget ad agrum male possessum sibi reddendum; renuit Lucillus decennariam praescriptionem obtendens. Ad haec famulis suis et operariis, mercedem quaerentibus ob praestitas defuncto patri operas, satisfacere detrectat quia biennium a patris morte iam fluxit, haec autem iura biennio praescribuntur.

Quaeritur I°. An in priore facti specie praescriptio Lucillo prosit?

Q. II°. An patrem non monendo peccaverit debeatque agri domino damna sarcire?

Q. III°. An in altera facti specie liceat Lucillo praescriptionem obtendere?

Quaestionum solutio.

299. — Resp. ad I Q. Cum Modestinus vi legitimi contractus agrum bona fide acquisierit possederitque per totum tempus ad praescribendum necessarium, iure illum praescripsit ac tuta conscientia retinere potuit, scientia enim filii bonam patris fidem auferre nequit. Quamobrem Lucillo filio et haeredi suo agri dominium transmisisse dicendus (2).

300. — Resp. ad II Q. Certe Lucillus silentio suo damnum fundi domino obventurum permittens, quod patrem monendo impedire potuisset, graviter in caritatem offendit; quia tamen nulla iustitiae obligatione damnum impediendi tenebatur, ad illud reparandum adigi nequit. Aliis verbis: Lucillus causa negativa (quam vocant) extitit damni; causae autem negativae non imputatur damnum, nisi ob peculiarem iustitiae titulum illud impedire debuisset (3). Ceterum, sin

(1) *Codex italicus*, art. 2128.
(2) D'Annibale, II, 140; nota 8; Gousset, I, 721.
(3) Gury, *Casus*, I, 539.

minus iustitiae, caritati et aequitati maxime congruere videtur, ut grave damnum quod sciens volens non impedivit Lucillus sarciat, ne cum alterius damno lucrum ex sua culpa reportet.

301. — Resp. ad III Q. Quamquam quidam putant haeredi qui bona fide debitum ignorat fas esse brevioribus praescriptionibus uti, neutiquam tamen iis consentire possumus; etenim ad innumeras praecavendas lites civilis lex actionem in exteriori foro creditori denegat; per denegatam autem in exteriori foro actionem satis legis finis obtinetur, quin opus sit quempiam mercede sua fraudare, quod oppido iniquum est (1). Recole quae de praescriptionibus brevissimi temporis superius diximus n. 297.

LXXVIII.

Meliboeus pastor vicini ovem et agnum furatus est, eiusque capellas plus semel mulsit. Conscientia suorum scelerum exagitatus veniam a Deo flagitat, et post mensem a patratis furtis Pelagium sacerdotem adit peccata sua Poenitentiae Sacramento expiaturus. Quem auditum Pelagius acriter increpat, quasi graviter peccaverit ob dilatam per mensem restitutionem, eumque absolvere detrectat nisi prius restitutione peracta.

Quaeritur I°. Quid est restitutio et quae eius necessitas?

Q. II°. Quotuplex restitutionis radix?

Q. III°. An et quatenus peccet qui restitutionem differt?

Q. IV°. Quid de Pelagio eiusque agendi ratione?

Quaestionum solutio.

302. — Resp. ad I Q. I°. Restitutio definiri potest: *Alieni iuris redintegratio*, vel expressius: *Actus iustitiae commutativae quo ius alienum formaliter vel materialiter laesum instauratur*. Dicitur 1° actus iustitiae commutativae, quia per restitutionem redditur alteri quod suum est, seu inaequalitas aufertur per iuris violationem inducta, quod ad iustitiam commutativam pertinet. Dicitur 2° *quo ius alienum formaliter vel materialiter laesum instauratur*, quae verba duplicem restitutionis radicem innuunt, de qua propediem (2).

303. — II°. Missis SS. Scripturarum, SS. Patrum et doctorum testimoniis, ipsa ratione duce restituendi necessitas facile conficitur. Nam ipsa ratio, quae ius alienum illaesum servare iubet, laesum iubet instaurare; haec autem instauratio nisi per restitutionem non

(1) Lehmkuhl, *Casus*, I, 185.

(2) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. LXII, a. I; Navarrus, *Enchir.* c. XVII, 6; Laymann, l. III, tr. II, c. I, 4; Sporer, tr. IV, c. II, 1-8; S. Alphonsus, III, 547 et ceteri communiter.

fit. Quapropter, vix alieno iure violato, restitutionis obligatio surgit, adeo ut restitutionis dilatio vel omissio instar continuatae iuris laesionis habeatur. Quia tamen sive ob laedentis impotentiam sive ob aliam causam restitutio non semper confestim fieri potest, propterea necessaria dicitur *in re* vel *in voto*, in proposito scilicet restituendi cum primum fieri possit. Communius autem docent, restitutionem non esse necessitate medii necessariam ad salutem, quia ad gratiam conferendam non ordinatur, sed necessitate praecepti tantum, nempe ad peccatum vitandum quod saluti obest (1). Melius fortasse dicendum, restitutionem *in re* non esse necessitate medii necessariam, bene vero restitutionem *in voto*, ea enim deficiente, salus animae obtineri nequit (2).

304. — Resp. ad II Q. Restitutionis radices appellantur causae illae ex quibus restituendi obligatio manat. Ex violata iustitia commutativa omnis restituendi obligatio proficiscitur; et quia bifariam iustitiam commutativam violari contingit, *materialiter* scilicet atque *formaliter*, idcirco duplex radix restitutionis proxima numeratur, *res accepta* et *acceptio iniusta*, seu *iniusta damnificatio*. 1° *Res accepta* sine accipientis culpa, hoc est sine formali iniustitia. Enimvero cum res aliqua, inscio domino vel invito, in alterius potestatem incidit, non solvitur morale vinculum quo domino suo tenebatur; quapropter rei detentor, vixdum cognoscit eam esse alienam, domino reddat oportet ne fiat detentor formaliter iniustus. 2° *Acceptio iniusta* seu *iniusta damnificatio*. Hac ius alienum formaliter laeditur, idest cum laedentis culpa; et quia laesio perdurat donicum per restitutionem reparetur, propterea eadem lex quae ius alienum laedere vetat, laesionem iuris vetat continuare (3). Sunt qui restitutionis radicibus *contractum* accensent et *legem*, quia ex contractu et lege violatis obligatio oriri potest restituendi. Verum frustra restitutionis radices multiplicantur: nam lex et contractus non sunt nisi tituli quidam ex quibus ius aliquod exsurgit; iure autem exstante, eius violatio contingere nequit nisi per materialem vel formalem laesionem, videlicet per rem acceptam vel per acceptionem iniustam.

305. — Resp. ad III Q. Iuverit in primis animadvertere, restitutionis praeceptum partim affirmativum esse, partim negativum: quandoquidem et iubet rem alienam reddere et retinere vetat. *Praeceptum de restitutione facienda*, ita Angelicus Doctor, *quamvis secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum praeceptum, quo prohibemur rem alterius detinere* (4). An vero sit primario affir-

(1) S. Thomas, q. c., a. VI; Laymann, c. II, 1; Sporer, 25-28.

(2) Gury, I, 626; Sebastiani, *Summarium*, 320; Ferreres, *Epitome*, 391.

(3) Laymann, 2; La Croix, l. III, p. II, 18; Voit, I, 773; S. Alphonsus, 548; Tanquerey, *De iustitia*, 465.

(4) Q. cit., a. VIII, ad 1^{um}.

mativum vel negativum quaestionis est, quae cum vix illius momenti sit ad praxim quod spectat, in ea non immorabimur (1).

Hisce positis certum est, praeceptum restitutionis *quatenus negativum* statim obligare, nempe ab eo temporis puncto quo quis rem alienam tenere vel iniustum damnum se cuipiam intulisse pernoscit, adeo ut statim propositum elicere debeat restituendi quamprimum. Hoc autem *quamprimum* non est mathematice accipiendum, nam praeceptum *quatenus affirmativum* obligat ad actum suo tempore praestandum: non ergo quaevis dilatio erit culpanda, ipse enim dominus permittere censetur ut restitutio pro opportunitate fiat, nisi ex dilatione grave aut notabile sentiat incommodum (2). Hinc licet inferre: 1° illum peccare qui animadvertens se rem alienam possidere, restitutionis propositum elicere detrectat; et tamdiu in peccato permanere quoad restituere constituat; 2° item toties peccare quoties non restituendi propositum renovat, non vero probabilius ob solam dilationem vel ob neglectam occasionem restituendi (3); 3° illum non peccare qui iustam ob causam restitutionem differt, v. g. ob grave famae, vitae, fortunae dispendium quod sibi suisve veretur, vel ut commodius (dumne cum pari creditoris damno) restituat, dominus enim hisce in adiunctis rationabiliter invitus esse non potest (4).

306. — Resp. ad IV Q. Increpandus Pelagius quod acriter Meliboeum reprehenderit gravisque culpae damnaverit propter dilatam per mensem restitutionem: qui enim in Poenitentiae Sacramento ministrando Christi personam gerit, peccatores suorum criminum dolentes humanissime excipiat oportet: dilatio autem restitutionis per mensem potuit gravi culpa, immo fortasse et levi carere. Ad absolutionem vero impertiendam quod spectat, expedit quidem plerumque (*regulariter*, ait S. Alphonsus) restituere valentem non absolvere nisi restitutione peracta, quia experientia compertum est, absolutione obtenta, raro restitutionem fieri; attamen, ipso Sancto docente, si poenitens vere se paratum ad restituendum ostendat, neque possit confestim restituere (adderem quoque, si poenitentis bonum postulat ut Sacramenti gratia ei non differatur), semel poterit absolutione donari, immo bis et ter in certis rerum adiunctis, quemadmodum Lugo et Salmanticenses docent, et S. Alphonso *probabilissimum* est. Ex adiunctis ergo iudicandum, rectene vel minus Pelagius se gesserit Meliboeo absolutionem detrectans (5).

(1) Primario affirmativum esse contendunt (post S. Thomam) Sporer (32), Laymann (2), Lessius, Soto, Vogler; negativum vero Lugo (*De iust.* disp. VIII, 18) cum Molina, Salmanticensibus, Tanquerey.

(2) Navarrus, 55; Sporer, c. III, 119-124; Lugo, 19; Ferreres, *Epitome*, 431; Génicot, I, 556.

(3) Lugo, *De poenit.* disp. XVI, 549; Sporer, 121; La Croix, l. V, 181; S. Alphonsus, 683, V, 40. Recole dicta de proposito n. 156.

(4) Laymann, c. X, 2; Voit, 779; S. Alphonsus, III, 679; Génicot, I, 557.

(5) Segneri, *Il confessore istruito*, c. X; S. Alphonsus, III, 682.

LXXIX.

Silvester argenteam crucem famulo donat, pretiosam tabulam extraneis mercatoribus vendit, Lucio concivi vas gemmis distinctum, quae omnia inter bona paternae haereditatis invenerat. Post paulo Marius certis argumentis vincit res illas esse suas; propterea vas a Lucio recuperat, pretium vero crucis et tabulae a Silvestro repetit, namque famulus et mercatores longius aberant.

Quaeritur I°. An bonae fidei possessor qui rem alienam donavit, quidquam domino restituere debeat?

Q. II°. An restituere debeat si rem vendiderat?

Q. III°. An debeat emptorem indemnem praestare?

Q. IV°. Quid in proposita facti specie?

Quaestionum solutio.

307. — Resp. ad I Q. Ut quaestiones nostrae certis definitae limitibus planiores fiant, e vestigio animadvertas velim: 1° nos loqui de bonae fidei possessore qui rem alienam nondum praescripsit, qui enim praescripsit iam suam fecit; 2° de eo qui gratuito rem accepit, nam si titulo oneroso (v. c. emptione) illam acquisivisset, alia propositis quaestionibus danda esset responsio.

Quibus animadversis dicimus, rem donatam, necdum consumptam, a donatario restituendam esse domino, cum enim rei alienae donatio irrita sit, dominium in donatarium transferre nequit. Possessor autem bonae fidei qui eam donavit, nihil domino debet: etenim nullus adest restituendi titulus, non *res accepta*, quia dono data fuit; non *iniusta acceptio*, quia bona fide accepta fuerat (1). Excipe si donando rei suae pepercit quam donaturus fuisset (v. c. ad famulum remunerandum, ad referendam benefactori gratiam): nam parcendo suis de alienis ditatus est (2).

308. - Resp. ad II Q. Si res vendita penes emptorem existat, hic eam reddere debet, namque res clamat ad dominum: attamen solutum pretium recuperare a venditore potest; cum enim pretium ad rei dominium acquirendum solutum fuerit, non acquisito ob rei vitium dominio, venditio ad irritum cedit, propterea solutum pretium emptori restituendum. Quod si res vendita non amplius existat, debet venditor acceptum pretium domino reddere: sane ideo pretium accepit ut rei dominium in emptorem transferret, cum autem non transtulerit,

(1) Laymann, l. III, tr. II, c. III, 1; Sporer, tr. IV, c. II, 103; S. Alphonsus, III, 607; Bouvier, *De iure*, p. II, q. II, a. I, § 1; Sebastiani, *Summarium*, 323; Génicot, I, 524.

(2) Sporer, 108; Bonacina, *De restit. in genere*, disp. I, q. II, p. I, 11; S. Alphonsus, 609; Bouvier, l. c.; Ferreres, *Epitome*, 396; Génicot, I, 526.

inique pretium retinet quod rei domino debitum est. Praeterea, cum ex hypothesi rem gratuito titulo possedisset, pretium reddendo nullum patitur damnum, retinendo vero de alieno ditescit. Haec communis sententia a qua pauculi recesserunt, quorum argumenta imbecilla plerisque videntur (1).

309. — Resp. ad III Q. Utique : quippe cum rem non suam vendiderit, irrita cessit venditio : namque pretium datur pro re, qui autem nullius pretii rem tradit ob insitum vitium, pretium sine iniustitia retinere nequit (2). Idque et civicis legibus cautum est (3).

310. — Resp. ad IV Q. Marius iure prorsus a Lucio vas repetit; Lucio tamen, evictionem passo, pretium recuperare fas est quod Silvestro solverat. Pretium tabulae mercatoribus venditae Silvester Mario reddat oportet; cum enim titulo gratuito (nempe ex patris haereditate) eam acceperit, pretium retinendo damnum inferret domino et de alieno locupletior fieret. At pro cruce famulo donata nihil debet Mario, nisi donando rei suae pepercerit.

LXXX.

Rufus, Camilli equum furatus, per dies viginti retinuit eum. Per decem priores dies quinquaginta argenteos ex illo lucratus est, dum interea Camillus nihil lucratus fuisset; per decem vero posteriores dies ne obolum quidem ex eo lucratus est, dum interea Camillus quinquaginta argenteos fuisset lucratus. Post hos dies moritur equus, sectoque cadavere, periisse dignoscitur morbo quo iamdudum laboraverat, quoque et apud dominum fuisset periturus.

Quaeritur I°. Quaenam obligationes et iura possessoris malae fidei ratione rei sublatae, fructuum et impensarum?

Q. II°. An possessor malae fidei de fortuito rei interitu respondere debeat, quae apud dominum aeque periisset?

Q. III°. Quantum Camillo Rufus reddere debeat?

Quaestionum solutio.

311. — Resp. ad I Q. I°. Ab obligationibus iniqui possessoris auspicantes, quae tum rem possessam tum eius fructus respiciunt, dicimus ex duplici restitutionis radice, scilicet ex *re accepta* et ex *acceptione iniusta*, eas metiri oportere.

Et 1° ad rem sublatam quod attinet, debet iniquus possessor ex *re accepta* eam domino reddere, res enim quamdiu extat ad dominum suum clamat; si autem absumpta vel distracta fuerit quin recuperari valeat, debet pro re pretium solvere. Ex *acceptione iniusta* reficiat

(1) Lugo, *De iust.* disp. XVII, 105; Sporer, 104; Gury, I, 639; Tanquerey, *De iust.* 495.

(2) S. Alphonsus, 800.

(3) *Codex italicus*, art. 1482 et seq.

oportet quidquid detrimenti dominus re sua privatus passus est, sive ob lucrum cessans, sive ob damnum emergens, haec enim imputantur illi cuius causa evenerunt. Hinc, si forte rei pretium creverit quo tempore dominus ea fuisset usurus, pro aucto pretio dominum indemnem praestare debet (1).

312. — 2° Quod spectat ad rei fructus, hi omnes seu *naturales* seu *civiles*, quos malae fidei possessor percepit, ex *re accepta* reddendi sunt domino, quippe tritum adagium est: *Res fructificat domino*. Neque illud officit quod dominus eos non fuisset percepturus, nam ex quo fructus extiterunt ad dominum clamarunt (2). Fructus *industriales*, nempe quos possessor industria sua prompsit, sibi vindicare potest, quippe qui industriae fructus fuere non rei. Quapropter, in eorum sententia qui pecuniam natura sua frugiferam esse negant, si quid negotiando, mutuando, permutando ex ea lucratus est, tamquam industriae partum retinere valet (3); immo, etiamsi demus pecuniam esse frugiferam, plerumque ad usuras reddendas adigi nequit, nam periculo dantis pecunia foeneratur (4). *Plerumque*, diximus, etenim exceptionem mox subiiciemus. Fructus *mixti*, scilicet qui ex re quidem sed per possessoris industriam promuntur, ex parte domino ex parte industrio possessori debentur, quippe partim rei partim industriae fructus sunt (5). Ex *iniusta* autem *rei acceptione* debet possessor iniquus pretium rependere fructuum quos dominus ex re sua naviter exculta percepisset, quamvis non percepit: secus dominus non servaretur indemnis. Eapropter, si dominus pecuniam fuisset foeneraturus (quod hodie moris est) usurae quas inde honeste percepisset ipsi omnino sunt persolvendae (6). Verumtamen, si iniquus possessor fructus aliquot percepit quos dominus non percepisset, contra vero quos is percepisset non percepit, acquitati sin minus apicibus iuris consonum videtur ut pro rata parte compensatio fiat: sic enim dominus servatur indemnis quin ex alterius culpa locupletetur (7). Huc pertinet Tullii sententia: *Ex aequo et bono, non ex callido versutoque iure, vera iudicari oportet* (8).

313. — II°. Possessor iniustus ius habet ut sumptus sibi refundantur, sive necessarii sive utiles, quos pro re aliena servanda au-

(1) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. LXII, a. VII; Navarrus, *Enchir*, c. XVII, 24; Laymann, l. III, tr. I, c. IV; La Croix, l. III, p. II, 210; Sporer, tr. IV, c. II, 131 et seq.; S. Alphonsus, III, 618; Bouvier, *De iure*, p. II, q. II, a. I, § II; Ferreres, *Epitome*, 403.

(2) Laymann, l. c.; La Croix, 216; Sporer, 175; Ferreres, 405.

(3) Navarrus, 26; La Croix, 212; S. Alphonsus, 409.

(4) D'Annibale, II, 243.

(5) La Croix, 212; S. Alphonsus, *Homo apost.* tr. X, 74.

(6) Génicot, I, 531 cum Ballerini.

(7) D'Annibale, 243.

(8) *Pro Caecina*, XXIII.

gendaque sustinuit, nisi prorsus immoderati fuerint. Sumptus autem voluptuarios, quos nempe fecit ad rei ornatum dumtaxat, a domino repetere nequit. Integrum tamen est ei ornamenta auferre quae sine rei detrimento ab ea separari possunt; et si separari sine rei laesione nequeant, impensas in domini commodum quoquomodo cedentes sibi compensare (1). Consonant et civicae leges (2).

314. — Resp. ad II Q. Si res sublata, quae penes iniquum possessorem fortuito periit, certe fuisset apud dominum aeque peritura, eodem scilicet tempore eademque de causa (ut puta in communi naufragio, incendio, expilatione, vel ob insitum vitium), iniquus possessor ab omni restituendi onere liberatur, neque enim ipse sed fortuna de rei interitu esset culpanda. Idque verum censemus, sive iniquus possessor rem rapiens casum praeviderit (quae omnium sententia est), sive non praeviderit (quod graves theologi probabilius docent): nam semper allatum argumentum urgeri potest (3). Diximus *certe peritura*, in dubio enim an apud dominum peritura fuisset, sat esse videtur restitutio pro rata dubii facta, quia damnum incertum est (4). Diximus *aeque peritura*, nam si ocius vel serius penes dominum res fuisset absumenda, plures moveri solent quaestiones quas mittimus cum huius loci non sint. Ceterum haec pro foro conscientiae dicta volumus, namque legibus nostris id scitum fuit, ut fur pretium rei quavis ratione consumptae vel amissae restituat (5): quumque hoc in poenam criminis sit constitutum, ante iudicis sententiam non obtinet.

315. — Resp. ad III Q. Ex supra dictis (n. 312), Rufus obligationi suae videtur satisfacere si Camillo quinquaginta argenteos restituat, iis demptis quae operae atque expensis insumptis ad equum nutriendum et curandum respondent. Ad haec reddat oportet equi demortui corium et carnes, si venales fuerint, necnon quae ad eius ornatum pertinebant, phaleras nempe, calcaria et id genus cetera, haec enim ad suum dominum clamant. At monent cordati theologi, cavendum nobis esse ne damna sophistica inquisitione scrutantes, aut lucra per imaginationem fingentes, dum domini partes nimio studio suscipimus, iniuriam forte iniquo possessori inferamus: quare ad prudentium aestimationem iura utriusque et onera sunt aeque pensanda (6).

(1) La Croix, 221; Laymann, 4; Sporer, 80-86; Lugo, disp. XVII, 62, 63; Lessius, l. II, c. XII; Bouvier, l. c.; S. Alphonsus, 618; Bucceroni, *De septimo Decalogi praecepto*, 1348; Zaninetti, 1461; Ferreres, *Epitome*, 406; Sebastiani, *Summarium*, 324.

(2) *Codex italicus*, art. 705, 706, 1150.

(3) Lugo, 143; Lessius, l. c., dub. 15; Sporer, 162; La Croix, 218; S. Alphonsus, 620; Carrière, *De iustitia*, p. III, sect. I, c. II; Gousset, I, 933, 934; Ferreres, 404; Sebastiani, l. c.; Génicot, 529.

(4) Lugo, 137 contra alios.

(5) *Codex italicus*, art. 1298.

(6) Stapf, *Theologia moralis*, § 151; Gury, I, 648.

LXXXI.

Lucanus, ab avunculo nuncupatus haeres, dubitat an pretiosa supellex quam bona fide avunculus possidebat, ad Aurelium pertineat; hoc dubio manente, haereditatem adit.

Quaeritur I°. Quid, dubio exorto, Lucano sit agendum?

Q. II°. Quid si dubium elui nequit?

Quaestionum solutio.

316. — Resp. ad I Q. Haeres qui universali titulo cuipiam succedit, unam cum auctore suo personam constituere eiusque possessionem continuare censetur: quapropter Lucanus ceu bonae fidei possessor habendus, cui post inchoatam possessionem dubium supervenit. Dubium autem *positivum* intelligimus, quod nempe gravi seu probabili nititur fundamento, nam *negativum*, leviusculis coniecturis seu scrupulis innixum, velut inane est floccifaciendum. Porro qui dubitat an rem alienam possideat, ex iustitia omni studio incumbat oportet ut dubium excutiat, dominum inquirendo, interim vero rem servet redditurus domino, vix illum agnoverit: quod si rem servare nequeat, pretium servet quoad spes affulget dominum detegendi. Si autem dubium eluere negligit, iniustitiae culpandus est, quippe se periculo committit ius alienum laedendi; et quia praesumptum dominum spe privat rem suam recuperandi, illatum damnum pro mensura ablatae spei reficere debet (1). Ex his facili negotio conficies quid, exorto dubio, Lucano fuisset agendum, quid vero Aurelio praestandum si dubium excutere neglexisset.

317. — Resp. ad II Q. Si diligenti inquisitione peracta dubium vinci nequit, plurium sententia est possessori fas esse totam sibi rem vindicare, sive paria hinc inde prostent rationum momenta, sive potiora stent contra possessorem. Hi in iure possessionis nituntur, quod certum est et penes iurisconsultos ac tribunalia receptum ex vulgato adagio: *In dubio melior est conditio possidentis*, quod et in foro conscientiae obtinere contendunt. Quocirca possessor deturbandus possessione sua non est, nisi morali certitudine (vel tanta probabilitate quae moralem certitudinem vix non exaequet) constet alienam rem esse quam tenet (2). Haec sententia, praesertim, quia communissima, grave pondus habet. Nobis tamen valida occurrunt argumenta quae in aliam sententiam nos flectunt. Ius possessionis a iure dominii (vulgo

(1) Sporer, tr. IV, c. II, 91, 92; Alasia, *De restit.*, diss. I, c. III, a. III, 3; S. Alphonsus, I, 37.

(2) Laymann, l. 1, c. V, 21; Sanchez, *De matrim.*, l. II, disp. XLI, 12; Lugo (in dubio facti), disp. XVII, 94; Sporer, 93; Lessius, *De iust.* sect. II, c. XII, dub. IV; S. Alphonsus, I, 35.

di proprietà) maxime differt: nimirum et possessio sine dominio et dominium sine possessione stare possunt, propterea dominia rerum nuda possessione non constant. Equidem possessio aliquam dominii praesumptionem nonnunquam ingerere valet (quam ob causam iudices in foro exteriori non facile sinunt quempiam possessionem deturbari, ut viam innumeris litibus praecludant ac familiarum tranquillitati prospiciant); in foro etiam conscientiae possidentis conditio melior est, quatenus rem detinere potest donec inquisierit dominum, immo quatenus et deinceps ipsa possessio ceteris argumentis aliquod plerumque roboris addit; non vero ut, dubio manente, rem totam liceat ei sibi vindicare perinde ac si certo dominus esset. Nonne hic versamur in probabilitate facti, in qua non licet, fatentibus omnibus, opiniones ut ut probabiles sectari, sed tutiore incedendum est via? Tutior autem via in praesentiarum haec est, ut pro rata dubii res dividatur, sicque periculum et spes utrinque pensentur: nam si rem totam possessor retineat, forte damnum inferet domino; si totam dimittat, forte inferet sibi. Quae omnia rationi, aequitati, immo et iustitiae plane conformia videntur (1). Suadendum ergo Luciano, ut cum Aurelio controversam supellectilem ex aequo et bono partiatur, saltem nisi probabilitas sibi favens tanta sit ut vix distare a morali certitudine censeatur.

Haec dicta volumus de dubio quod certam singularemque personam respicit, ut in proposito themate: nam si de persona ignota prorsus atque incerta dubitetur, putamus (salvo sapientiorum iudicio) non aliter agendum ac de rebus incertis, quarum dominus, inquisitione peracta, inveniri nequeat, nempe vel pauperibus eas esse tribuendas (pro parte de qua ambigitur an sit aliena), vel a possessore retineri posse (si spes inveniendi dominum penitus evanuerit), perinde quasi e domini potestate evaserint ac nullius factae fuerint.

LXXXII.

Hilarius sericam vestem auro gemmisque distinctam emit, incertus num venditoris sit vel furto surrepta.

Quaeritur. Peccaveritne Hilarius quidque illi agendum?

Quaestionis solutio.

318. — Resp. ad Q. Qui rem emit dubius an venditoris sit, si eo emat animo ut dominum quaerat ei rem traditurus (quod oppido rarum est), profecto non peccat, quippe domini negotium utiliter gerit: domino autem invento rem tradat necesse est. Quod si dominus in-

(1) In hanc sententiam loquuntur Soto, Ledesma, Collet, Gerdil, Dens, Bouvier, Rosmini, Pramaggiore et Gastaldi, quos citavimus in tract. *De conscientia*, n. 35. Recole quae scripsimus in opusc. *De regulis*, n. 41.

veniri nequeat, instar possessoris bonae fidei videtur habendus, cui rem servare fas est et etiam absumere; et si forte dominus compareat, sufficit illud ei restituat quod de re superest vel ex quo ditior factus fuit (1).

Qui vero dubitans rem emit sine animo quaerendi dominum, et peccat et tanquam malae fidei possessor habendus est, nam fides dubia qua possessionem inchoavit prodesse illi non debet: quapropter re empta uti nequit quasi sua. Quia tamem alienam esse certo non novit, post diligentem inquisitionem ad dominum detegendum peractam, sat facere videtur si pro rata dubii rem pauperibus vel piis locis tribuat, vel ei de quo fortasse suspicatur sitne verus dominus, secus enim periculo se committit ius alienum laedendi (2). Hilario haec facile aptabis.

LXXXIII.

Furius, Mario infensus quam qui maxime, eius ovibus venenatum pabulum porrexit: dubitat vero an oves illud sumpserint et perierint. Alias in Marii bovem plumbeam glandem explosit: interiit bos uno ictu percussus: quia tamen eodem temporis puncto et Locullus in Marii bovem plumbeam glandem exploserat, Furius iterum in ancipiti versatur nesciens an Loculli ictu vel suo bos perierit.

Quaeritur. An Furius quidquam Mario restituere debeat?

Quaestionis solutio.

319. — Resp. ad Q. Prior quaestio est, an qui damni causam natura sua efficacem posuit, dubitat vero an damnum reipsa secutum fuerit, illud reparare debeat. Cui quaestioni negando respondemus: quandoquidem obligatio restituendi ob iniustam damnificationem in facto nititur, nempe in damno iniuste illato; quum autem de facto non constat an extiterit vel minus, deest obligationis fundamentum (3).

320. — Altera quaestio est, an qui damni causam ex se efficacem posuit, damnumque reipsa contigerit, dubitat vero de causae influxu quia similem eiusdemque efficaciae causam alter posuit, obligatione sarciendi damnum teneatur. Sunt qui idcirco negant quia quamdiu de causae influxu non constat, neque de damno a se illato constare potest; propterea dubitans ad damnum reparandum adigeretur iniu-

(1) Laymann, l. I, tr. I, c. V, 22; Sporer, tr. IV, c. II, 132, 134; S. Alphonsus, III, 625; Tanquerey, *De iustitia*, 514; Lehmkuhl, I, 1145; Génicot, I, 533.

(2) Lugo, disp. XVII, 80; Billuart, diss. VIII, a. XI, § V; Sporer, 135; S. Alphonsus, 624; Tanquerey, Lehmkuhl, Génicot, ll. cc.; Gury, I, 652. Recole dicta nn. 35, 36.

(3) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXII, a. VII; La Croix, l. III, p. II, 574; S. Alphonsus, III, 562; Tanquerey, *De iust.*, 486; Lehmkuhl, I, 1165; D'Annibale, II, 217; Rosmini, *Diritto*, I, 1194.

ste (1). Verum contrariam sententiam omnino tenendam arbitramur. Etenim, quamquam, incertum est uter damnum intulerit, certum est tamen damnum illatum fuisse et damni idoneam causam utrumque praestitisse, immo utrumque certum intulisse damnum, saltem quatenus actione sua verum damni auctorem incertum fecit. Quapropter uterque in solidum, vel saltem pro dubii rata, ad damnum reparandum obstringendus est: quippe vel damnum intulit, vel fecit ne appareret quocum de damno agi posset (2).

Ex his concludere licet, nihil a Furio pro exhibito ovibus veneno esse Mario restituendum; pro bove autem interempto dimidium saltem pretii reddendum esse.

LXXXIV.

Matthaeus pileum et pallium Antonii a fure emit domino restituturus; reddito autem pileo, cum ab Antonio solutum pretium expetisset incassum, furi pallium reportat ut suam pecuniam recuperet. Alias, cum adulterinos nummos pro merce quam vendiderat accepisset, eos creditori suo tradit ad debiti solutionem.

Quaeritur I°. An qui a fure furtivam rem emit possit a domino solutum pretium exigere antequam rem ei restituat?

Q. II°. An possit furi emptam rem reddere ut se servet indemnem?

Q. III°. An liceat ei qui deceptus adulterinam pecuniam accepit, eam alteri tradere?

Q. IV°. Quid de Matthaeo sentiendum?

Quaestionum solutio.

321. — Resp. ad I Q. Qui vili pretio furtivam rem emit ut restituat domino nunquam vel aegerrime eam recuperaturo, solutum pretium a domino iure potest exigere: aequum enim non est ut qui domini negotium utiliter gessit, damnum ex beneficio reportet (3). Si

(1) S. Alphonsus, l. c., cui consentit Génicot, I, 521. Attamen si de duobus adulteris sermo sit, de quibus ambigitur cuia sit proles, S. Doctor illum restitutioni obnoxium facit qui prioris adulterii conscius moechatus est (658). Quid? quod in dubio an suffragio suo quis damnum intulerit, *veram* docet esse sententiam quae restitutionem urget pro rata? (566).

(2) Utrumque in solidum ad restitutionem obligari contendunt Lehmkuhl et Tanquerey (ll. cc.); viritim vero seu pro rata Laymann (l. III, tr. III, p. III, c. XIV, 3), Lugo (disp. XIX, 22), Bouvier (*De iure*, p. II, q. II, a. II, § I, q. I), Carrière (*De iust.*, 1130), Gousset, I, 946, Gury (I, 668), D'Annibale (l. c.); Sebastiani (*Summarium*, 326) saltem si uterque animadverterit; actione sua id futurum esse ut damni auctor incertus fieret, ad restitutionem pro parte, secus in solidum teneri.

(3) Sporer, tr. VI, c. V, 62; Antoine, *De iust.*, p. III, c. V, q. XIV; Billuart, diss. VIII, a. X; Bouvier, *De iure*, p. II, q. II, a. I, § 1; Carrière, *De iust.*, 1041; Bucceroni, *De septimo praecepto*, XXII, 1344.

vero iusto pretio rem emit, adhuc aliquam pretii partem pro negotio domini utiliter gesto meretur; non tamen integrum, ne cogatur dominus emere rem suam (1). Quod si rem emerit sine animo restituendi, nihil a domino exigere potest: quippe nulla subit ratio ob quam dominus pro re sua recuperanda solvere pretium debeat, neque ullam mercedem a domino accipere meretur qui de eo bene non est meritus.

322. — Resp. ad II Q. Certa ab incertis secernere praestat. Si emptor pro comperto habet furem esse restituturum, vel domino facilem patere viam rei suae recuperandae, fas est emptori rem furi reddere ut solutum pretium sibi restituatur: neque dominus rationabiliter invitus esse potest, nam *quod mihi prodest et tibi non obest, teneris permittere.* De hoc convenit. Convenit etiam, domino rem suam repetenti esse ab emptore reddendam, namque ubivis loci res sit, domini est et ad dominum clamat (2). Domino autem non repetente, licetne emptori ad se indemnem servandum rem reddere furi? En quaestio solutu difficilis, de qua duae sunt theologorum sententiae, auctoritate et ratione aeque suffultae.

Prior sententia, quam fortissimis argumentis fulciri Lugo fatetur, et S. Alphonsus *multum probabilem* vocat (3), negat emptori fas esse rem furi reddere. Nam res aliena, in cuiusvis manibus versetur, domini est et ad dominum clamat, sive ab eo expetatur sive non: fit ergo iniurius domino qui eam alteri tradit. Magis adhuc iniurius qui e furis manibus ereptam iterum tradit furi, quippe e meliori statu in deteriorem coniicit: itidem ut ille qui rem incendio subductam iterum dat flammis. Praeterea, reddens furi non restituturo, eius iniustitiae fit particeps quasi cooperator malus. Ad haec, fatentibus omnibus, non licet emptori rem alienam alteri vendere; eccur ergo licebit retrovendere furi? Demum ad damnum sibi illatum pensandum nefas est innocenti damnum directe inferre. Haec prioris sententiae potissima momenta (4).

Sententia huic e diametro contraria hisce conficitur argumentis. Cuivis ius sum prosequenti fas est illud agere quod ad damnum sibi illatum reparandum vel fugiendum est necessarium, quamvis ex actione sua damnum aliquod obveniat alteri: namque exploratum est,

(1) Sporer, Antoine, Bouvier, Bucceroni, ll. cc.; Lugo, disp. XVII; Lessius, l. II, c. XIV, 20.

(2) Reginaldus, *Praxis*, l. X, c. V, 42; Antoine, Billuart, Bouvier, ll. cc.; Alasia, *De restit.*, diss. I, c. III, 3; Lehmkuhl, I, 1137; Tanquerey, *De iust.*, 498; Bucceroni, 1343; Génicot, I, 524.

(3) Lugo, disp. XVII, 30; S. Alphonsus, III, 569.

(4) Caietanus, in II^{a} II^{ae}, q. LXII, a. VI; Laymann, l. III, tr. IV, c. XVII, 24; La Croix, l. III, p, II, 100; Antoine, Alasia, Bouvier, ll. cc.; Carrière, 1042.

licere actionem ponere duos habentem effectus, bonum alterum et alterum malum, quorum illum velis, hunc permittas. Iamvero emptor rem reddens furi ius suum prosequitur, nempe contractum rescindit inique et cum sui damno initum, ut suam pecuniam recuperet, quamvis ex hac rescissione dominus rei per accidens damnum sentiat. Equidem generatim verum est, dominum ius habere ne res sua in peiorem statum coniiciatur e quo iam evaserat; si tamen evasit per actum iniustum, idest per alieni iuris laesionem, nullam domino iniuriam infert laesus, qui rem in pristinum statum reponit, e quo nisi per iniuriam fuerat egressa. Neque dicas, emptorem iniustitiae furis participem fieri, quasi cooperatorem malum, non enim peccat fur rem venditam recipiens pecuniamque emptori refundens; quod si deinceps domino non restituat, ex prava sua voluntate peccare dicendus est. Ad extremum, venditionis alteri cuipiam factae atque retrovenditionis factae furi par ratio non est: sane per illam in deteriorem statum res collocatur, per hanc vero in pristinum statum reponitur (1). Perpensis omnibus, in hanc posteriorem sententiam concedendum putamus, praesertim si bona fide res empta fuerit.

322bis. — Resp. ad III Q. Qui adulterinam pecuniam, sive metallicam sive papyraceam, alteri tradidit quasi mercis pretium vel ad debiti solutionem, si mala fide hoc fecit, profecto iniustum damnum reparare debet; quod si bona fide id fecerit, excusandus a reparatione damni videtur, saltem altero non reclamante (2).

323. — Resp. ad IV Q. Si Matthaeus Antonii pileum e manu furis vile solvens pretium redemit, vel saltem pretio iustum non excedente, aliquid exigere potest tanquam bonus negotii gestor, iniquum enim foret si ex benefacto reportaret damnum. Quod autem rescisso contractu rem furi retulerit pecuniam suam recuperaturus, non eum post dicta damnabimus. An vero pro adulterina pecunia alteri tradita quidquam decepto restituere debeat, videndum an mala vel bona fide se gesserit; si mala fide, iniustum damnum reficiat oportet, secus si bona.

LXXXV.

Pacuvius noctu Getulii domum expilaturus ingreditur belle belle, manu tenens candelam accensam, quae perterritae felis saltu in terram deiecta subitum excitavit incendium. Pacuvius, veritus ne accurrente turba quasi criminis auctor detrudatur in carcerem et infamia notetur, fugit flammas succrescere sinens, quas clamando extinguere potuisset.

(1) Navarrus, *Enchir.*, c. XVII, 9; Lessius, 14; Lugo, 29; Bonacina, *De restit. in gen.*, disp. I, q. IV, p. II, 1; Illsung, tr. IV, disp. III, q. I, a. VII; S. Alphonsus, 569; Gury, I, 644; Ballerini-Palmieri, tr. *De 7° praecepto Decalogi*, 199; Lehmkuhl, Tanquerey, Bucceroni, Génicot, ll. cc.; Sebastiani, *Summarium*, 323.

(2) Ferreres, *Epitome*, 407.

Quaeritur I°. An damnum ex iuridica culpa sit ex iustitia reparandum?

Q. II°. An sit obligatio impediendi damna quae ex inculpata actione proveniunt?

Q. III°. Quid de Pacuvio?

Quaestionum solutio.

324. — Resp. ad I Q. Culpa iuridica (sic dicta quia iure, seu legibus, constituta) est omissio diligentiae quam ad alterius damnum praecavendum iura requirunt. Et quoniam diligentia haec *communis, exquisita, exquisitissima* esse potest, hinc negligentis culpa in *latam, levem* et *levissimam* veteres diducebant. Veteres, inquam, quippe hodiernae leges, hac distinctione seposita, in officiorum gestione pactionibusque implendis nisi boni patrisfamilias diligentiam plerumque non requirunt (1). Iuridicam culpam sine theologica, idest sine peccato, consistere posse, adeo clarum est nulla ut egeat demonstratione.

Nunc ad rem. Iure naturae tantum inspecto, nullam ex sola culpa iuridica obligationem oriri illata damna sarciendi, una est theologorum omnium sententia, quam variis ratiocinationibus suadere moliuntur (2). Haec una ratio satis perspicua nobis videtur: homini, quippe enti ratione praedito, imputari nequit nisi actus a libera voluntate profectus; iamvero, dempta theologica culpa, actus liberae voluntati iam tribui nequit, ac perinde habendus atque actus fortuito positus et *materialiter* malus, quo ius alienum *formaliter* laesum non fuit. Diximus *iure naturali tantum inspecto*, nam sive ex conventione, sive ex peculiari aliquo legis iussu obligatio nasci potest reficiendi damna ex iuridica culpa cuipiam illata, pacta autem et legum iussa serventur necesse est (3).

325. — At haec legum iussa obligantne in foro conscientiae, ita ut ille peccare dicendus sit qui damnum ex iuridica culpa ortum non reparat? Certe post iudicis sententiam hisce legibus obtemperandum est: sunt enim leges iustae, quia legitima auctoritate et ad bonum publicum constitutae, nempe ad homines in suis actibus atque in rerum suarum custodia vigilantiores efficiendos ne cuipiam noceant, propterea in praesumptione iuris fundamentum habent; leges autem quae in praesumptione iuris fundantur, facto etiam deficiente, obligare non desinunt. Hinc Gregorius IX: *Si culpa tua datum est damnum vel*

(1) Vide *Codicem italicum*, art. 1224, 1143.

(2) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. LIX, a. II; Reiffenstuel, tr. IX, dist. V, 86; Lessius, l. II, c. VII, 27; Lugo, disp. VIII, 26; Sporer, tr. IV, c. II, 37-43; Laymann, l. III, tr. III, p. I, c. VI, 2; Illsung, tr. IV, disp. III, q. I, a. II; La Croix, l. II, p. II, 184; Voit, I, 775; S. Alphonsus, III, 550; Génicot, I, 518 et ceteri.

(3) Lugo, 100, 101.

iniuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti, aut haec imperitia tua sive negligentia evenerunt, iure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere vel iacturam. Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum velis liberare teipsum; quod tamen ad liberationem non proficit si fera animalia, vel quae consueverunt nocere, fuissent, et quam debueras non curasti diligentiam adhibere (1). Ceterum apud plerosque receptum est, leges huiusmodi ante iudicis sententiam non obligare, tum quia obligatio neque ex verbis legis constat, neque ex fine legis requiritur, tum quia hae leges quasi poenales habentur, tum quia optima legum interpres consuetudo ita has leges interpretatur, tum quia in re tam onerosa legis interpretatio est stricte facienda (2). Quandoque tamen suadet caritas ut ante iudicis sententiam damnum ex parte saltem sarciatur, praesertim si laesus ius suum apud iudicem persequi vellet, sed sine gravi incommodo nequiret (3).

326. — Resp. ad II Q. Qui inculpate damnificam posuit causam, v. gr. pro medicina venenum tradidit, debet quum animadvertit causam auferre, secus in iustitiam delinquit: etenim qui potens damni causam a se positam revocare non revocat, censetur eo temporis puncto voluntarius et iniustus damni auctor fieri, seu damnum velle quod impedire non studet. Minus tamen urgere videtur obligatio sarciendi damnum ex inculpata quam ex culpata causa profectum: nimis enim durum, ne prorsus dicamus iniquum, quempiam adigere cum pari vel graviore suo dispendio ad auferendam causam sine peccato positam (4). Aliud dicendum de eo qui operi seu licito seu illicito vacans, praeter voluntatem cogitatumque suum, damni fit occasio: nam damnum *per accidens* obveniens nec praevisum, quum neque directe neque indirecte sit volitum, agenti imputari nequit. Quocirca potest quispiam ex caritate ad tale damnum impediendum adstringi, non tamen ex iustitia (5).

327. — Resp. ad III Q. Pacuvius Getulii domum expilaturus ingressus oppido peccavit; actione tamen sua incendii causam non praestitit sed occasionem tantum: nam incendium felis saltus excitavit,

(1) Cap. *Si culpa tua*, IX, *De iniuriam et dam.* V, XXXVII.

(2) Lugo, 49; Lessius, 30; Sporer, 31; Laymann, Illsung et La Croix, ll. cc.; Bouvier, *De iure*, p. II, q. I, a. II, q. 2; Gury, I, 660; Tanquerey, *De iust.* 476; Génicot, l. c.

(3) Génicot, l. c.

(4) Lugo, 95 et disp. XXXIX, 24; Antoine. *De iust.*, c. III, q. VI; S. Alphonsus, 464; Gousset, I, 947; Bouvier, p. II, q. II, a. II, § I, q. 6; Gury, 661; Ferreres, *Epitome*, 410; Sebastiani, *Summarium*, 326.

(5) Lugo, disp. VIII, 82; Bonacina, *De restit. in gen.*, disp. I, q. I, p. III, § unic. 11; Bouvier, l. c.; S. Alphonsus, 549; Gury, 663; Ferreres, 411; Génicot, I, 522; Sebastiani, l. c.

propterea imputari nequit Pacuvio damnum quod fortuito accidit quin praevisum et volitum ullatenus fuerit. Quare debuit utique ex caritate incendium impedire clamando et opem invocando; at si vere grave infamiae vel diuturni carceris periculum sibi imminere praesentiebat, excusari potuit a peccato, cum tanto enim incommodo desinit caritas obligare. Haec dicta sint in hypothesi quod Pacuvius ob incuriam vel imprudentiam culpabilem incendio causam non dederit.

LXXXVI.

Silenus saepe queritur quod vicini arbor suum hortum obumbret: his querelis permoti Sileni famuli, eo praesente, consilium ineunt de arbore obtruncanda, et confestim asciis arreptis domo egrediuntur malum consilium opere perfecturi. Dolens facti Silenus filium suum post eos mittit ut ab iniquo consilio dimoveat, cuius verbis famuli fidem non adhibentes arborem solo deiiciunt.

Quaeritur I°. An damnum alterius mandans restitutioni sit obnoxius, et quotuplex potest esse mandatum?

Q. II°. An revocato mandato restitutionis obligatio cesset?

Q. III°. Quid de Sileno eiusque obligationibus?

Quaestionum solutio.

328. — Resp. ad I Q. Hoc ratum perpetuumque maneat, debere quempiam illa damna reficere quorum extitit efficax et iniusta causa. Eiusmodi autem est mandans, ille nempe qui iussu, minis, importunis precibus ad damnum suo nomine inferendum aliquem movet (1). Neque est necesse ut mandantis voluntas voce patefiat vel scripto (quod esset mandatum *explicitum*), sed sufficit nutibus aliave ratione, immo quandoque et silentio, quis ostendat se optare, vel approbare quod quispiam eius nomine facere constituit, vel illud acceptum sibi fore (quod esset mandatum *implicitum* seu *tacitum*): quando vero censendum mandatum implicitum adesse, ex adiunctis aestimandum (2).

329. — Resp. ad II Q. Si mandati revocatio efficax fuit et mandatario innotuit, in confesso est mandatum penitus extingui: quapropter si is qui mandatum acceperat adhuc agere pergat, non vi mandati neque mandantis nomine sed suo prorsus agere dicendus est, ipseque unus restitutioni fit obnoxius. Contra si mandati revocatio mandatario non innotuerit, sive ob loci distantiam, sive ob nuntii infidelitatem, sive quia mandatarius revocationem non serio factam

(1) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXXII, a. VII; S. Alphonsus, III, 558.

(2) Impliciti mandati insigne reliquit exemplum Henricus II Angliae rex, cuius nefarii satellites, rem gratam principi se facturos esse putantes, Thomae sanctissimo cantuariensi episcopo necem intulerunt.

putavit, sive aliam ob causam, manente influxu mandati, adhuc damna mandanti imputantur (1). His plane sunt consona quae in *Codice iuris pontificii leguntur: Qui suum influxum in delictum patrandum opportuna retractatione abduxerit plene, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi executor delictum ob alias causas sibi proprias nihilominus patraverit: si non abduxerit plene, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem* (2).

330. - Resp. ad III Q. Procul dubio impliciti mandati Silenus auctor extitit, quippe eo praesente atque tacente (ideoque approbante) famuli iniquum consilium ceperunt; quumque mandati revocatio inefficax fuerit, obligatio damna sarciendi adhuc mandantem tenet. Neque dicas, Silenum mandati revocationem famulis patefecisse, proinde mandatum evanescere; nam mandati seriam revocationem non intellexisse perinde est ac eam ignorasse, efficacia autem mandati non adempta, damna mandanti iure tribuuntur. Obloquitur D'Annibale, quia mandati revocationi nihil defuit; at efficacia defuit, propterea idem est ac si revocatio facta non fuerit (3). Excipe si de seria mandati revocatione satis famulis constitisset, in quo eventu ex propria mala voluntate non ex mandato domini egisse dicendi essent.

LXXXVII.

Meletius Paulo famulo suo mandat, centum aureos Sempronio furetur, praevidens Paulum, opportunitatem nactum, plus centum esse furaturum. Reipsa Paulus biscentum aureos clepsit, quos ludis et crapulis brevi consumpsit.

Quaeritur I°. An mandans ea damna sarcire debeat quae mandatarius intulit mandati fines excedens?

Q. II°. An Meletius Sempronio biscentum aureos restituere debeat?

Quaestionum solutio.

331. — Resp. ad I Q. Generatim loquendo, mandatarius qui mandati fines excedit non mandantis nomine sed suo agere censetur; quocirca ipse unus de illatis extra mandatum damnis respondere debet. Diximus *generatim loquendo*, etenim si mandans praevidet vel praevidere potest damna ex mandati excessu facile obventura, sive ob perspectam mandatarii nequitiam, sive quia opus praeceptum natura sua gravioris damni periculum continet, iam censetur in se suscipere

(1) Sporer, tr. IV, c. III, 9, 11; Bonacina, *De restit. in gen.*, disp. I, q. III, p. V. 3, 5; Lugo, disp. XIX, 26; La Croix, l. III, p. II, 25; Billuart, diss. VIII, a. XIII, § II; Bouvier, p. II, q. II, a. II, § II, sect. I; Carrière, 1170; Gousset, I, 951; Gury, I, 674; Lehmkuhl, I, 1193; Génicot, I, 536.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 2209, § 5.

(3) D'Annibale, II, 206.

universa damna quae ex mandato suo obventura cognoscit. Hinc si Caius famulo violento iubeat Seium fuste percutiat, et fustigationem mutilatio sequatur; si mutilationem iubeat, et mutilationem sequatur mors, excedens damnum iure imputabitur Caio. Idque firmatur auctoritate Innocentii III dicentis: *Is qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius mandati fines excedens mutilet vel occidat, cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse debuerit cogitare* (1). Haec cum ita sint, ut definiatur in singula quaque facti specie utrum damni excessus mandanti vel mandatario sit tribuendus, rerum personarumque adiuncta sedulo pensentur necesse est (2).

332. — Resp. ad II Q. Etsi Paulus mala sua voluntate mandati fines excessit, ideoque centum aureorum furtum ipsi primum sit imputandum; attamen, quia Meletius noverat, Paulum, opportunitate arrepta, mandati fines esse excessurum, sin minus ut mandans, saltem ut cooperator iniustus, totum damnum illatum Sempronio reficere debet; nimirum centum aureos restituat oportet quia furari mandavit, centum vero loco famuli qui eos consumpsit nec restituere valet (3).

LXXXVIII.

Petronio, in hortu Marcelli pauperis furari parato, Prudentius ait: « Ne facias, minus est malum si Paulo praediviti fureris ». Annuit Petronius et Paulo furatur.

Alias Anselmi officinam cernens apertam, nemine eam custodiente, ait Petronio: « Si de mercibus istis surriperes, te nemo videret ». Petronius, officinam ingressus, libera manu praedatur.

Alias audit Petronium dicentem: « Vellem hac nocte Martini bovem furari, sed canes timeo stabulum custodientes ». Cui Prudentius: « Sub meridiem canes absunt ». Petronius sub meridiem stabulum intrat securus bovemque abducit.

Quaeritur I°. An et quatenus qui consulit damnum restitutioni sit obnoxius?

Q. II°. An sit obnoxius consulens ei qui damno inferendo paratus est?

Q. III°. An minus damnum consulere liceat?

Q. IV°. Quid de Prudentio in singulis factis propositis?

(1) Cap. III, *De homic.*, in 6°.

(2) Sporer, tr. IV, c. III, 13; Clericatus, *Erotemata*, c. LXXV, n. 18; Bonacina, *De restit. in gen.*, disp. I, q. II, p. V, 7; La Croix, l. III, p. II, 26; Bouvier, l. c.; Gousset, I, 950; Lehmkuhl, I, 1192.

(3) Gury, *Casus*, I, 658. Lambertini minus recte (si quid videmus) a restitutione centum aureorum Meletium absolvit. (*Casus*, an. mdccxxxiv, mens. novembris).

QUAESTIONUM SOLUTIO.

333. — RESP. AD I Q. Consulens ille dicitur qui rationibus, suasione, blanditiis, hortatu, nocendi viam suggerendo, quempiam movet ad damnum alteri faciendum. Mandatum inter et consilium id discriminis est, quod mandatarius mandantis nomine atque in eius commodum agit; qui vero consilium sectatur et suo agit nomine et plerumque in sui commodum. Ut nocivum consilium obligationem inducat damna sarciendi necesse est, damni causa fuerit *efficax, culpabilis* et *iniusta;* quapropter, deficientibus efficacia causae, culpa et iniustitia, obligatio restituendi cadit. Et quia ad damnum plus minusve consilio suo quis conferre potest, restitutionis obligatio pro ratione influxus in damnum erit aestimanda. Ex his nonnulla licet inferre. 1°. Si consilii sectator, pravitatem et iniustitiam consilii non animadvertens, se totum consiliario credidit, hic unus damnum reficere debet cuius auctor extitit (1). 2°. Si consilium executori tantum profuit, ipse prior damni tenetur, consiliarius vero secundo loco, nempe executore deficiente; si consilium profuit utrique, tenetur uterque pro rata, in solidum autem deficiente altero; demum si profuit consulenti tantum, ipse prior tenetur, executor vero post ipsum (2). 3°. Si consulens nisi partem damni non consuluit, pro hac parte tantum respondere debet (3).

334. — RESP. AD II Q. Qui consilium nocivum dat illi qui antea secum ipse firmiter decreverat damnum inferre, nulla stringitur obligatione damnum sarciendi, quod non pravo consilio sed agentis voluntati unice assignandum est. Neque illud officit, quod consilium in se spectatum potuit esse causa damni sufficiens, nam requiritur sit etiam efficax: porro efficax non est quum quis eo non eget ut ad damnum inferendum moveatur, quod sibi iampridem obfirmatum habebat (4). Huic communi sententiae subscribit S. Alphonsus, addito cum Viva aliquo temperamento; nam secus dicendum retur, *si executor etiam a consilio motus fuerit, quia tunc suasor vere est efficax concausa damni* (5). Difficultatis punctum (nisi nos nostra fallit opinio) in eo est, ut in singula quaque facti specie dignoscatur an et quatenus consilium efficax damni fuit: nimirum si paratus damnum inferre tam firmo voluntatis decreto id constituerat, nullo ut iam egeret impulsu, consilium supervacaneum et inefficax habendum est; si autem

(1) SPORER, tr. IV, c. III, 19.

(2) LA CROIX, l. III, p. II, 56; S. ALPHONSUS, III, 560.

(3) BOUVIER, *De iure,* p. II, q. II, a. II, § II, sect. II.

(4) S. THOMAS, II^{a} II^{ae}, q. LXII, a. VII; NAVARRUS, *Enchir.,* c. XVII, 17; LESSIUS, l. II, c. XIII, dub. 2; LA CROIX, 29; LAYMANN, l. III, tr. I, c. V, 5; D'ANNIBALE, II, 205; GURY, I, 676; LEHMKUHL, I, 1194; TANQUEREY, 522.

(5) S. ALPHONSUS, III, 561. Quae videtur esse etiam S. THOMAE sententia, l. c., a. II ad 4^{um}.

aliquo egebat impulsu ut nocendi propositum ad exitum deduceret, consilium pro modo influxus efficax fuit.

335. — Resp. ad III Q. Minus malum suadere gravius commissuro alias vidimus licitum esse. Proposita quaestio est de malo damnoso, seu de damno iniusto: ut autem planior fiat huic quaestioni responsio, bifariam dividamus eam oportet, nam vel eadem persona est cui damnum infertur, vel alia.

I°. Si de eadem persona agitur, convenit apud omnes eum non peccare qui minus damnum consulit parato gravius inferre, non enim iniuriam facit laedendo, sed beneficium confert, eiusque negotium utiliter gerit satagens ut iniuria certo inferenda minuatur.

II°. Si diversae personae minus damnum sit inferendum, non licet illud consulere: nam ad impediendum unius damnum non licet ius alterius violare, quod iniquum est; propterea neque licet quod iniquum est suadere. Excipe si damnum inferendum sit eiusmodi, ut laedendus merito censeri possit illud ferre velle ad gravius damnum alterius impediendum. Haec communis sententia, cui paucissimi cum Vasquezio refragantur (1).

336. — Resp. ad IV Q. In priore facti specie, tametsi Prudentii verba non videntur exhibere consilium sed veram sententiam efferre (quippe verum est, minus esse malum diviti furari quam pauperi), attamen si rerum personarumque adiuncta spectentur, vix latum unguem a consilio distant, nam homini ad furandum parato personam ostendere, et quasi digito signare, cui damnum inferri potest, idem fere est atque ad furtum impellere. Neque aliter in secunda specie dicendum; etenim homini ad furtum proclivi bellam furandi occasionem suggerere, idem est ac ad furtum incitare. In tertia demum specie, quamquam Prudentius non furtum sed congruum furandi tempus proponit, quia tamen furaturo securitatem praestat et animum addit, illum consilio suo efficaciter ad furandum impellit (2). Vides, practicam singularum quaestionum solutionem ex rerum personarumque adiunctis maxime pendere.

LXXXIX.

Pontius, cum furem in aliena vinea uvas colligentem conspexisset, pecunia ab eo accepta, silentio rem premit. Pontinianus, vineis custodiendis pretio conductus, munera a furibus accipit ne eos prodat et

(1) Sporer, 26, 27; Bonacina, *De restitut. in gen.*, disp. I, q. II, p. VII, 8, 14; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XXXIX Innocentii XI, n. XV; Sanchez, *De matrimonio*, l. V, disp. XI, 17 et seq.; Lugo, disp. XIX, 44, 51; S. Alphonsus, 565; Carrière, 1184; Bouvier, l. c.; Lehmkuhl, 1196; Tanquerey, l. c.; Bucceroni, *De praecepto caritatis*, VI, 434; Génicot, I, 538. Ballerini (ad Gury, I, 677 et *Op. theol. mor.* tr. *De caritatis praecept.* 251) utroque pollice Vasquezii sententiae subscribit, neque aliter sentire videntur Piscetta (III, tr. *De iniuriis*, 40) et Sebastiani, *Summarium*, 143, 328.

(2) Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxvi, mense iulio; Gury, *Casus*, I, 666.

multas a fisco statutas exigat. Utriusque sacram exomologesim excipiens Maurus, neutrum de restituendi obligatione monet. Neque aliter cum Alexio famulo se gerit, qui damna impedire negligit quae sive a domesticis sive ab extraneis hero suo inferuntur, vel illata non denunciat.

Quaeritur I°. An et quatenus qui causa negativa extitit damni, illud reficere debeat?

Q. II°. An et quatenus Pontius et Pontinianus causa fuerint damni, efficax et iniusta?

Q. III°. An et quibus restituere debeant?

Q. IV°. An confessarius silentio suo obligationem restituendi contraxerit?

Quaestionum solutio.

337. — Resp. ad I Q. Causa negativa damni ille dicitur qui damnum non impedit quod impedire potest. Ut is restitutioni sit obnoxius duo requiruntur: 1° ut ex iustitia, ratione muneris, contractus, vel quasi-contractus, debeat alterius damnum impedire; 2° ut impedire valeat, saltem plerumque, sine gravi suo detrimento. Sane, obligatio restitutionis, nisi ex violata iustitia commutativa oriri nequit: quapropter si ex caritate tantum alterius damnum impedire debeas, nec facias, nullus restituendi obligationi fit locus. Dein grave detrimentum plerumque eximere potest a culpa et a restitutionis onere, non enim censetur quispiam officium suscipere aut ad inita pacta servanda obligare se voluisse cum quavis rei familiaris, famae vitaeve iactura. Excipe si peculiaris urgeat ratio, vel in pactum id fuerit expresse deductum (1).

338. — Resp. ad II Q. Sunt qui ab iniustitia illum immunem faciunt qui pecuniam accipit ne furem prodat, quia nulla obligatione iustitiae tenetur impediendi alterius damnum (2). Verum distinguendum nobis videtur. Si patrato iam furto pecuniam quis accipit ne furem revelet, cum nullam illato damno praestiterit operam, nulla sarciendi damnum obligatione tenetur. Si vero ante accipit quam furtum patretur, quia furi addit animum securitatem praestando, iniqui facinoris cooperator existit, propterea in iustitiam delinquit (3). In hac posteriori hypothesi Pontius efficax damni causa fuit.

(1) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXII, a. VII, ad 3^{um}; Navarrus, *Enchir.*, c. XVII, 136; Laymann, l. III, tr. II, c. V, 7; Bonacina, *De restit. in gen.*, disp. I, q. II, p. XI, 2; Sporer, tr. IV, c. III, 50-56; Voit, I, 775; S. Alphonsus, III, 573 et ceteri quos inferius recitabimus.

(2) Lugo, disp. XIX, 102; Gury, I, 693; Lehmkuhl, I, 1208; Alasia, *De restit.*, diss. I, c. III, a. V, § VII, 7.

(3) Laymann, 8; Bonacina, 14; Tanquerey, *De iust.*, 541; Gury, *Casus*, I, 691 (qui contrariam in *Compendio*, 693, sententiam tuetur); Génicot, I, 547 *bis*.

Qui ideo conducti sunt ut vineas agrosve custodiant, ex officio custodire debent; propterea, ni faciant, officio suo desunt et iustitiae violatores existunt, quippe causae negativae sunt damni efficaces et iniustae (1). Hinc patet, Pontinianum contra iustitiam peccasse.

339. — Resp. ad III Q. Pontius domino vineae nihil debet, si post furtum pecuniam accepit; si vero ante, fure non restituente, restituat oportet tanquam cooperator iniustus pro cooperationis modo. Quod autem spectat ad pecuniam tanquam silentii pretium a fure receptam, redibit quaestio ubi de contractibus sermo erit qui de re inhonesta ineuntur. Idem dic de muneribus quae a vinearum expilatoribus Pontiniano data sunt.

At procul dubio damna dominis vinearum Pontinianus reficiat oportet, nisi a furibus reficiantur, nam ex iustitia impedire ea debuisset. Quod autem attinet ad multas quas non exegit, an eas fisco vel dominis rependere debeat, quaestionis est. Sunt quibus hae multae ex iustitia debitae non videntur, quia constitutae non sunt ut respublica vel agrorum domini locupletentur; neque custodes operam suam locant ut dominos vel fiscum ditiores faciant, sed ut servent indemnes; praeterea hae multae rationem habent poenae, quae nisi per sententiam non obtinet (2). Immo quidam, ulterius progredientes, etiam telonarios, multas a vectigalium fraudatoribus non exigentes, ob easdem rationes, ab onere eas aerario restituendi exemptos volunt (3). Contradicunt alii nec immerito, tum quia custodes (et eo magis telonarii) ideo sunt conducti ut fisci vel dominorum iura omnia prosequantur, proindeque et multas exigant; tum quia multae constitutae sunt ut malefici coerceantur, propterea, iis non exactis, frustra essent constitutae; tum quia hae multae nedum poenae rationem habent sed et compensationis damnorum quae fisco vel dominis inferuntur (4). Utraque sententia sua probabilitate pollet: quia tamen obligatio multas refundendi omnem vim suam nisi e contractu vel quasi-contractu mutuari non potest, quotiescumque contrahentium voluntas est incerta, obligatio ipsa nutat, propterea nequit urgeri. Non est igitur adigendus Pontinianus ad multas fisco vel dominis dependendas.

Huic quaestioni proxima est alia quae de famulis instituitur. Nempe quaeritur, an famuli qui non impediunt, quum possunt, damna

(1) Navarrus, 132, 136; Sporer, 58; S. Alphonsus, l. c.; Gury, II, 35; Ferreres, 566; Génicot, I, 545 ceterique.

(2) Lugo, disp. XXXVII, 102; Sporer, 58; La Croix, l. III, p. II, 48; Vogler, 332; Lehmkuhl, I, 1208; D'Annibale, II, 209.

(3) Struggl (apud Bucceroni, *De legibus,* VI, 234), Sebastiani, *Summarium,* 340; Génicot, I, 545.

(4) Collet, *De iustit.*, c. III, a. III, sect. IV, p. III; Antoine, *De iustitia,* p. II; Bouvier, *De iure,* p. II, q. II, a. II, sect. VI; Carrière, *De iustit.*, 1211; Tanquerey, 594.

quae sive a domesticis sive ab extraneis domino suo inferentur in iustitiam delinquant, propterea restitutioni sint obnoxii. Certa ab incertis separanter dicimus: 1°. Si res domini famulis tradita fuerit peculiariter custodienda; item si famuli expresse vel tacite ad hoc praestandum se obligaverint, convenit apud omnes iustitiae vinculo eos teneri ad res domini servandas atque tuendas (1). 2°. Expresso vel tacito pacto deficiente, si a domesticis inferatur damnum, theologi fere omnes iustitiae obligationem deesse contendunt, tum quia ideo non sunt conducti, tum quia non censentur onus tale ultro suscipere voluisse (2). 3°. Si ab extraneis damnum domino detur, communior theologorum sententia docet, debere famulos ex iustitia bona domini custodire et tueri, quia famulatum suscipientes censentur voluisse tacite hanc obligationem suscipere (3). Sunt tamen theologi non pauci, praesertim recentiores, qui nullo inter domesticos et extraneos facto discrimine, ab omni iustitiae obligatione famulos eximunt, quam sponte suscipere voluisse nullo modo constat: idque hodie eo magis obtinere putant, quum valde laxata sunt vincula quibus olim famuli suis dominis adstringebantur (4). Quamvis non audemus huic sententiae illico subscribere, fatemur tamen illam sua probabilitate pollere. Ceterum, quidquid sit de obligatione iustitiae, nemo inficiatur debere famulos saltem ex caritate heros suos monere ut sibi caveant. Haec cum ita sint, neque Alexius ad restitutionem est adigendus.

340. — Resp. ad IV Q. Si confessarius monitionem omittens graviter peccavit, debet ex caritate poenitentem monere ut damna illata reficiat. An vero ipse poenitentis loco restituere debeat, distinctione utamur oportet. Si confessarii silentium aequivaluit responso quo poenitentem eximebat a restitutionis vinculo (v. c. si confessarius declaravit se monitionem esse facturum, vel si a poenitente rogatus fuerat ut sibi, ubi opus fuisset, de obligatione restituendi monitionem faceret), poenitentis loco restituat oportet, ipse enim silentio suo causa extitit damni efficax et iniusta. Secus, restitutioni non est obnoxius; quamvis enim peccavit, iustitiam non laesit, cum ex officio poenitentium animae, non temporali ceterorum bono prospicere debeat. Paucis, tunc tantum restitutioni adigendus, cum silendo *positiva* damni causa fuit (5). Si haec teneas, de Mauro facillime iudicium feres.

(1) Lugo, disp. XXII, 67; Suarez. *De poenit.*, disp. XXXII, sect. VI, 9; Laymann, l. III, tr. IV, c. VII, 6; Bonacina, 15; Sporer, 62; La Croix, l. VI, p. II, 1781; S. Alphonsus, III, 568; e VI, 621. Ballerini-Palmieri, tr. *De poenit.*, 584-860; Ferreres, *Epitome*, 421; Génicot, II, 377.

(2) S. Alphonsus, III, 344 cum Lugo, Lessio, Salmanticensibus; Gury, I, 691; Ferreres, *Epitome*, 421; Génicot, I, 546; D'Annibale, II, 209; Lehmkuhl, 1207; Tanquerey, *De iustitia*, 540; Zaninetti, III, 1482.

(3) Plerique theologi citati.

(4) S. Alphonsus, cum Salmanticensibus, aliisque sat communiter.

(5) D'Annibale, Ferreres, Lehmkhul, Génicot, Zaninetti, ll. cc.

XC.

Nereus, adversa fortuna iactatus, bonis suis cedere cogitur. Quapropter, ne in ius rapiatur, creditores convocat quibuscum rem ex aequo componit, bonorum tamen parte clam servata ut suis suorumque necessitatibus prospiciat. Quo facto, se liberum a quovis restitutionis onere putat, censet enim creditores per voluntariam compositionem iuri suo renunciasse. Hinc nullam dat operam ut idoneus fiat integris debitis solvendis: quinimmo, quamvis donationibus et patrui haereditate ad pinguiorem fortunam evectus, nec nummulum creditoribus suis solvendum curat.

Quaeritur I°. An debitori suis bonis cedenti fas sit quidquam occulte servare?

Q. II°. An per compositionem cum creditoribus initam omne debitum extinguatur?

Q. III°. An Nereus per suam agendi rationem contra iustitiam delinquat?

Quaestionum solutio.

341. — Resp. ad I Q. Maiores nostri severiori poena in eos animadvertere consueverunt quos aeri alieno luendo impares invenissent, quandoquidem ad sua quisque nomina *aut in aere aut in cute* persolvenda adigebantur. Dein beneficium cessionis bonorum passim invectum fuit, quo lex honesto debitori et infelici id tribuebat, ut bona sua creditoribus dimittens ab eorum molestiis liberaretur. Haec bonorum cessio *iudiciaria* dicta fuit: nam et alia extat bonorum cessio quae *voluntaria* appellatur, quia in eam creditores ultro consentiunt, cum debitore rem componentes. Utraque cessio, nisi sit fraudulenta, restituendi obligationem suspendit, etenim tota huiusce flebilis beneficii ratio ex debitoris impotentia ducitur, qua cessante, restituendi obligatio reviviscit.

Haec praefati, dicimus vulgo apud theologos esse receptum, iure naturae inspecto, fas esse debitori bonis suis cedenti servare sibi cum instrumenta artis, tum quidquam ex iis quae iure tenet, ut suis suorumque necessitatibus parce et decenter prospiciat. Si enim cuivis debitori ob gravem necessitatem licet restitutionem in crastinum differre, licebit et decoctori, eadem necessitate urgente, quidpiam retinere, opportuno tempore restituendum. Immo a iudice interrogatus an quidpiam occultaverit, poterit aequivocatione usus respondere et iurare se nihil occultasse, quod nempe retinere nefas esset (1). Diximus *iure naturae inspecto*, nam si lege satis sit cautum ne debitor neces-

(1) Navarrus, *Enchir.*, c. XVII, 86; Reiffenstuel, tr. IX, dist. V, 119; Lessius, *De iustitia et iure*, sect. II, c. XVI, dub. III; Laymann, l. III, tr. II, c. XII, 5; Sporer, tr. IV, c. IV, 94-98; Vogler, *Iuriscultor theologus*, 542; Voit, I, 784;

sariis indigeat, causa corruit ob quam sibi possit citra piaculum quidquam servare. Diximus etiam, *ex iis quae iure tenet*, nam si quis iniurie aliena usurpaverit, iisdem expoliandus est, quamvis ideo e statu decidat quem iniuste fuerat assecutus: excipe quae ad victum omnino sunt necessaria. Est etiam probabile, fas esse decocto, ex praesumpta creditoris venia, rem aliquam occulte servare, sibi quidem pretiosam (puta ob memoriam defuncti parentis vel amici dilecti), creditori vero nullius aut fere nullius pretii (1).

342. — Resp. ad II Q. Omnibus ratum est, ut modo animadvertimus, bonorum cessionem restituendi obligationem suspendere, scilicet hoc unum efficere ut debitor a restituendo se sustineat pro ea aeris alieni parte cui expediendae bona paria non sunt quibus cessit. Sane in cessione iudiciaria lex eo spectat ut hominem vitio fortunae non suo decoctum a creditorum molestiis liberet, non autem ut a vinculo eximat quo iisdem obstringitur ob reliquam debiti sui partem quam ferre valet. In cessione autem voluntaria, creditores qui necessitate compulsi rem ex aequo cum creditore componunt ne totum amittant, nisi conceptis verbis aut aequipollentibus id significaverint, immerito censentur de iure suo concedere velle, et si forte decoctor ex angustiis ad meliorem fortunam deinceps se recipiat. Ex quo conficitur, debitori excusso sedulam operam navandam esse ut aeri solvendo quod semel conflavit idoneus fiat: qui enim ex iustitia ad aliquid praestandum obstringitur, item ex iustitia quaerat oportet quo praestare valeat. Haec tamen amare non sunt urgenda, sed aequa ratione ac mitiori iudicio curandum ut pro rerum ac temporum opportunitate debitor officii sui impleat partes. Haec communis et hactenus recepta sententia (2).

Ab hac sententia neoterici quidam recedunt, arbitrantes etiam in foro conscientiae per bonorum cessionem restituendi obligationem solvi, sicubi haec persuasio invaluit, praesertim quia negotiatores pecuniam suam foenerantes usuras immoderatas expetere solent ob praevisum sortis periculum (3). Verum id nobis generatim non probatur: nam ut iura constent vel minus, ab hominum persuasione non pendet. Ad hoc, neque creditores omnes pecuniam suam foenori dant, neque dantes solent immodicas atque iniustas usuras semper exigere. Quapropter tunc tantum haec opinio probari posse videtur, quum reipsa creditores ex sua pecunia in foenore posita tales usuras

Ferraris, v. *Restitutio*, a. V, nn. 49-55; S. Alphonsus, III, 669; Bouvier, *De iure*, p. II, q. V, a. I, § III; Gury, II, 719; Gousset, I, 772; Sebastiani, *Summarium*, 333; Cerato, *De iustitia*, 316, 317.

(1) Ferreres, *Epitome*, 466 et Génicot, 605.

(2) Ita communiter theologi citati.

(3) Génicot, I, 604, q. II; Zaninetti, *De praeceptis*, 1498 et Crolly apud Lehmkuhl, I, 1220 et *Casus*, I, 775, 776.

perceperint, quae, dempto sortis periculo, iniustae forent: quippe in hoc eventu sortis amissio per usuras ante a creditoribus perceptas compensari quadantenus potest (1).

343. — Resp. ad III Q. Nereus profecto in iustitiam delinquit: cum enim restitutionis vinculo adhuc sit obstrictus, iniustitiae crimine se polluit, sive dum nulla nititur opera ut aeri alieno solvendo parem aliquando se faciat, sive dum opibus auctus restitutionem negligit. Excipe si creditores, sua sorte contenti, reliquum debitum sponte dimiserint vel si ex sua pecunia iniquas prorsus usuras perceperint.

IN TRACTATUM
DE CONTRACTIBUS

XCI.

Onofrius librum Caio promittit, postea vero Sempronio donat; etiam horologium aureum illi promittit, at promissionis poenitens, ante eam revocat quam Caius acceptet.

Quaeritur I°. Quid sit contractus et an a promissione differat?

Q. II°. An valeat donatio rei alteri promissae?

Q. III°. An promissionem revocans violet ius alienum?

Q. IV°. An Onofrius iustitiam laeserit?

Quaestionum solutio.

344. — Resp. ad I Q. Contractus definiri solet: *Duorum vel plurium in idem placitum consensus* (2) Quae definitio, nimis concisa, non plane videtur notionem contractus referre. Nam vox *consensus* non satis significat *voluntatem mutuo expressam et acceptatam se se obligandi:* quae omnia germana notio contractus exposcit. Praeterea vox *plurium* redundat: si enim plures quam duo contractum ineunt, iam non erit unus contractus sed multiplex (3). Quare malumus contractum sic definire: *Duorum conventio invicem manifestata et acceptata, qua uterque vel alteruter ad aliquid praestandum vel omittendum se obligat. Uterque*, inquimus, *vel alteruter:* etenim in contractibus quos *synallagmaticos*, seu *bilaterales* vocant, uterque contrahens ad aliquid se adstringit, in *unilateralibus* vero alter tantum (4).

(1) Eodem fere sensu loquuntur Lehmkuhl (l. c.) et Tanquerey (*De iustitia*, 674) dum huic opinioni aliquatenus accedunt.

(2) L. I, ff. *De pactis.*

(3) Vide Rosmini, *Diritto*, I, 1069.

(4) S. Alphonsus, III, 707.

345. — Promissio est *actus quo quis fidem suam alteri obligat, idest se obstringit ad aliquid praestandum vel omittendum.* Promissio vim contractus non habet donec ab eo cui fit acceptetur, sed manet *simplex promissio* quae fidelitatis vel veracitatis potest obligationem inducere (ut alibi dicemus, n. 367), non autem iustitiae; quapropter ut promissio in contractum transeat et iustitiae obligationem inducere valeat, necesse est ab eo acceptetur cui facta fuit (1).

346. — Resp. ad II Q. Si promissio acceptata non fuerit, donatio alteri facta valet: quippe nuda promissio nullum ius illi confert cui facta fuit. Quod si promissio acceptatione promissarii firmata fuerit et promissor ex iustitia se obligaverit, valet adhuc donatio, sed illicita et iniusta dicenda est. Valet, quia promissio confert quidem promissario *ius ad rem*, non autem *ius in re,* seu rei dominium, quod apud promissorem manet; propterea valida est rei donatio (2). Est tamen illicita et iniusta, quia ius laedit quod promissarius acquisierat ad rem habendam: hinc donator iniustus iniuriam promissario illatam reparare debet, et sarcire damna quae forte hac de causa obvenerint illi.

347. — Resp. ad III Q. Ut promissioni vis sua constet, tacita in ea inest conditio ut promissarius consentiat; proinde aliquod temporis spatium illi dandum est quo mentem suam aperiat, secus ludicra videretur promissio. Hinc qui protinus, nempe non dato congruo tempore, promissionem revocat, promissario iniuriam facit: cuius signum est displicentia qua is afficitur ob revocatam intempestive promissionem (3).

348. — Resp. ad IV Q. Etsi valuit donatio libri Sempronio facta, illicita tamen fuit et iniusta, si promissionem Caius acceptaverat, namque vi acceptatae promissionis ius ad rem acquisierat. Revocatio promissionis horologii licita potuit esse vel minus pro spatio temporis quod Caio datum fuit ad suum consensum manifestandum. Iniuria autem et damna, si qua extiterint, ab Onofrio reficienda sunt.

XCII.

Tullius decem argenteos Anselmo promittit, si in Crucifixum spuat pedibusve illum conterat. Aurelio decem argenteos dat, totidem daturus si Andream contumeliis oneret. Agricolas die festo, condicto pretio, ad agrum excolendum conducit. Pacta mercede, cum Marculpha prostibula rem habet.

Quaeritur 1°. An actio mala obiectum contractus esse possit, seu an contractus de re inhonesta sit validus?

(1) Reiffenstuel, tr. VIII, dist. I, 5, 6; Sporer, tr. VI, c. II, 39.

(2) Sporer, 75; Bouvier, *De contract.*, p. I, c. III; Carrière, *De contract.*, 234; Rosmini, *Diritto*, l, 1082-87, 1480. Vide et S. Alphonsum, 732, Génicot, I, 606 et Gury, I, 521.

(3) Rosmini, *Diritto,* I, 1100-1103.

Q. II°. An malo opere patrato, vel turpi conditione expleta, servandus sit contractus?

Q. III°. An Tullius pretium pactum singulis debeat?

Q. IV°. An pretium acceptum singuli retinere valeant?

Q. V°. An pretium pro mala actione praestanda, ea non praestita, retineri possit?

Quaestionum solutio.

349. — Resp. ad I Q. Quaeritur an contractus inhonestum obiectum habens, vel sub conditione inhonesta initus, obligationem parere valeat. Convenit inter omnes, contractus eiusmodi ante conditionis eventum, nempe antequam opus malum patratum fuerit, iure naturae irritos esse: quippe absonum est dicere, iustitiam quempiam obligare ad illud agendum quod malum est. Hinc si quis alteri promiserit se turpe quidquam commissurum, haec promissio nullius roboris est habenda (1). Id tum iuri pontificio tum iuri gentium plane consentaneum est. Illo namque statuitur: *Iuxta legitimas sanctiones pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de iure vel de facto, nullam obligationem inducit* (2). Hoc item: *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti* (3). Consonant hodierna legum scita, quae omnem obligandi vim illis contractibus adimunt qui vel bonis moribus vel legibus adversantur (4).

350. — Resp. ad II Q. Expleta conditione turpi, seu opere malo patrato, an debeat pars altera stare promissis, seu an contractus vigeat, gravissima quaestio est atque inter theologos et iurisconsultos maxime disputata. Paucis utriusque sententiae momenta efferemus.

Communior sententia affirmat, iure naturae inspecto, hos contractus irritos omnino non esse, sed conditionate valere, quatenus post impletam conditionem, seu praestitum malum opus, servandum est pactum quod sine peccato iam servari potest. Nam, quamquam opus turpe venale non est nec pretio dignum, attamen quatenus laboriosum et periculosum praestanti, vel alteri utile et iucundum, pretium meretur, propterea obiectum contractus esse potest. Ad hoc, in contractibus onerosis - *do ut des, facio ut facias* - quum quis partem suam praestitit, lex naturalis postulat ut et alter suam praestet ad aequalitatem servandam. Idem firmatur exemplo stupratoris, qui promisso coniugio puellam defloravit: hunc promissionem servare et puellam in matrimonium ducere debere exploratum est. Firmatur et exemplo meretricum, quae, nemine contradicente, meretricii pretium

(1) Reginaldus, *Praxis*, l. X, 186; Laymann, l. III, tr. IV, 7; La Croix, l. III, p. II, 690; S. Alphonsus, III, 712 et ceteri.

(2) Cap. *Pactiones*, 8, *De pactis*.

(3) L. *Generaliter*, 26, ff. *De verb. obligat.*, tit. I.

(4) *Codex gallicus*, a. 1131; *Codex italicus*, a. 1160.

retinere possunt: nam *quod meretrici datur repeti non potest,... quia licet turpiter faciat quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit cum sit meretrix* (1). Et S. Thomas: *Quod mulier meretricium exerceat, turpiter agit et contra legem Dei; sed in eo quod accipit non iniuste agit nec contra legem* (2). Haec potissima communioris sententiae momenta (3).

Etsi minus communis, contraria sententia plures eosque clari nominis patronos nacta est, quibus adhaerendum putamus, nonnullis e vestigio praepositis perspicuitatis gratia. Nimirum duplex actionum genus distinguamus oportet: quippe aliae sunt *in se* et *substantialiter* malae (ut blasphemiae, sacrilegia, homicidia, adulteria), aliae non sunt in se malae sed *accidentaliter*, seu ex aliquo accidenti malae fiunt (ut operari in agris die festo, ensem vendere homini scelesto, vinum ebriaturo praebere, iniquae causae patrocinium in foro suscipere, oratione vel scripto defendere): de his propediem dicemus, de illis modo. Porro actiones substantialiter inhonestae venales esse non possunt, quippe quae nullo pretio sunt dignae: ergo obiectum contractus esse nequeunt. Audi Augustinum: *Cum iudicia et testimonia, quae nec iusta nec vera vendenda sunt, iniqua et falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia scelerate etiam quamvis volentibus datur. Ille tamen solet tanquam male sibi ablatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit, quia venale esse non debuit* (4). Firmatur haec conclusio utriusque iuris decretis paulo supra relatis, quae contractus turpes (nullo facto discrimine inter patratum opus et patrandum) irritos esse pronunciant. Ad hoc, ipsis adversariae sententiae sectatoribus consentientibus, contractus huiusmodi ante malum facinus patratum nullius sunt roboris: quod autem ab initio non est validum non potest tractu temporis convalescere. Argumentum, in quo maxime nititur S. Alphonsus, ex eo ductum quod in contractibus - *Do ut des, facio ut facias* - omnino servanda est aequalitas, iudicio nostro infirmum est, quia pro certo assumit quod in quaestionem vertitur, nempe hos contractus validos esse postquam malum opus praestitum fuit. Utique ex iustitia instauranda est aequalitas; at non omnis, sed ea quae per actum iniustum fuit ablata, seu ad quam quis ius habet, non autem quae ex turpi irritoque contractu orta est. Neque exempla stupratoris et meretricum conclusionem nostram labefactant. Etenim non vi contractus obligatur stuprator ad stupratam puellam in matrimonium ducendam, sed ad illatum damnum et iniuriam reparanda, sive

(1) L. 4, ff. *De condit. ob turp. causam.*

(2) II^{a} II^{ae}, q. XXXII, a. VII, et LXII, a. V, ad 2^{um}.

(3) Reginaldus, *Praxis*, l. X, 184; Lugo, *De iust.* disp. XVIII, 47, 59; Lessius, l. II, c. XIV, 52; Laymann, 8; La Croix, 692; S. Alphonsus, l. c.; Voit, I, 893; Lehmkuhl, I, 1249; Costantini, 383; Génicot, I, 584.

(4) Epist. LIV ad Macedonium.

per deceptionem et dolum, sive per seductionem tantum stuprator puellam ad malum traxerit. Item meretrices non vi contractus accipere et retinere valent turpitudinis suae pretium, sed ex alio titulo: nempe cum publicis moribus magis expediat has tolerare lupas quam exterminare, satius est a scortatoribus quam ab aliis sustententur, proinde non vi contractus sed legis pellices pretium accipiunt, quasi donatum, aut derelictum, aut sibi adiudicatum in poenam eorum quibuscum turpiter concubuere. Animadvertas velim, S. Thomam non de iure meretricum loqui ad pretium repetendum, sed de acceptione tantum, quam *non iniustam neque contra legem* esse affirmat.

Haec de actionibus substantialiter inhonestis: quod vero spectat ad actiones accidentaliter malas, quae in se spectatae pretio sunt aestimabiles propterea et venales, plerumque docent cum prioris sententiae patronis, actione mala peracta, pretium esse solvendum vi contractus qui irritus omnino non fuit. Melius tamen nobis dicendum videtur, ex ipsa re seu facto obligationem oriri, ne quis ex tuo delicto iacturam patiatur, aut tu de alieno locupleteris (1).

351. — Resp. ad III Q. In hac quam tuemur sententia Tullius contra iustitiam non peccat promissos argenteos Anselmo detrectans pro iniuria Crucifixo illata, et Aurelio pro contumeliis Andreae impactis: nam actiones hae substantialiter inhonestae nulloque pretio dignae in contractum deduci nequeunt. Quos autem Aurelio ante contumelias dedit, si dono quasi ad alliciendum dedit (propterea non ex contractu), iam repetere non valet. Merces cum agricolis conventa tribuenda est, quippe labor in agro excolendo impensus, non est substantialiter malus pretiumque meretur: praeterea, si pactam mercedem Tullius non solveret, de alieno ditesceret, quod foret iniustum. Et Marculphae meretrici pretium solvat oportet, saltem vi legum, quae scorta ad peiora cavenda flagitia tolerantes, scortatoribus alenda relinquunt: hinc et scorta pretium condictum exigere possunt.

(1) Navarrus, *Enchir.* c. XVII, 28; Bonacina, *De contract.* disp. III, q. I, p. IV, 10; Collet, *De contr.* p. I, c. IV, a. III; Lambertini, *Casus*, an. mdccxlvii, mense septembris; Carrière, *De contr.* 333; Rosmini, *Diritto*, I, 1115, nota; Gousset, I, 753; Frassinetti, I, 203, nota 74; Pramaggiore, *De contract.* p. II, a. II, § I; Gastaldi, II, pag. 143, 388; Guillois, *Catechismo*, vol. II, Lez. XX, Tanquerey, *De contr.* 648, et inter iurisperitos Puffendorf, Heineccius, Pothier, apud Carrière (331). Hanc sententiam *probabilem* vocat S. Alphonsus (l. c.) cum Roncaglia et Lessio, et *probabilem* dicit Ferreres (*Epitome*, 451) et *gravem* Sebastiani (*Summarium*, 293) cum D'Annibale appellat (II, 301). Ex his omnibus patet, nimis audacter Ballerinium (ad Gury, I, 760) asseruisse huius sententiae probabilitatem *inanem esse, quae nec ratione ulla nisi falsa, nec ulla nisi ficta auctoritate nititur.* Videsis *Vindicias alphonsianas*, vol. I, p. III, q. XV. Alphonsianos vindices refellere conatur Ballerinius (*Op. theol. mor.* tr. *De contractibus*, 61-74), quo exitu sapientioribus esto iudicium.

352. — Resp. ad IV Q. Exceptis agricolis et Marculpha, reliqui acceptum pretium nequeunt vi contractus retinere; possunt autem, si dono datum aliove titulo debitum. Si vero titulus retinendi desit, restituant oportet. Cui vero? Pauperibus piisve locis, dicunt plures, ne illis faveatur quos punire praestat (1). At iure naturae inspecto, restitutio ei videtur facienda qui pretium solvit; nam quum contractus irritus est, dominium pretii penes illum manet a quo solutum fuit, poenam autem infligere legislatoris est non privati hominis (2). Marculpham excepimus, quae saltem vi legum acceptum pretium retinere potest. Est tamen suadenda ut in pios usus illud impendat, quemadmodum a S. Poenitentiaria, die 23 aprilis 1822 responsum fuit: *Mulier poenitens non cogenda est sed hortanda ut pretium meretricium, iuxta prudentis confessarii iudicium, eroget in pios usus.*

353. — Resp. ad V Q. Si ultro datum fuit, sine ulla pactus stipulatione, retineri potest quasi donatum; minime vero, si vi contractus qui pro irrito habendus est (3).

XCIII.

Osius pecuniam Marcellae dat ut eam ad rem turpem alliciat; pecuniam accipit Marcella, at sollicitantem repellit. Denuo Marcellae pecuniam tradit, expresso tamen pacto, ut sui copiam sibi faciat; consentit Marcella, at, accepta pecunia, iterum Osium repellit. Tunc Osius promittit se eam in matrimonium ducturum si votis annuentem inveniat; post vero quam Marcellam promissione sua ad malum traxit, nuptias cum ea inire recusat.

Quaeritur I°. An Marcella in duplici priori facti specie pecuniam potuerit retinere?

Q. II°. An Osium iustitia obliget ad promissas nuptias ineundas?

Quaestionum solutio.

354. — Resp. ad I Q. In prima facti specie, cum nullus de re turpi contractus intercesserit, potuit Marcella, salva iustitia, pecuniam quasi dono sibi datam retinere; quamvis honestius et consultius egisset, illam in pios usus impendendo. In secunda facti specie adfuit quidem de re turpi conventio; quia tamen, omnibus fatentibus, contractus de re turpi antequam malum opus sit praestitum irritus est omnique carens effectu, idcirco nequit Marcella acceptam pecuniam retinere,

(1) Hanc S. Alphonsus, *communiorem* et *probabiliorem* sententiam vocat (l. c.): quod intelligendum est quum leges in poenam criminis pactam pretii solutionem prohibent.

(2) Reginaldus, *Praxis*, l. X, c. XIII, 290 (cum Soto et P. Navarra); Carrière, 337.

(3) Génicot, 583.

neque vi contractus, neque donationis titulo, sed Osio restituat oportet, ex sententia quam ut probabiliorem amplexi sumus.

355. — Resp. ad II Q. Qui matrimonio promisso puellae stuprum intulit, seu ficte seu serio promiserit, debet eam ducere uxorem : non equidem vi contractus (in quo nulla vis inest), sed ratione *damni* illati, quod secus vix reparari potest, et *deceptionis iniustae*, si promissio fuit ficta. *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam* (in veteri Testamento statutum erat), *dormieritque cum ea, dotabit eam et habebit eam uxorem* (1). Idque iuri naturae plane consentaneum est communiterque receptum (2). Obligatio tamen stupratam ducendi nonnunquam desinere potest : nempe si ex nuptiis gravia timeantur mala, ut puta rixae, scandala, familiae dedecus (damnis tamen alia ratione refectis); si puella promissionis fictionem animadvertit, vel facile animadvertere potuit; si stuprator ipse a puella se virginem falso iactante fuit deceptus, dolus enim dolo pensatur. Quae causae si desint, debet Osius ex iustitia Marcellam in matrimonium ducere.

XCIV.

Probus sacerdos duos a Remigio albi vini cados emit, quod praegustatum optimum invenerat; duos etiam farinae saccos ab eodem emit, quam triticeam putabat. Numerata pecunia ac mercede recepta, animadvertit vinum ex pomis expressum, farinae vero alterum saccum avenaceum, alterum quidem triticeum esse, at superioris anni, quum ipse recentis existimasset. Cum autem vinum huiusmodi et farinam inepta arbitretur Altaris Sacrificio cui destinaverat, solutam pecuniam a Remigio repetit. Abnuit Remigius, qui sine dolo mercem vendidisse testatur; quare contendit sibi uni Probum errorem imputare debere.

Simplicius vaccam emit quam foetam, equum quem sanum, pannum quem bonum existimabat; sed eheu se deceptum agnoscit, nam vaccam non foetam, pannum combustum reperit, equus vero post biduum occumbit. Quapropter pretium a venditoribus repetit, contractus eiusmodi irritos esse contendens.

Quaeritur I°. An et quando error contractum vitiat?

Q. II°. Quid si error per dolum inductus fuerit?

Q. III°. Quid de contractibus a Probo et Simplicio initis?

Q. IV°. Quid si in contractu utrinque dolus intercessit?

(1) *Exod.* XXII, 16.

(2) S. Thomas, *Supplem.* q. XLVI, a. II, ad 4^{um}; Navarrus, *Enchir.* c. XVI, 18; Reginaldus, *Praxis*, 331, 332; Reiffenstuel, tr. IX, dist. IV, 26, 27; Laymann, l. V, tr. X, p. I, c. I, 11; Illsung, tr. IV, disp. III, q. I, a. II, § IV; S. Alphonsus, III, 642 (aliique plures qui ab eo citantur); Gury, I, 729; Frassinetti, I, 193; Lehmkuhl, I, 1187; Sebastiani, *Summarium*, 336.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

356. — RESP. AD I Q. Error est iudicium falsum. Potest quis decipi a se ipso, hoc est nemine impellente in errorem labi; potest ab alio per dolum malum decipi. Utcumque fiat, error diducitur in *substantialem*, qui in illud cadit in quod primario, quasi in obiectum contractus, voluntas contrahentium fertur; et in *accidentalem*, qui respicit aliquid quasi accidens obiectui contractus, et cui non nectitur absolute voluntatis consensus. Error substantialis mutat obiectum contractus, nempe id efficit ut voluntatis consensus in aliud obiectum feratur ab eo quod contrahenti proponitur; deficiente autem voluntatis consensu in obiectum propositum, contractus ad irritum cedat necesse est, quippe qui sine consensu constare nequit. Contra accidentalis error obiectum consensus non mutat sed accidentia tantum; quapropter consensu in propositum obiectum manente, contractus viget. Error qui circa qualitates obiectus versatur, plerumque ceu accidentalis habetur: excipe si qualitas eiusmodi sit cui contrahens suum consensum adnectat (idem dic de ceteris accidentibus) ita ut, ea deficiente qualitate, consentire nolit; tunc enim qualitas vel accidens in obiectum contractus censetur transire (1). Haec consonant *Codici pontificii iuris* in quo scriptum est: *Error actum irritum reddit si versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem* **sine qua non**; *secus actus valet, nisi aliud iure caveatur* (2). His etiam consonant legum civicarum scita: namque ex *Codice italico* error iuris contractum inficit cuius unica vel princeps causa fuit; error vero facti tunc inficit quum cadit in substantiam rei in contractum deductae (3). Ceterum ad irritandum in foro externo contractum non sufficit ut adsit error, sed demonstrandus est.

357. — RESP. AD II Q. Si error per dolum fuit inductus, idest si contrahens ab alio contrahente fuit deceptus, sive error in substantiam sive in accidentia rei cadat, fas est decepto a contractu resilire vel damni et iniuriae sibi illatae compensationem exposcere (4). Idque et iure civili firmatur (5).

358. — RESP. AD III Q. Probi error partim substantialis, partim accidentalis fuit: substantialis circa vinum ex pomis confectum et farinam avenaceam, cum utrumque Sacro faciendo sit ineptum; accidentalis vero circa farinam triticeam superioris anni, quam Sacro

(1) REIFFENSTUEL, tr. VIII, dist. I, 14, 15; LAYMANN, l. III, tr. IV, c. V; SPORER, tr. VI, c. II; sect. III; BONACINA, *De contract.* disp. III, q. I, p. II; LA CROIX, l. III, p. II, 612-20; S. ALPHONSUS, III, 714 ceterique communiter.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 104.

(3) *Codex italicus*, art. 1109, 1110.

(4) LAYMANN, SPORER (ll. cc.); LA CROIX, 623, 624; S. ALPHONSUS, 715; GÉNICOT, I, 590; SEBASTIANI, *Summarium*, 293; ROSMINI, *Diritto*, I, 1145.

(5) *Codex italicus*, art. 1115; *Codex gallicus*, art. 1117.

idoneam nemo dubitat; propterea vini emptio irrita fuit, farinae vero partim irrita, partim valida. Ut tamen in foro externo pecuniam suam recuperare valeat, ostendat oportet dolo Remigii se fuisse deceptum. Error Simplicii circa vaccam, quippe accidentalis, contractum non irritat, neque rescissioni obnoxium facit, dumne expresse declaraverit nisi foetam emere non velle, aut venditor foetam se daturum promiserit. Error circa pannum procul dubio substantialis est: quis enim, nisi bardus, combustum vult emere pannum? De equo interest videre, utrum obierit morbo quo antea laborabat, vel apoplexi aliove inopinato morbo correptus: si primum, adfuit substantialis error contractum vitians; si alterum, defuit error sed validum contractum infortunium subsecutum est.

359. — Resp. ad IV Q. Si uterque contrahens dolo usus fuit, contractus valet, dolus enim dolo pensatur (1). Excipe si unius damnum longe damnum alterius superaverit, in quo eventu excedens damnum erit ex iustitia reparandum.

XCV.

Caius inter furandum a Martino deprehensus, ne in ius rapiatur, biscentum argenteos illi offert in mutuum gratuitum, quibus noverat illum indigere. Annuit Martinus, at cum Caium iterum furantem deprehendisset, minitatur ei carcerem nisi argenteos sibi mutuo traditos condonet. Alias latrunculus noster latrones incidit, e quorum manibus se eripere non potuit quin certam pecuniae vim promitteret, datamque fidem iuramento firmaret.

Pancratius medicus, ad Eudoxiam praedivitem puellam aegrotantem vocatus, eius curam suscipere detrectat nisi, recuperata salute, filio suo nubere spondeat.

Quaeritur I°. Quotuplex metus distinguitur?

Q. II°. An et quatenus metus contractum inficiat?

Q. III°. Quid de vi contractuum in propositis factorum speciebus?

Quaestionum solutio.

360. — Resp. ad I Q. Metus distingui potest ratione *gravitatis, causae* et *modi*.

Ex 1° capite metus alius est *gravis*, qui nisi in virum constantem non cadit; alius *levis*, quo vir constans non movetur. Inter utrumque medius quadammodo *reverentialis* metus consistit, qui oritur ex reverentia debita parenti, tutori, praelato, principi aliisve aliquo nomine praestantibus: hic metus plerumque levis censetur, nisi accedant importunae preces, dura verba, minae, indignatio. Ceterum gravitatem metus aestimare oportet nedum ex natura mali quod quis

(1) D'Annibale, II, 413, nota 50.

timet, sed et ex ingenio moribusque metuentis et ex rerum adiunctis, etenim mala quaedam omnibus gravia sunt, quaedam vero quibusdam tantum.

Ex 2° capite metus alius *ab intrinseco* dicitur, veluti si ex morbo vel naufragio mortem timeas, aut carcerem ex conscientia patrati sceleris; alius *ab extrinseco*, veluti si districto ense quis tibi necem minetur.

Ex 3° capite metus alius *iuste*, alius *iniuste incussus* habetur: incuti autem potest vel a contrahente, vel ab extraneo, sive ad consensum extorquendum, sive ad alium finem.

361. — Resp. ad II Q. I°. Metus gravis, quaevis sit eius causa, si rationis usum penitus intercipiat, libertatem consensus adimit irritatque contractum (1) Immo ex iure pontificio: *Actus quos persona sive physica sive moralis ponit ex vi extrinseca, cui resisti non possit, pro infectis habentur* (2).

II°. Metus gravis ex causa intrinseca, nisi rationis usum praevertat, contractum non vitiat: contrahens enim, nemine cogente, libere consensum praestat (3).

III°. Metus levis, quavis ex causa proveniat, etiamsi iniuste sit incussus, contractum non inficit, cum facile vinci possit neque auferat liberum voluntatis consensum. Idem de metu reverentiali dicendum, nisi ex adiunctis gravis censeri debeat (4).

IV°. Metus gravis a causa libera iuste incussus, etiam ad consensum obtinendum, contractum non vitiat: cum enim iuste sit incussus, nullam patienti metum iniuriam infert, qui libere contractum eligit ad malum vitandum quod timet. (5).

V°. Metus gravis iniuste incussus, non tamen ad consensum extorquendum, contractum non inficit, quia cum consensus per metum non sit extortus, satis relinquitur contrahenti consentiendi libertas. Probabilius tamen metum passus, ob laesam iniuste libertatem, contractus scindendi ius habet, praesertim si ab alio contrahente metus fuerit incussus (6). Ad rem *Codex iuris canonici,* can. 103, § 2: *Actus positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo valent, nisi aliud iure caveatur, sed possunt per iudicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis laesae, sive ex officio.*

VI°. Si metus gravis iniuste incussus fuerit ad extorquendum consensum, quaestionis est an vigeat contractus. Plures irritum esse

(1) Sporer, tr. VI, c. II, 114; Rosmini, *Diritto*, I, 1127.

(2) *Codex iuris canonici,* can. 103, § 1.

(3) Reiffenstuel, tr. VIII, dist. I, 16; Sporer, l. c.; Lugo, *De iust.* disp. XXII, 113; Carrière, *De contract.* 69.

(4) Sporer, 116; S. Alphonsus, III, 718. De metu reverentiali vide et *Codicem italicum*, art. 1114.

(5) Sporer, 117; Reiffenstuel, 17; Lugo, 156.

(6) Lugo, 175; Carrière, 73; Rosmini, 1129.

contendunt, tum quia coacta voluntas verbo tenus consentit, deficiente autem consensu interiori, contractus deficit; tum quia rationi repugnat ut per actum iniustum quispiam ius acquirat erga illum cui iniuria illata fuit (1). Alii, numero fortasse plures, contractum validum esse rentur sed rescissioni obnoxium: *validum*, quia iniustitia vel iustitia metus incussi in consensum non influit, qui aeque voluntarius esse potest; *rescissioni obnoxium* ob iniuriam consentienti irrogatam (2). Sunt etiam qui, mediam tenentes sententiam, contractus gratuitos irritos esse volunt, onerosos vero ratos, quia in illis voluntarium simpliciter requiritur, in his sufficit voluntarium secundum quid (3). Ad praxim quod attinet, prima et tertia sententia in idem ferme recidunt, quippe utraque impetit contractus firmitatem. Haec iure naturae spectato, nam iure pontificio quidam actus ex metu initi invalidi pronunciantur: nempe 1° matrimonium; 2° religiosa professio; 3° R. Pontificis electio; 4° rerum Ecclesiae traditio; 5° iurisdictio per metum acquisita; 6° absolutio a censuris; 7° beneficiorum renunciatio (4). Ex novissimi *Codicis pontificii iuris* scitis ob gravem metum irrita fiunt votum, matrimonium, religiosa professio et admissio ad novitiatum et ecclesiastici officii renunciatio (5). Ad sponsalia vero quod attinet, ex *Codicis* canone 103 modo relato, rescindibilia sunt dicenda (6).

362. — Resp. ad III Q. In prima facti specie Caius valide contraxit, ipse enim sponte, ad vitandam poenam promeritam, Martino pecuniam obtulit. In secunda specie condonatio Martino facta valida videtur, tum quia metus poenae iniuste non fuit incussus; tum quia Caius, inter duo mala constitutus, pecuniae iacturam carceri praefert. Excipe, si inter poenam carceris et pecuniae iacturam conveniens proportio non fuisset. In tertia specie Caii promissio irrita prorsus fuit vel saltem revocabilis, quia per metum iniustum extorta et a voluntate promittentis aliena. Si autem irrita, nequit per iuramentum convalescere. Hinc non pauci cum S. Antonino probabiliter docent, eiusmodi iuramentum non obligare, quippe quod contractui accedit tanquam principali, corruente autem principali, accessorium corruat necesse est (7). Communior tamen sententia docet, ob reverentiam Deo debitam iura-

(1) Navarrus, *Enchir.* c. XVII, 15, 20; Reginaldus, *Praxis*, l. XI, 77; Sporer, 118; Collet, *De contract.* p. I, c. III, a. III, concl. IV; Rosmini, 1128-1130; aliique veteres quos citat Sanchez, *De matrim.* l. IV, disp. VIII, 2.

(2) Reiffenstuel, 19; Sanchez, 4; Laymann, l. III, tr. IV, c. V, 2; Lugo, 115; Lessius, l. II, c. XVII, dub. 6; S. Alphonsus, 716.

(3) Carrière, 71, 72.

(4) S. Alphonsus, l. c.

(5) *Codex iuris canonici*, can. 1087; 572, § 1, n. 4; 542, n. 1; can. 175. Vide dicta de voto n. 195 et dicenda de matrimonio, n. 745.

(6) Vide Pighi, *De Sacramento Matrimonii*, n. 13.

(7) Ballerini-Palmieri, tr. *De 2° praecep. Decalogi*, 78-80.

mentum esse servandum, quum licite servari potest. *In iuramento quod quis coactus facit*, ita Angelicus Doctor, *duplex est obligatio, una quidem qua obligatur homini cui aliquid promittit; et talis obligatio tollitur per coactionem, quia ille qui vim intulit, hoc meretur ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio qua quis Deo obligatur ut impleat quod per nomen eius promisit; et talis obligatio non tollitur in foro conscientiae, quia magis debet damnum temporale sustinere quam iuramentum violare* (1). Quidquid sit, fatentibus omnibus, potest qui tale iuramentum protulit, eius relaxationem impetrare; et si promissum solverit, solutum repetere (2). Quae apprime conveniunt cum iis quae in *Codice iuris pontificii* hoc canone statuuntur: *Qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod iureiurando firmaverit. Iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet. Sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest* (3).

De Pancratio pauca. Si ex iustitia operam suam Eudoxiae praestare debebat, iniuste prorsus egit et Eudoxiae promissio nullius est roboris; si non ex iustitia, adhuc irrita Eudoxiae promissio videtur, quia consensus in matrimonium omnimoda est libertate praestandus, ut suo loco dicetur.

XCVI.

Callistus condicto pretio Iulianum ad segetem metendam conducit; cum autem Iulianus messionem per dies aliquod distulisset, subita grando totam messem vastavit.

Dum Silvester, cane comitante, per montes venatum iret, turmam ovium incurrit quae, viso cane, exterrefactae e rupe se se praecipitarunt.

Quaeritur I°. An et quatenus in contractibus obligatio ex culpa iuridica exsurgat reficiendi damna?

Q. II°. An in quasi-contractibus?

Q. III°. An Iulianus damna Callisto reficere debeat?

Q. IV°. An damna per canem illata sint a Silvestro sarcienda?

Quaestionum solutio.

363. — Resp. ad I Q. Quaestio haec vix uno digito ab ea distat quam retro tractavimus (n. 324), agentes de culpae theologicae necessitate ad obligationem restitutionis inducendam. Quapropter, ne actum

(1) II^{a} II^{ae}, q. LXXXIX, a. VII, ad 3^{um}.

(2) Sanchez, *De matrim.* l. IV, disp. XX, 4; Laymann, l. IV, tr. III, c. VII, 2, 3; S. Alphonsus, III, 174; Lambertini, *Casus*, an. mdccviii, mense augusti; Génicot, I, 600.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 1317, §§ 1 et 2.

agamus, paucis respondemus: inspecto iure naturae, nullam reficiendi damna obligationem adesse ubi defuit culpa theologica, etenim damna non praevisa et quae praevideri non poterant, imputari nequeunt agenti. Ipsae civiles leges absolvunt ab obligatione reficiendi damna quae ex fortuito vel ineluctabili eventu accidunt, nisi obsit pactum vel culpabilis mora (1). Diximus *inspecto iure naturae*; sed quid si leges damnum imputent ex culpa iuridica proventum? Receptum est, post iudicis sententiam obligationem adesse in foro conscientiae haec damna instaurandi: etenim legi iustae parendum est, nemo autem dubitat has leges esse iustas quae in praesumptione iuris nituntur et ad vigilantiores cives efficiendos sunt constitutae. An vero obligatio haec obtineat ante sententiam, affirmant plures, iura atque consuetudinem praetendentes (2); at non pauci et probabilius contradicunt, quia neque ex iure naturali, neque ex legislatorum scitis, neque ex contrahentium mente obligatio huiusmodi adstrui potest (3). Concludamus verbo: lex incerta est, legis autem incertae non est urgenda obligatio.

364. — Resp. ad II Q. Praestat e vestigio quasi-contractus notionem exhibere, quae apud theologos et iurisconsultos eadem prorsus non est: quippe penes theologos quasi-contractus est alicuius muneris susceptio (puta iudicis, medici, confessarii), in qua tacita inest conventio ea omnia praestandi quae probi homines et usu periti in eiusmodi negotiis praestare solent, proinde non est nisi *contractus implicitus*; penes iurisconsultos vero quasi-contractus nomine intelligitur factum voluntarium, ex quo civiles leges aliquam obligationem praesumunt (4). His positis, idem sentiendum putamus de quasi-contractibus quod de contractibus modo diximus: nam quasi-contractus ad mentem theologorum non est nisi quidam implicitus contractus; ad mentem autem iurisprudentium non est nisi legis fictio, quae supplere nequit obligationem naturalem vi contractus deficientem (5).

365. — Resp. ad III Q. Si brevis dilatio fuit, neque segetem metendi dies in pactum expresse deductus fuerit, neque grandinis periculum ingruebat, fortuito eventui damnum reputandum est, ideoque nulla Iulianus obligatione tenetur illud reparandi, nisi per iudicis sententiam cogatur. Secus si dies in pactum deductus fuerit (v. c.

(1) *Codex italicus*, art. 1226 et seq.; *Codex gallicus*, art. 1148, 1302, 1807.

(2) Navarrus, *Enchir.* c. XVII, 184; Laymann, l. III, tr. III, p. I, c. VI, 3; Bonacina, *De contract.* disp. III, q. I, p. VI, 20; Bouvier, *De contract.* p. I, c. V, a. II, § II; Carrière, 284.

(3) Lugo, *De iust.* disp. VIII, 106; Lessius, l. II, c. VII, dub. 5; La Croix, l. III, p. II, 177; Gury, I, 661; D'Annibale, I, 297; Tanquerey, *De contract.* 661; Lehmkuhl, I, 1151. S. Alphonso, hoc *valde probabile* (III, 554).

(4) *Codex italicus*, art. 1140; *Codex gallicus*, art. 1371.

(5) Lugo, 93; La Croix, 184; Sporer, tr. IV, c. II, 240; S. Alphonsus, 555; Gury, 662; Bouvier, l. c.; Lehmkuhl, 1152; Génicot, I, 520. Vide etiam Rosmini, *Diritto*, 1, 1366-1376.

Nisi cras vel perendie metas, alium conducam), vel si periculum ex mora praevideri poterat, tunc enim cum iuridica culpa adfuit et theologica (1).

366. — Resp. ad IV Q. Si canis Silvestri mansuetus erat, ovium iactura Silvestro imputari nequit, non enim canis sed oves sine causa deterritae damni culpandae sunt; secus si canis ferox fuisset et terrificus, adeo ut damnum praevideri posset, tunc saltem post sententiam damnum Silvester reparare debet (2).

XCVII.

Eusebia Faustinae famulae iterato promittit in testamento suo tercentos aureos illi relicturam, tum grati animi ergo, tum ut curet pro functorum suorum requiete centies piacularis Hostia in sacro altari litetur. In gravem morbum lapsa sic ancillam affatur: «Postquam mihi oculos presseris, armillam pretiosam mea in arca reconditam tibi donatam volo». At morbo protinus ingravescente, Eusebia intestata decedit; haeredes autem Faustinae aureos et armillam poscenti recusant. Faustina, nihil petendo proficiens, illatum sibi damnum occulte compensat.

Quaeritur I°. Quae et quanta sit promissionis obligatio?

Q. II°. An promittentis haeredes eius promissis satisfacere debeant?

Q. III°. An licuit Faustinae res sibi promissas vindicare vel ad occultam compensationem confugere?

Quaestionum solutio.

367. — Resp. ad I Q. Promissio (ut eam n. 345 definivimus) est *actus quo quis fidem suam alteri obligat, idest se obstringit ad aliquid praestandum vel omittendum*. Haec in contractum non transit donec a promissario acceptetur. Hic de promissione simplici atque gratuita sermonem instituimus, nam promissio onerosa, quippe quae contractus bilateralis est, utrinque iustitiae obligationem inducit. Magna est inter theologos opinionum discrepantia, utrum promissio simplex et gratuita strictae iustitiae obligationem pariat an fidelitatis seu veracitatis tantum, et an obligatio gravis sit vel levis. Alii pro obligatione iustitiae certant, quam per se gravem esse contendunt (3); alii pro obligatione fidelitatis tantum, quae per se levis est (4); alii obligationis naturam et gravitatem ex promittentis mente

(1) Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxii, mense iulii.

(2) Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxii, mense novembris.

(3) Sanchez, *De matrim.* l. I, disp. V, 24.

(4) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXXXVIII, a. III, ad 1^{um}; *Compendium Salm.* tr. XX, 221; Illsung, tr. IV, disp. II, q. VII, a. I; Bucceroni, *De septimo Decalogi praecepto*, V, 987.

dimetiri oportere arbitrantur (1). Huic postremae opinioni adhaerentes, paucis eam declarandam et adstruendam aggredimur.

Convenit, promissionis vim in foro conscientiae (de quo dumtaxat nunc agimus) ex promittentis animo pendere; adeo ut si quis ullo pacto se obligare noluerit, irrita cedat promissio (2). Iamvero, si res ita se habet, manifestum est promittentis mentem explorandam esse, ut constet tum de obligationis existentia, tum de natura et gravitate. Hinc, si promittens nullam velit obligationem suscipere (quandoquidem verbum *promitto* saepe inter homines ad nudum propositum significandum usurpatur), nulla prorsus aderit obligatio. Si promittens ex fidelitate tantum se velit obligare, qua quis facta dictis conformare debet, obligatio fidelitatis exsurget, quae natura sua levis est. Si autem promittens ita suam fidem obligare velit ut conferat promissario ius ad rem promissam, obligatione iustitiae tenebitur, quae gravis erit vel levis pro rei promissae gravitate et promittentis mente. Quod si promittens anceps sit, an ex iustitia vel fidelitate, an sub gravi vel sub levi se voluerit obligare, potest quod minus est amplecti: obligatio enim promittentis instar legis est quam quis libere sibi indicit, quare illud hic obtinet quod in lege dubia vim axiomatis habet: *In obscuris quod minimum est tenendum* (3). Ceterum, etiam posita obligatione iustitiae, ad grave peccatum theologi materiam triplo vel quadruplo maiorem quam in furto requirere solent, quia promissor de proprio, fur de alieno agit (4).

368. — Resp. ad II Q. Promissio stricte sumpta, quae nempe ex iustitia obligat et a promissario acceptata fuit, ad haeredes transit: etenim vi huius promissionis promissarius ius ad rem acquisivit, quod haeredes omnino servare debent. Secus si promissor ex fidelitate tantum se voluit obligare (haec enim nullum ius promissario confert), aut si nudum voluntatis propositum expresserit (5).

369. — Resp. ad III Q. Cum promissio, etsi stricta et acceptata, ius *in re* non conferat sed *ad rem* tantum, non licuit Faustinae aureos sibi promissos vindicare aut occulta uti compensatione. Contra, haeredibus armillam negantibus, licite eam sumere potuit vel clam

(1) Lugo, disp. XXIII, 90; Laymann, l. III, tr. IV, c. XII, 1; Sporer, tr. VI, c. II, 66-69; Collet, *De contract.* p. II, c. X, q. I; Voit, I, 898; Gury, I, 798; Cerato, *De contractibus*, 99; Tanquerey, *De contract.* 677; Lehmkuhl, I, 1285. S. Alphonsus, tres sententias *satis probabiles* appellat (III, 720).

(2) Navarrus, *Enchir.* c. XVIII, 6; Sporer, 35; Reiffenstuel, tr. VIII, dist. II, q. I, 6; La Croix, l. III, p. II, 608, aliique communissime.

(3) Lugo, l. c.; Sporer, 69; S. Alphonsus, l. c.; Génicot, I, 607; Sebastiani, *Summarium*, 295; Ferreres, *Epitome*, 473.

(4) Sanchez, 24; Sporer, 68; Lessius, l. II, c. XVIII, 56; Voit, Collet, S. Alphonsus, Gury, Bucceroni, ll. cc.

(5) Bouvier, *De contract.* p. II, c. I, a. I; Lehmkuhl, I, 1286.

ad compensationem confugere: etenim armilla, nedum promissa, vere donata ei fuit ab Eusebia sub conditione suspensiva: hac autem impleta per mortem, illico donatio absoluta effecta est, contulitque Faustinae ius expeditum seu in re (1).

XCVIII.

Rupertus testamenti condendi facultatem a iure civili dumtaxat derivandam esse contendit. « Sane (sic ille ratiocinatur) ut iure naturae quis valeat dominium rerum suarum in alium transferre, tria haec simul concurrant necesse est: voluntas et potestas transferendi in eo qui transfert, acceptatio vero in eo in quem transfertur. At testator dum vivit dominium tranferre non vult, mortuus neque vult neque potest; haeres autem, testatore vivente, efficaciter acceptare nequit quod ille adhuc retinere vult. Cum ergo inspecto iure naturae testamentum valide confici nequeat, restat ut testandi facultas nisi a iure civili non sit repetenda ». Ex qua doctrina infert, testamenta informia, idest aliqua legali solemnitate carentia, etiam in foro conscientiae irrita prorsus esse, quamvis ad pias causas facta.

Quaeritur I°. Quid testamenti nomine, et an testandi facultas a iure civili dimanet?

Q. II°. An testamenta informia etiam in foro conscientiae irrita prorsus sint?

Q. III°. Quid de Ruperti doctrina?

Quaestionum solutio.

370. — Resp. ad I Q. Iure Romano testamentum definiebatur: *Voluntatis nostrae iusta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit* (2). Huic definitioni illae cohaerent quas recentiores legum codices enucleatius exhibent (3). Testamenti condendi facultatem nonnulli iurisperiti et paucissimi theologi ex iure civili repetunt. Hi, testamentum accensentes contractibus, in quibus utriusque contrahentis voluntas simul adesse debet, contendunt decedentium voluntates habendas esse tanquam nudum desiderium, inefficax dominio transferendo, nisi lex civilis accedat has voluntates confirmans (4). At receptissima ac tenenda sententia est, facultatem testandi ex iure naturae proficisci: quae sententia multigenis suadetur argumentis.

(1) Gousset, I, 798; Frassinetti, I, nota 82.

(2) L. I, ff. *Qui testamenta.*

(3) *Codex italicus*, art. 759; *Codex gallicus*, art. 895.

(4) Puffendorf, Zallinger, Pothier, Delvincourt, Toullier, Genovesi, Schmalzgrueber (l. III, tit. XXVI, 3 et seq.), Carrière (*De contract.* 498).

Et 1° ipso facto evincitur. Antequam homines in civilem societatem coalescerent et civicae leges conderentur, Abram prole carens servum bonorum suorum haeredem constituit: *Mihi non dedisti semen* (ita Deum allocutus est), *et ecce vernaculus meus haeres meus erit* (1). Prole dein suscepta, *dedit cuncta quae possederat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera* (2). Item Iob *dedit (filiabus suis) haereditatem inter fratres earum* (3). Non ergo ex iure civili sed naturae testamenti factio derivanda est. Hinc ubique gentium persuasio viguit, decedentium voluntates religiose colendas esse atque servandas, quod romanae leges hisce verbis expressere: *Nihil tam conveniens est naturali aequitati quam voluntatem domini, volentis rem suam transferre in alium, ratam haberi* (4).

2°. Indirecte saltem conficitur thesis nostra auctoritate Ecclesiae Romanorumque Pontificum iterum iterumque decernentium, pias functorum voluntates, etsi legalibus formis destitutas, firmas et ratas esse oportere. Haec saeculo VI in Lugdunensi II concilio, haec saeculis VII, XII, XIII a RR. Pontificibus Gregorio Magno, Alexandro III, Innocentio III sancita sunt, et firmantur hoc S. Poenitentiariae responso die 10 ianuarii anni 1901 dato: *Praxim huius sacri Tribunalis in similibus casibus esse ut legata pia habeantur ut valida et obligatoria in foro conscientiae; facile tamen admittuntur haeredes ad compositionem cum Ecclesia vel pia causa cui legatum est* (5). Huc pertinet canon 153, § 2 *Codicis pontificii iuris* dicens: *In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, solemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, haeredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant.* Iamvero, si supremae decedentium voluntates ad pias causas in foro conscientiae obtinent etiam quum civicae leges pro irritis eas habent, concludere licet non a iure civili sed a naturali vim suam mutuare; propterea non a iure civili sed a naturali testandi facultatem dimanare, quae etiam lege civili obsistente valide exercetur.

(1) *Gen.* XV, 3.
(2) *Gen.* XXV, 5, 6.
(3) Iob, XLII, 15.
(4) § *Per traditionem*, Instit. *De rerum div.*
(5) Communi sententiae de vi testamentorum ad pias causas quidam refragantur, inter quos Carrière (*De contract.* 586) et D'Annibale (II, 339), contendentes R. Pontificem Alexandrum III non quasi Pontificem sed quasi principem, ideoque non pro universa Ecclesia sed pro ditione sua, decretum tulisse. Verum cum pontificia hac de re decreta iuri canonico inserta fuerint, allata ratio non adeo firma videtur ut a communi sententia recedere debeamus. Vide Aichner, § 224; Ballerini-Palmieri, *De testam.* 703; Tanquerey, *De iustitia*, 700; Bucceroni, *De septimo praecepto*, VII, 1030; De Varceno, *De contractibus in particulari*, c. I, a. II, § 1; Cerato, *De iustitia*, 89; Génicot, I, 675; Sebastiani, *Summarium*, 288.

3°. Ratio in promtu est. Dominium (quod vulgo *ius proprietatis* appellant) non est nisi facultas de aliqua re disponendi tanquam sua ad omnem usum licitum, seu nulla lege prohibitum. Ex hac dominii notione liquet, ius tradendi cuilibet res suas, nedum in praesenti sed et in futuro (quod est ius testandi), in ipso proprietatis iure inclusum esse. At ius proprietatis, ut philosophi demonstrant, a iure naturae ortum habet (1). Ergo et ius testandi. Idque ex eo firmatur, quod si quis nosset suprema voluntatis suae placita nihil pensi habenda esse, gravi afficeretur moerore tanquam de illata sibi iniuria: hic autem moeror ob iniuriam acceptam (quem italice *risentimento giuridico* vocamus) violati iuris indicium est (2). Post haec minimum erit negotium rationem explodere in qua adversariae sententiae patroni maxime nituntur. Sane, si integrum est domino rem suam alteri eo pacto donare, ut nisi post certum tempus eius dominium non assequatur, integrum erit etiam rem suam per testamentum alteri tradere, qui nisi post testatoris mortem eius dominium non obtineat. Paucis, testamentum spectari potest tamquam donatio sub conditione suspensiva, quae, conditione expleta per advenientem donatoris mortem, absolvitur et perficitur.

His argumentis id abunde confecisse videmur quod moliebamur, nempe testandi facultatem a iure naturae proficisci (3). Ne tamen ideo putes, facultatem hanc civilis potestatis imperio omnino nos eripere velle, quippe fatemur civiles legislatores posse huiusce facultatis exercitium moderari certasque formas praefinire quibus ea contineri debeat, tum ut quarumdam personarum iura sarta tecta serventur, tum ut fraudes caveantur ipsaque testantium voluntas planius innotescat, haec enim omnia reipublicae bonum exposcit.

371. — Resp. ad II Q. Quaestio haec inter theologos, si qua alia, agitatissima suis est coercenda limitibus ne difficultates in ea tractanda multiplicentur. Quare praestat vel a limine animadvertere, quaestionem nostram non ea testamenta respicere quae ob intrinsecum, quo laborant, vitium irrita ipso iure pronunciantur (veluti si a testatore inhabili confecta fuerint, vel inhabilem haeredem nuncupent, vel cuiuspiam iura perfringant), sed ea tantum in quibus extrinseca aliqua solemnitas defuit (veluti si testatoris vel testis vel tabellionis subscriptio fuit omissa, vel incongruo loco posita). Quaestioni sic definitae aliter atque aliter theologi respondent.

(1) Rosmini, *Diritto*, I, 449.

(2) Rosmini, *Diritto*, 1382.

(3) Ita Grotius, Leibnitius, Wolfius, Burlamachi et theologi plerique, nedum qui testamentis informibus naturalem obligationem inesse rentur, sed etiam qui ab iis per legem civilem auferri putant, et e recentioribus Bouvier, *De contract.* p. II, c. I, a. II, § 1, p. III; D'Annibale, II, 341; Lehmkuhl, I, 1377-1380; Tanquerey, *De iustitia*, 688-690; Gury, I, 816; Gastaldi, II, pag. 106-109; Rosmini, *Diritto*, I, 1377-1393; Bucceroni, 1024; Génicot, I, 671.

Plures testamenta informia ipso iure naturae irrita esse contendunt, proindeque nullam in foro conscientiae obligationem inducere. Ita porro ratiocinantur. Lex qua testamenta informia irrita declarantur, nititur in praesumptione periculi, nempe ideo condita fuit ut, amotis illecebrarum, doli, fraudis periculis, de libera testatoris voluntate, quoad eius fieri potest, constaret. Lex autem in praesumptione periculi lata obtinet in universum, etsi in aliquo peculiari eventu periculum abtuerit. Cumque ob publicum bonum legislatores testamenta informia iusserint irrita esse, aestimandi sunt et in foro conscientiae omnem vim eis adimere voluisse (1).

Huic sententiae non immerito plures contradicunt. Nam quamvis hae leges in praesumptione periculi fundamentum habeant, satis removendo periculo cavent si in foro externo obtineant, quin naturalem obligationem in foro conscientiae extinguere censeantur: in odiosis versamur (quippe de obligatione naturali irritanda agitur), odia autem restringantur oportet. Ad haec, si legislatoris propositum hoc est ut, remotis fraudum vel captionum periculis, libera testantium voluntas innotescat, contra propositum suum ageret, si voluntatem eorum plane perspectam in conscientiae foro irritam esse decerneret ob extrinsecae solemnitatis defectum. Immo, nedum ex veterum sed et ex recentiorum legum statutis luculenter patet, legislatorum mentem non esse ut hisce testamentis omnis vis adimatur: sancitum est enim, ut haeres ex imperfecto testamento qui testatoris voluntatem quoquomodo impleverit, iam nequeat obtendere formae vitium ad testamentum infirmandum (2): quod palmare argumentum est, noluisse legislatores omnem naturalem obligationem a testamentis informibus auferre. Everso praecipuo prioris sententiae fundamento, illis adhaerendum putamus qui testamenta informia obtinere in foro conscientiae arbitrantur, quum testatoris voluntas explorata est atque perspecta. Quae sententia doctrinae cohaeret quam supra tradidimus de facultate testandi ex iure naturae manante: si enim ius testandi in ipso proprietatis iure continetur (quod naturalis lex inviolatum servari iubet), qui perspectam testatoris voluntatem infringit, in legem naturalem committere dicendus est. Cui sententiae grave addunt pondus quae retro innuimus Ecclesiae Romanorumque Pontificum decreta, quibus testamenta et legata ad pias causas rata et firma declarantur, quamvis legalibus formis destituta: quod argumento est, posse naturalem obligationem in testamentis informibus permanere. Et sane, si defuncti

(1) Schmalzgrueber, 39; Lugo, *De iust.* disp. XXII, sect. IX; Bonacina, *De contract.* disp. III, q. I, p. III; 5; Collet, *De contract.* p. II, c. ult.; Lyonnet, *De contractibus*, p. II, c. I, a. II; Alasia, *De ultimis voluntatibus*, c. I, a. VI, 24; Carrière, *De contract.*, 604.

(2) L. 2 cod. *De fideicomm.* l. ult. cod. *ad l. Falcid.*; *Codex italicus.*, art. 1311, 1237; *Codex gallicus*, art. 1340, 1235.

voluntas in piis legatis statuendis sancta est religioseque servanda, cur in ceteris servanda non erit? (1).

Fuerunt alii, qui media quodammodo incedentes via, testamenta informia ante iudicis sententiam valere in foro conscientiae opinati sunt ob naturalem obligationem, minime vero post sententiam (2). Quae opinatio nobis non probatur: quandoquidem hoc unum iudicis est, ad legum normam declarare, informia testamenta in foro exteriori omni vi carere, non autem obligationes auferre quae ex iure naturae ortum habent.

Est quarta sententia huic aliquatenus proxima, quae S. Alphonso magis arridet: haec possessori haereditatem adiudicat donec aliud decreverit iudex, cui parendum est (3). Nititur haec opinio in vulgato adagio: *In dubio melior est conditio possidentis*. Verum liceat nobis animadvertere, opinionem hanc proferre quamdam agendi regulam, quaestionem tamen de vi testamenti informis non dirimere, immo ab ea prorsus abstinere. Ad hoc, proposita regula universim usurpari nequit: quid enim si neque haeres scriptus neque haeres ab intestato haereditatem adierit? Demum possessio eatenus possessori favet, quatenus aliquam iuris praesumptionem inducit: at enim quaenam iuris praesumptio ex eo quod alteruter haeres defuncti bona praeoccupaverit? Recolere iuverit quae de memorati axiomatis vi in foro conscientiae alias locuti sumus (n. 35).

De theoretica quaestione satis superque; quid autem in tanta opinionum discrepantia sit agendum, deinceps dicemus aliam facti speciem discussuri.

372. — Resp. ad III Q. Ruperti ratiocinatio, qua molitur evincere testandi facultatem a iure civili repetendam esse, labili prorsus nititur fundamento. Namque ipse testamentum contractibus annumerat, qui utriusque contrahentis consensum simul exposcunt. Contra, testamentum est actus unilateralis, qui nempe unius voluntate perficitur: scilicet est actus quo dominus a se suae rei dominium abdicat et in alium transfert, hic autem actus alterius consensu non eget ut constet. Nec quidquam refert, huius actus effectum nisi post testatoris mortem non haberi, nam conditio suspensiva (itidem ut in donationibus)

(1) E veteribus S. Antoninus, Innocentius, III, Molina, Sylvester, *Summa*, IV, § 10, Lessius, *De iustitia*, l. II, c. XIX, 12, Busembaum (apud S. Alphonsum, III, 927), Natalis Alexander, *De Extrema Unctione*, c. VI, Regula XIII; e recentioribus Bouvier, l. c., Tanquerey, 697, Bucceroni, 1029, Guillois, *Catechismo*, vol. II, lez. XX, Rosmini, *Diritto*, I, 1416, n. 2 et e legisperitis Duranton et Delvincourt. Gousset hanc sententiam *certe probabilem* vocat; priorem vero, *non probabilitate carentem* (I, 795).

(2) Reginaldus, *Praxis*, l. XIII, 184; Laymann, l. I, tr. IV, c. XVII; Reiffenstuel, tr. VIII, dist. III, 16-19; Billuart, diss. II, a. III, § III; Génicot, I, 674.

(3) S. Alphonsus, III, 927; Gury, I, 817.

actum non infirmat, sed effectum in suspenso relinquit donec conditio impleatur. Itaque Ruperti ratiocinatio, fundamento subducto, ruit; simulque ruunt consectaria ex eius doctrina manantia, de testamentis informibus pro infectis habendis etiam in foro conscientiae. Quod vero spectat ad vim testamentorum ad pias causas, Ruperti sententia Ecclesiae decretis improbatur.

XCIX.

Seius et Caius, amicitiae vinculo iuncti, maritimum iter suscepturi testamentum simul conficiunt, quo alter alterum haeredem vocat. Vix tamen terra relicta, navis naufragium fecit, quo uterque simul periere.

Quaeritur I°. An testamenta reciproca eodemque tempore confecta sint valida?

Q. II°. Quo temporis punto testamentum vim suam exerere incipit?

Q. III°. An valide Seius et Caius testati sunt?

Q. IV°. Si valide, an Seii filii in haereditatem Caii, vel Caii filii in haereditatem Seii succedant?

Quaestionum solutio.

373. — Resp. ad I Q. *Coniunctiva* ea testamenta vocantur quae a duobus vel pluribus iisdem tabulis consignantur: haec, sive reciproca sint (ita nempe ut quisque testator socium testamenti nuncupet haeredem), sive in alterius favorem sint condita, ex nostris legibus pro infectis sunt habenda (1). Si vero diversis tabulis, etsi uno eodemque tempore scripta fuerint, valent. Illa ob captationis periculum lex irritat; haec rata habet, quia periculum hoc abest vel remotius censetur.

374. — Resp. ad II Q. Ab eo temporis puncto quo testator moritur testamentum incipit obtinere. Hoc ex ipsa testamenti definitione conficitur et Pauli sententia firmatur: *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est* (2). Immo conditio testamento inserta, diem indicens quo testamentum incipit obtinere, respuitur ceu non adiecta (3).

375. — Resp. ad III Q. Vocula *simul* ambigue posita est: nam si Seii et Caii testamenta iisdem tabulis descripta significat, testamenta irrita sunt, quia coniunctiva; si vero ad tempus dumtaxat refertur quo testamenta condita fuere, valent ex dictis.

376. — Resp. ad IV Q. Ponimus Seii et Caii testamenta coniunctiva non fuisse. Quo posito, si uterque eodem temporis puncto mortem obiit, eorum liberi nullam vi testamenti haereditatem capere potuerunt: quam

(1) *Codex italicus*, art. 761.
(2) *Hebr.* IX, 16, 17.
(3) *Codex italicus*, art. 851.

enim parentes simul absumpti non sunt consecuti, neque liberis potuerunt trasmittere. Idem dicendum, si non constet uter prior obierit (1). Si vero alteruter prior obiit, qui supervixit defuncto successit, filiisque suis tanquam haeredibus necessariis amici haereditatem transmisit. Demum obiter animadvertimus, Seium et Caium, quibus erant filii, testamenta reciproca condere non valuisse, nisi ea parte salva quam *legitimam* appellant, quae ex iure filiis debetur.

C.

Marcus testamentum sic scribit: « Illum nuncupo haeredem, qui prior postquam obiero cubiculum meum fuerit ingressus ».

Tertullus: « Haeredem illum instituo quem, me mortuo, Marcellus designaverit ».

Augustus Lucillum haeredem vocat, eo tamen pacto, ut vivens integram haereditatem servet, post mortem filiis relinquendam.

Ausonius Fabium bonorum suorum haeredem facit, secreto tamen ei nomen committit illius cui universam haereditatem deferri vult.

Quaeritur I°. An et quatenus haeredis persona in testamentis sit designanda?

Q. II°. Quid sint fideicommissa et an in novis legibus obtineant?

Q. III°. An et quatenus haeredis substitutio fieri queat?

Q. IV°. Quid de singulorum testamentorum vi?

Quaestionum solutio.

377. — Resp. ad I Q. Haeredis institutio est designatio personae quae in universa testatoris iura succedere debet. Ut haec institutio valeat, persona sic designetur oportet ut de ea ambigi nequeat: quapropter si persona sit incerta, institutio cadit, hoc est testamentum pro infecto habetur (2). Adhuc incerta censetur persona quam alieno arbitrio testator designandam relinquit (3). Haec de haeredis institutione: at si de legatario agitur, non corruit legatum personae incertae relictum quae sit eligenda ex familia vel coetu a testatore designatis (4).

378. — Resp. ad II Q. Haeredis institutio ea lege fieri potest ut, haerede nuncupato deficiente, alius in eius locum a testatore sufficiatur, quae suffectio *substitutionis* nomen obtinet. Duplex est substitutio: *directa* seu *vulgaris*, qua testator haeredi, qui forte nolit aut nequeat haeres esse, sufficit alium; *indirecta* seu *fideicommissaria*, qua testator onus imponit haeredi servandi ac relinquendi post mortem haereditatem alteri. Qui hoc gravatur onere *haeres fiduciarius*

(1) *Codex italicus*, art. 924.
(2) *Codex italicus*, art. 830.
(3) *Codex italicus*, art. 834.
(4) *Codex italicus*, art. cit.

vocatur; qui ab eo haereditatem accipit, *fideicommissarius*; haereditas ita tradita, *fideicommissum* (1). Nunc de substitutione fideicommissaria, propediem de vulgari.

Ex ea quam modo exhibuimus fideicommissi notione palam fit, ad substitutionem fideicommissariam requiri ut duo haec onera imponantur haeredi: 1° haereditatem integram servandi, 2° eam alteri integram restituendi. Porro in his testamentis hodiernae leges haeredis institutionem ratam habent, substitutionem contra penitus explodunt (2). Non ideo tamen omnem fiduciam haeredi secreto commissam explodere dicendae sunt: cum enim probationes omne genus reiiciant quibus evincere quispiam contenderet, vocatum haeredem haeredem esse fictitium; eo ipso videntur permittere ut haeres, obligata fide sua, haereditatem vel eius partem alteri tradat (3). Quapropter, si haeres fiduciarius testatori fidem suam dedit quidquam alteri tradendi (dumne cuiuspiam iura laedantur), eam fallere nequit; cum enim promissio haec nihil inhonesti contineat, servanda est.

379. — Hic quaeritur, an leges fideicommissa evertentes in foro conscientiae vim habeant. Sunt qui has leges iniustitiae insimulant quasi naturali libertati infensas, propterea omnem eis in foro conscientiae vim adimunt (4). Alii eas non obtinere arbitrantur nisi post iudicis sententiam, quia naturalem libertatem valde coarctant (5). Alii idem sentiendum opinantur de fideicommissis ac de informi testamento (6). Alii, quibus adhaeremus, has leges ante iudicis sententiam et in foro conscientiae obtinere contendunt. Sane, quamvis fideicommissa augendo ac perpetuando nobilium familiarum splendori conferre possint, plura tamen afferunt incommoda ob quae iure eversa fuere. Nam, praeterquam quod patriam potestatem maxime coercent, quia paterfamilias iam nequit libere de rebus suis uti (7), publico bono plurimum officiunt: etenim dum ingentes divitiae apud paucos accumulantur, plures ad inopiam rediguntur, lites, dissidia, odia foventur, agrorum cultura negligitur, haerent commercia. Patet ergo leges fideicommissa evertentes ob publicum bonum conditas, ideoque iustas esse atque in foro conscientiae servandas. Cumque legislatoris propositum de fideicommissis abolendis frustraretur si leges eiusmodi in foro dumtaxat externo vim haberent, concludere licet legislatorem voluisse etiam in foro conscientiae fideicommissarias substitutiones

(1) Schmalzgrueber, l. III, tit. XXVI, 126.

(2) *Codex italicus*, art. 899, 900. *Codex gallicus* (art. 896) tam haeredis institutionem quam substitutionem irritat.

(3) *Codex italicus*, art. 829.

(4) Ventura, *Saggio sul potere pubblico*, c. XII.

(5) Tanquerey, *De iustitia*, 714.

(6) Gury, I, 839; Lehmkuhl, 1, 1407.

(7) Rosmini, *Diritto*, I, 1446, 1447.

irritas facere (1). Excepta tamen volumus testamenta ad pias causas, quae Ecclesiae legibus reguntur (2).

380. — Resp. ad III Q. Directa seu vulgaris substitutio, quae nempe haeredi nolenti aut non potenti haereditatem adire sufficit alium, valida est (3). Immo etsi onus imponatur haeredi relinquendi alteri quidquid de haereditate supererit (quod fideicommissum *de residuo* nuncupatur), substitutio valet quia, deficiente onere integram haereditatem servandi ac reddendi, abest fideicommissum lege prohibitum (4).

381. — Resp. ad IV Q. In prima facti specie, quia persona haeredis incerta est, testamentum cadit. Item in secunda specie. In tertia fideicommissum adest: hinc valida quidem est apud nos haeredis institutio, sed conditio substituendi irrita est habenda, vitiatur sed non vitiat. In quarta specie probatio fictitiae institutionis reiicitur (nisi haereditas per interpositam personam inhabili sit relicta); at si Fabius fidem suam Ausonio obligavit, nec quidquam inhonesti insit suae promissioni, fidem servare debet (5).

CI.

Arnobio mortuo, notarius publicum eius testamentum a se confectum profert. Impetunt illud Arnobii haeredes legitimi, quia testator scribendi ignarum se declaraverat, cum scribere optime nosset. Tunc testamentarii haeredes olographum Arnobii testamentum efferunt: at haeredes legitimi hoc quoque irritum esse contendunt, tum quia quaedam extant liturae quin ulla earum mentio in testamento sit facta, tum quia testatoris nomen sculptis characteribus fuit impressum, tum denique quia post nominis scriptionem aliae testatoris voluntates expressae leguntur.

Quaeritur I°. Quid de utriusque testamenti vi?

Q. II°. An, posita utriusque testamenti infirmitate, fas sit haeredibus legitimis haereditatem adire, testatoris voluntate posthabita?

Q. III°. An haeredes testamentarii haereditatem sibi vindicare valeant?

Q. IV°. Quid si iudex testamenta illa declaraverit pro infectis habenda?

(1) Bouvier, *De contract.*, p. II, c. I, a. II, § IV; Carrière, *De contract.*, 621; D'Annibale, II, 352, nota 23.

(2) Gury, 840; Génicot, l. c.

(3) *Codex italicus*, art. 895 et seq.

(4) Ita iurisconsulti Merlin, Duranton, et Suprema Curia florentina, an. 1883, et taurinensis, an. 1887.

(5) Rosmini, *Diritto*, I, 1448.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

382. — RESP. AD I Q. Ex nostris legibus testamenta diducuntur in *ordinaria* et *specialia* seu *privilegiata*. Testamentum ordinarium (de quo hic tantum) aliud est *publicum* quod et *solemne*, aliud *secretum* quod et *mysticum* dicitur, aliud *olographum*. Testamentum publicum ab uno notario aut etiam a duobus conficitur, quorum alter testatoris voluntatem eius voce acceptam coram testibus scripto consignat. Testamentum secretum, ipsius testatoris manu aut etiam aliena exaratum, coram testibus notario custodiendum traditur. Testamentum olographum unius testatoris manu totum scribatur oportet. Ut ea tantum prosequamur quae ad rem nostram attinent, testamentum publicum a testatore subscribendum est; qui si scribere nesciat aut nolit, impedimenti causam notario declarare debet, ab eodem commemorandam. Testamentum olographum ab ipso testatore ex toto scriptum atque in fine subsignatum sit oportet (1). Ex his statim elucet quid de utriusque Arnobii testamenti vi sit iudicandum. Primum testamentum pro infecto habendum est: nam testator, qui cum sit scribendi gnarus se ignarum dicit, censetur subscriptionem testamento recusare, hoc est ratum habere nolle quidquid a notario scriptum fuit (2). Liturae testantis manu factae testamentum olographum non vitiant, neque opus est ut a testatore approbentur; secus si aliena manus eas fecerit neque testator expresse ratas habuerit. Subscriptio sculptis characteribus impressa, quia aliena manu per instrumentum peragi potest, testamentum irritat. Non autem irritant quae subscriptionem subsequuntur, quamvis nullius sint roboris, namque hoc instar axiomatis est: *Utile per inutile non vitiatur*. Ex his patet, etiam secundum Arnobii testamentum pro infecto habendum esse, ex eo saltem quod testatoris subsignatio in eo desiderabatur.

383. — RESP. AD II Q. Ex sententia quam ut probabiliorem defendimus, testatoris voluntas certo perspecta servanda est: quippe naturalem obligationem ex testamento informi partam lex civilis non evertit, quamquam non agnoscit nec tuetur. Quia tamen contraria sententia ob doctorum auctoritatem sua pollet probabilitate, legitimi haeredes cogendi non sunt ut illico haereditati valedicant, sed suaviter adducendi ut testatoris voluntatem impleant, vel saltem cum vocatis haeredibus rem amice componant. Idque eo magis si de testatoris voluntate non satis certe constaret.

384. — RESP. AD III Q. Ex consequenti haeredes testamentarios haereditatem adire et tenere posse putamus, si de testatoris voluntate sine dubitatione illis constet, neque ante iudicis sententiam ad eam dimittendam cogendos esse. Quamquam ob rationem modo allatam expediat aequam compositionem et ipsis suadere.

(1) *Codex italicus*, art. 774-788.
(2) MERLIN, TOULLIER, DURANTON.

385. — Resp. ad IV Q. Etsi probabilius sententia iudicis naturalem obligationem in foro conscientiae non auferat sed legalem testamenti infirmitatem dumtaxat declaret, attamen, quia hoc apud omnes ratum non est, haeredes testamentarii ad graviora incommoda praecavenda, iudicis sententiae acquiescere debent: quandoquidem id postulat publicum bonum et tranquillitas civium, ut iudicis sententiae serventur, quum de illarum iniustitia non constat quam certissime. Quinimmo, si haeredes testamentarii pro comperto habeant testamentum informe esse, videantque legitimos haeredes paratos ad iudicis sententiam provocandam, putamus, ex caritate iuribus suis renuntiare debere ne expensis ceterisque litium incommodis legitimos haeredes ac seipsos inutiliter exponant (1).

CII.

Macrinus Fulvium et Petronium fratres suos scribit haeredes, eo tamen pacto ut alter incoeptam a se litem prosequatur, alter vero testatori defuncto lapidem funerarium cum titulo erigendum curet. Uterque conditionem impositam implere detrectat, ille quia conditionem inhonestam retur, hic quia non conditionem eam esse putat sed modum. Interim Fabius, quartus frater, utrumque ab institutione decidisse contendit ob non impletas testamenti conditiones.

Quaeritur I°. Quid de haeredis institutione sub modo vel conditione?

Q. II°. An Fulvius et Petronius ab institutione deciderint?

Quaestionum solutio.

386. — Resp. ad I Q. Haeredis institutio fieri potest *pure*, vel *sub modo*, vel *sub conditione*. Pure fit quum quis sine ulla clausula vel conditione haeres nuncupatur: haec statim a testatoris obitu irrevocabilem effectum consequitur. Fit sub modo quum haeredi onus aliquod imponitur, v. c. litem prosequendi vel ab ea desistendi, debitum condonandi, certam pecuniae summam largiendi. Fit sub conditione quum institutionis vis et effectus futuro incertoque eventui subiicitur: haec duplex est; alia *suspensiva*, qua nondum expleta institutio in suspenso manet; alia *resolutiva*, qua eveniente institutio cadit. Praeterea conditio potest esse *impossibilis*; seu *de facto*, quum executioni mandari nequit, seu *de iure*, quum bonis moribus vel legibus adversatur (2). Est et conditio *captatoria*, qua testator haeredem quempiam vocat eo pacto ut et ipse ab eodem haeres vocetur. Ex novis legibus conditiones impossibiles censentur non appositae, propterea testa-

(1) Bouvier, *De contract.*, p. II, c. I, a. II, § I, sect. I, p. III, 2; Lehmkuhl, I, 1383; Piscetta, I, tr. *De legibus*, 181; Génicot, I, 674.

(2) Sporer, tr. VI, c. II, 12-19; Alasia, *De testam.*, c. I, a. IV; Bouvier, *De contract.*, p. I, c. V, a. II, § I.

mentum non inficiunt, vitiantur sed non vitiant (1). Contra captatoria conditio testamentum irritat, scilicet vitiatur et vitiat (2).

387. — Resp. ad II Q. Ut de Fulvio iudicemus an ab institutione exciderit, videndum in primis utrum onus a Macrino impositum litem prosequendi merum praeceptum seu modum contineat, an conditionem resolutivam, qua nempe deficiente, institutio deficiat. Videndum praeterea an incoepta lis fuerit iniusta vel minus. Si modum tantum contineat, ab institutione Fulvius non decidit, quamvis ab iis quorum interest cogi possit ad onus subeundum (3). Si vero conditionem resolutivam Macrinus apponere voluit, et a lite aberat iniustitia, decidit Fulvius ab institutione; contra si lis erat iniusta, non decidit, quippe conditio iniustam litem prosequendi censetur non apposita, quippe inhonesta. Ad Petronium procedentes, cum onus erigendi lapidem funerarium nihil inhonesti contineat, hoc unum est inquirendum, an tanquam modus vel tanquam resolutiva conditio a Macrino impositum fuerit: si primum, institutio sustinetur, tametsi Petronius ab iis quorum interest adigi potest ad lapidem erigendum; si alterum, institutio cadit. Haec omnia inspicienda sunt ut iudicium feratur an uterque frater, vel alteruter, vel neuter ab institutione decidat, et an Fabius Macrini haereditatem iure sibi vindicare valeat.

CIII.

Placidus parochus nonnullis angitur dubiis circa legata solvenda. Dubitat 1° an legatum dotandis puellis nupturientibus relictum dari possit iam nuptis sine dote, vel viduis secundas nuptias inhiantibus, vel puellis civili tantum ritu nubentibus, vel nuptias mysticas cum Christo celebrantibus. Dubitat 2° an legatum uxori et filiabus relictum, dummodo caste vivant, iis tradi queat, si clam fornicatae fuerint. Dubitat 3° an legatum orphanis puellis levandis liceat eis solvere quae infirmum vel inutilem habent patrem. Demum dubitat quantum solvendum sit cuidam puellae monasterium ingressurae, cui patruus, vir religionis incuriosus, mille aureos legaverat si nuptias, centum vero si claustrum elegisset.

Quaeritur I°. Quaenam regulae pro legatorum interpretatione sint servandae?

Q. II°. Quid singulis Placidi dubiis sit respondendum?

Quaestionum solutio.

388. — Resp. ad I Q. Praecipuas legata interpretandi regulas brevi perstringamus. I° Regula princeps, ex qua ceterae profluunt, haec est ut legantis voluntas sedulo exploretur, namque instar axiomatis illud ha-

(1) *Codex italicus*, art. 849.
(2) *Codex italicus*, art. 852.
(3) *Codex italicus*, art. 855.

betur: *Dicat testator et erit lex.* Quocirca a comperta legantis voluntate recedere non licet. IIº Cum legatum in forma specifica qua constitutum fuit impleri potest, supervacue in praesumptam legantis mentem inquiritur. IIIº Ubi legantis mens ex eius verbis non satis appareat, proderit finem inspicere quem in legato condendo ipse sibi praestituit. IVº Quae forte in legato inveniuntur legibus seu bonis moribus repugnantia, a legantis mente aliena reputari debent.

389. — Resp. ad II Q. Per singula Placidi dubia excurramus.

Iº Si legatum certis puellis ut nubant sit relictum, et nuptis sine dote tradi posse receptum est: quippe testator censetur puellis illis benefacere voluisse, sive ut decenter nuberent, sive ut nuptae decenter viverent (1). Secus si testator certas personas non designaverit, quia nupturis consulere voluisse censetur, ne periculum incurrerent pudicitiam prostituendi (2). Nec potest generatim loquendo tradi viduis ad secundas nuptias transituris, si adsint puellae innuptae, nam (ex IIª regula supra data) legatum in forma specifica servandum est, quoties potest. Quod si desint puellae primum nupturae, videtur ex praesumpta testatoris voluntate etiam viduis novas nuptias appetentibus dari posse (3). Si a christianae professionis homine legatum sit factum, tradi nequit puellis civili ritu tantum nupturis: cum enim christianorum oculis civiles nuptiae Sacramento carentes verae nuptiae non sint sed turpis concubinatus, testator (ex IVª regula superius tradita) non est praesumendus contra bonos mores legatum scribere voluisse. Relictum nupturis conferri nequit religionem ingredientibus, praesertim si nubentes adsint: quippe virgines Deo devotae nisi per metaphoram nuptias cum Christo inire non dicuntur, non est autem recedendum a sensu verborum proprio et ad metaphoricum confugiendum. Neque dicas, legatum huiusmodi in specifica forma acceptum pietati ac religioni adversari, propterea a sensu verborum proprio abscedere fas esse: imbecilla ratio, tum quia nuptiae in se ipsis bonae sunt, tum quia causae quandoque extant dotandi nupturientes, non autem virgines Deo sacrandas (4). Excipiunt nonnulli, si designatae personae legatum factum fuerit: etenim cum legator certae personae favere voluerit, censetur (ex IIIª regula proposita) impedire eam noluisse quominus ad meliora vota transiret (5).

(1) S. Alphonsus, III, 930, dub. 4º; Lehmkuhl, I, 1412; D'Annibale, II, 359.

(2) S. Alphonsus, l. c.; Alasia, *De ultimis voluntatibus*, c. II, a. IV, 16; D'Annibale, l. c.

(3) S. Alphonsus, l. c., dub. 5º; Bonacina, *De contract.*, disp. III, q. XVII, p. VIII, § IV, 8; Alasia et D'Annibale, ll. cc.

(4) Sanchez, *De matrim.*, l. I, disp. XXXIII, 32; Bonacina, disp. III, q. I, p. IV, 10; Laymann, l. III, tr. V, c. X, 12; Alasia, S. Alphonsus, l. c., dub. 1º; D'Annibale, l. c.

(5) Laymann, l. c.; Sporer, tr. VI, c. III, 12; Alasia, S. Alphonsus et Lehmkuhl, ll. cc.

390. — II° Communis sententia est, legatum nubendis relictum sub ea conditione, *si caste vivant*, iis tradi posse quae clam in castitatem commiserint: censetur enim testator iis legare voluisse quae publicam castimoniae famam retinent, nec quisquam debet occultam suam turpitudinem prodere. Probabilius tamen feminae tales, citra infamiae periculum, neque petere neque acceptare legatum possunt, praesertim si id noceret aliis; si autem petiierint vel acceperint ad infamiam vitandam, dispensationem a S. Sede impetrare debent (1). Quod ex eo firmatur, quod Benedictus XIV summo Poenitentiario facultatem tribuit dispensandi *cum puellis quae virgines non sunt et subsidia dotalia iam obtinuerunt a Confraternitatibus, aut aliis locis, aut dispensatoribus piis, quibus iniunctum est ut illas virginibus tantum dent* (2): quae dispensatio superflua foret, si puellis clam corruptis fas esset huiusmodi legata petere vel accipere.

391. — III° Receptum est, legatum orphanis puellis levandis solvi posse inutilem vel infirmum patrem habentibus, dumne orphanae concurrant: nam patrem inutilem vel infirmum habere idem est ac esse sine patre. Quod si verae orphanae concurrant, sat communiter affirmant iis dandum esse, quum enim in forma specifica legatum servari potest, in ea servari debet (3). Non est tamen improbabile S. Alphonso, adhuc tradi posse parentem inutilem habentibus, inspecto testatoris proposito indigentibus subveniendi, quippe saepe magis egent subsidio qui patrem habent inutilem vel infirmum, ideoque alendum, quam qui patre orbati sunt (4).

392. — IV° Conditio nuptias praeferens religiosae professioni dici nequit in universum pietati repugnans et inhonesta, quandoquidem talia possunt esse rerum adiuncta in quibus nuptias inire melius sit quam religiosa vota nuncupare: hisce in adiunctis legatum nuptiis favens validum est atque servandum (5). Si autem conditio in odium religionis legato fuit adiecta, nempe ad retrahendum quempiam a religioso instituto capessendo, impia et non adiecta putatur. Quibus positis, puellae claustrum ingressurae, de qua in facti specie agitur, mille aurei videntur solvendi (6).

Vides Placidi dubiis diversa deberi responsa pro diversa legantium voluntate, in singulis eventibus exploranda.

(1) S. Alphonsus, dub. 6°; Alasia, 15.

(2) Const. *Pastor bonus*, § 27.

(3) S. Alphonsus, dub. 3°; Alasia, 17; Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxix, mense decembris; Lehmkuhl et D'Annibale, ll. cc.

(4) S. Alphonsus et Lehmkuhl, ll. cc.

(5) Sanchez, *De matrim.* l. I, disp. XXXIV, 11, 13, 14; Laymann, 12; Sporer, l. c.; La Croix, l. III, p. II, 1141; S. Alphonsus, dub. 1°.

(6) S. Alphonsus et ceteri modo citati cum Barbosa.

CIV.

Romedius, quum quaedam vini dolia Fausto deferret cui vendiderat, animadvertit non modicam vini partem a doliis effluxisse. Quid aget? protinus aquam infundit pro vino defluxo, ratus id sibi licere, quia cum vinum infimo vendidisset pretio, etiam post aquae mixtionem non ultra pretium summum a Fausto exigeret; praeterea casu res accidit, Faustus autem austerus homo rationibus non acquiesceret.

Quaeritur I°. Cuius periculo stet res vendita?

Q. II°. An, infimo pretio convento, summum repetere fas sit?

Q. III°. An et quatenus Romedius Fausto illatum damnum reficere debeat?

Quaestionum solutio.

393. — Resp. ad I Q. Venditionis contractus solo contrahentium consensu perficitur; rei tamen venditae dominium nisi post rem traditam olim in emptorem non transibat, hinc axioma apud veteres theologos et iurisperitos: *Traditionibus, non nudis pactis, rerum dominia transferuntur* (1). At hoc axioma hodie exolevit, nam ex novis legibus mercis dominium ante eam traditam solutumque pretium, vix venditione per consensum perfecta, in emptorem transit, cuius periculo res stat (2). Verum, si de merce agitur quae non acervatim venditur, sed secundum pondus, numerum vel mensuram, perfecta venditio non est nisi ponderatione, numeratione vel dimensione peractis, propterea venditoris periculo merces stat (3). Idem dicendum si venditor se adstrinxerit ad mercem deferendam ad emptoris domum, pacta enim servanda sunt (4); vel si fuerit in mora culpabili, in quo eventu ipsi imputabitur mercis iactura (5). Haec apprime consona rectae rationi sunt, propterea et apud theologos recepta (6).

394. — Resp. ad II Q. Pretium venditionis iustum sit oportet; illud autem est iustum quo res venit quanti valet. Pretium iustum in *legitimum* et *vulgare* diducitur; illud lege taxatur, propterea unum est et fixum, hoc communi hominum aestimatione constituitur, propterea quamdam latitudinem recipit (7). Porro homines, in pretio rerum quae in commercio versantur aestimando, ad usum et utilitatem earum, magis quam ad praestantiam respicere solent. *Quis enim*, ita S. Au-

(1) Laymann, l. III, tr. IV, c. XVII, 1; Sporer, tr. VI, c. V, 5; Alasia, *De contract.* diss. II, c. I, 3; S. Alphonsus, III, 795.

(2) *Codex italicus*, art. 1448; *Codex gallicus*, art. 1383.

(3) *Codex italicus*, art. 1450, 1451; *Codex gallicus*, art. 1585-1586.

(4) *Codex italicus*, art. 1468.

(5) *Codex italicus*, art. 1219, 1255, 1226.

(6) S. Alphonsus, 798.

(7) S. Thomas, II^{a} II^{ae}, q. LXXVII, a. I, ad 1^{um}.

gustinus, *non domui suae panem habere quam mures, nummos quam pulices malit? Sed quid mirum, cum in ipsorum etiam hominum aestimatione, quorum certe natura tantae est dignitatis, plerumque carius comparetur equus quam servus, gemma quam famula?* (1). Vulgare pretium (de quo tantum in praesentiarum) aliud *summum* est, ultra quod vir probus non vendit; aliud *infimum*, citra quod vir probus non emit; aliud *medium*, quod inter utrumque consistit (2). His declaratis, in promptu habes responsum quaestioni propositae: nimirum fas est venditori pretium summum exigere, quippe quod iustum in communi aestimatione censetur; at si de pretio infimo cum emptore pactus fuerat, pactionem frangere nequit sine emptoris iniuria.

395. — Resp. ad III Q. I°. Si venditio vini perfecta fuit (scilicet per mensuram ante peractam quam emptori traderetur), neque obstiterit peculiaris conventio, neque in re tradenda Romedius culpabilem moram traxerit, nihil Fausto restituere debet, nam vinum Fausto periit. II°. Contra restituat oportet, si venditi vini nondum fuerat mensura peracta, vel si periculum per pactionem in se susceperat, vel si ob causam theologice culpabilem a se positam vinum periit. III°. Si vinum casu periit vel ob sui culpam iuridicam tantum, nulla restituendi obligatione tenetur, nisi per iudicis sententiam adigatur, ex dictis alias. IV°. A restitutionis onere (si vere adest) perperam se eximere captat, sive eo quod infimo pretio vinum vendiderat, quum de convento pretio quidquam detrahere iniquum sit; sive quod Faustus austerus sit homo, quippe et homini austero debetur quod iustum est. V°. Quod attinet ad restitutionis modum, si vinum aqua dilutum ineptum evasit usui ad quem Faustus illud destinaverat, vinum merum aeque bonum vel pretium conventum restituendum est; secus pro imminuta vini bonitate compensatio sive in vino sive in pecunia fiat oportet.

CV.

Fabricius magnum emit piscem, quem famulae coquendum tradit. Haec, exenterato pisce, gemmam pretiosam in eius visceribus reperit. Clamat Fabricius, sibi tamquam emptori gemmam deberi; contendit piscator ad se tamquam ad venditorem pertinere: crepat famula, neutri debitam esse sed sibi tamquam inventrici. Res ad iudicem defertur, qui decernit inventam gemmam esse thesaurum, propterea ad legum praescripta quaestionem esse finiendam.

Amico sidere editus, Fabricius noster alias ingentem emit suem, quem ipse eviscerans in eius ventre anulum pretiosum invenit, qui

(1) *De civitate Dei*, l. XI, c. XVI.

(2) Laymann, 3-5; Sporer, 26; S. Alphonsus, 803, ceterique communiter. De pretio iusto videndus Rosmini, *Diritto*, I, 1212 et seq.

e venditricis digito decidens in ventrem suinum transierat. « Fortuna mecum », exclamat gaudens, « en novus thesaurus. Quid iudice opus est? Apertissime lex loquitur: *Thesaurus ad fundi dominum pertinet* ».

Quaeritur I°. Cui cedat gemma in piscis visceribus inventa?

Q. II°. Cui anulus in ventre suis repertus?

Quaestionum solutio.

396. — Resp. ad I Q. Neque venditor neque emptor, qua tales sunt, gemmam sibi vindicare queunt. Re enim vera gemma in piscis visceribus abdita est aliquid venditioni extraneum et veluti per accidens merci coniunctum, quod cum ab utroque contrahente ignoretur, nequit in contractum deduci. Hinc iustum piscis pretium, quod est in communi aestimatione positum, nemo dixerit ob gemmam latentem augeri, itidem ut agri pretium thesaurus latens non auget. Quapropter neque piscator neque Fabricius, qua emptor, ad gemman ius habent. Praeterquam quod neuter animo domini eam possidere poterat, quam in pisce abditam ignorabat, immo ne suspicabatur quidem. Cuius igitur erit gemma? Distinguendum nobis videtur. Si gemma rudis adhuc erat et impolita quum in pisce reperta fuit, in nullius unquam dominio extitisse censetur, propterea cedit famulae, quippe bona vacua eius sunt qui prior illa occupaverit. Si vero gemma expolita artificis manu vel anulo inclusa erat, oppido habuerat dominum vel adhuc habebat: propterea vel ut thesaurus spectari poterat, vel ut res amissa; quod definire difficile est, quia ex diversis rerum adiunctis iudicium est ferendum. Si gemma habenda sit tanquam thesaurus, quemadmodum iudex decrevit, iure naturae inspecto, ad inventorem pertinet; iure tamen positivo inter inventorem et fundi dominum iuxta est dividenda. Quod legis iussum, quippe quod *dominii definitivum* est, ante iudicis sententiam obtinet (1). Dimidia ergo pars gemmae vel eius pretii Fabricio, dimidia famulae competit. Quod si gemma rebus amissis sit accensenda, post diligentem domini inquisitionem frustra peractam in pios usus impendatur oportet ex communiori ac suadenda sententia, quamvis ex recentiorum eaque valde probabili sententia fas sit inventori illam sibi quasi iam domino carentem vindicare (2).

397. — Resp. ad II Q. Nimis propere laetatur Fabricius de anulo e ventre suis extracto quasi de thesauro in suo fundo reperto; si enim sedula inquisitione facta e venditricis digito in suinum ventrem anulus transiisse deprehendatur, venditrici illico restituendum est, quippe et e ventre suis res clamat ad dominum.

(1) Recole dicta de thesauro, n. 281.

(2) Recole dicta de rebus amissis, n. 285.

CVI.

Meliboeus soluto pretio quatuor boves a Tityro emit et duas oves e grege eligendas. Paucos post dies ad Tityrum veniens animalia domum ducturus, alterum bovem cornupetam invenit, alterum arando ineptum, tertium gravi laborantem infirmitate, quartum ictu fulminis pridie occisum, quocum et universus ovium grex, una excepta, perierant.

Quaeritur I°. An et quae mercis vitia a venditore sint aperienda?

Q. II°. An rei vitiis reticitis, venditio irrita sit vel rescissioni obnoxia?

Q. III°. An animalium pretium Meliboeo sit restituendum?

Q. IV°. An superstes ovis illi sit debita?

Quaestionum solutio.

398. — Resp. ad I Q. Ad pleniorem thematis intelligentiam multiplex vitiorum genus est distinguendum. Sunt enim vitia quae rei *substantiam* inficiunt v. e. si stamnum pro argento, vitrum pro gemma exhibeatur; sunt quae rei *quantitatem* respiciunt, veluti si decem farinae modii pro quindecim tradantur; sunt quae rei *qualitatem* afficiunt, ut puta si equus sternax veneat pro quieto (1). Dividitur etiam vitium in *occultum*, quod emptorem et quandoque etiam venditorem latet; et in *manifestum*, quod omnium intuentium oculis obversatur. Sunt etiam vitia quae *redhibitoria* appellantur, quia emptori ius conferunt repetendi solutum pretium: nam redhibere est facere ut rursus habeat venditor quod habuerat, et quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio appellata est quasi redditio (2). His declaratis, ad quaestionem veniamus.

399. — I°. Si venditor ab emptore de vitiis rei sive occultis sive manifestis interrogetur, debet ex iustitia pro veritate respondere: emptor enim, qui venditorem rogat eique fidit ut de re emenda prius edoceatur quam consentiat, ius habet ne venditoris silentio vel mendacio decipiatur (3). Excipiunt communiter si de leviori vitio agatur, quo extante, merces adhuc emptoris fini sit apta, quoque cognito emptor adhuc eam esset empturus: de pretio tamen rei aliquid detrahatur oportet, ut aequalitas et iustitia in contractu servetur (4). Item excipiunt, si venditor vitii ignarus vel saltem non certus declaret emptori, se mercem venum dare quin de vitiis, si qua forte in-

(1) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. LXXVII, a II; S. Alphonsus, III, 818.

(2) Leg. 21 Dig. *De aedilitio edicto.*

(3) Lessius, l. II, c. XXI, 86; Lugo, disp. XXVI, 133; Sporer, tr. VI, c. V, 65; S. Alphonsus, 823; Alasia, *De contract.*, diss. II, c. I, a. I, § I, 5; Sebastiani, *Summarium*, 305.

(4) Navarrus, *Enchir.*, c. XXIII, 89; Lessius, Lugo, Sporer, S. Alphonsus, ll. cc.; Bouvier, *De contract.*, p. II, c. II, a. V, § I; D'Annibale, II, 450.

sint in ea, respondere velit, et emptor consentiat: in quo eventu aleatorius contractus instituitur, nam uterque periculo iuxta ac commodo sciens volens se committit (1).

400. — II°. Si venditor non interrogetur, vitiumque mercis sit manifestum (v. c. equus sit claudus vel monoculus), generatim nulla eum tenet iustitiae obligatio emptorem monendi, non enim decipitur emptor qui sibi cavere debet (2). *Generatim*, inquimus, nam si emptor rudis vel imperitus vitium non animadvertit, caritas (sin minus iustitia, ut nonnulli contendunt) postulat de vitio notabili a venditore moneatur; utcumque, pro vitii natura et gravitate venditor pretium minuat oportet, ne violetur iustitia (3).

401. — III°. Si venditor non interrogetur vitiumque mercis occultum sit, distinctione opus est. 1°. Si vitium eiusmodi sit quod mercem neque noxiam efficiat, neque ineptam, neque emptoris fini minus idoneam, non adest obligatio iustitiae illud aperiendi: etenim si quodvis vitium neque notabile neque rei usum impediens, emptori etiam non interroganti aperiendum esset, merces minus perfectae vix unquam distrahi possent, quod mercatoribus grave nocumentum afferret, negotiationis libertati officeret ac publico bono adversaretur (4). Hinc neque doli neque iniustitiae rei habendi sunt qui aliquantulum concinnare et fucare solent merces quae venales prostant, quo praestantiores appareant et emptores alliciant, modo earum pretium intra iustitiae limites contineatur: cum enim huiusmodi artes ubique gentium sint usu receptae et emptoribus notae, exulat e contractu dolus et deceptio. Idque cohaeret sententiae romano iure sancitae, *in pretio emptionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire* (5). 2°. Si vitium occultum eiusmodi sit quod mercem noxiam efficiat, aut inutilem emptori, aut notabiliter minus aptam fini quem ipse sibi praestituerat, debet venditor ex iustitia illud pandere: etenim vitium reticendo, iniuriam facit emptori, cuius consensum per dolum eripere censetur (6). Eo magis iniusti dicendi sunt qui vitia emptori noxia

(1) Lugo, 129; Sporer et S. Alphonsus, ll. cc.; Carrière, *De contract.*, 725.

(2) S. Thomas, q. c., art. III; Navarrus, S. Alphonsus, ll. cc.; Laymann, l. III, tr. IV, c. XVIII, 14; Sporer, 67; Natalis, Alexander, l. III, *De peccatis*, c. VI, a VI, Regula XIV.

(3) Lugo, 130; Sporer, Laymann et Natalis Alexander, ll. cc.; Alasia, 7; Carrière, 724; Génicot, I, 628; D'Annibale, l. c.

(4) S. Thomas, q. c., art. III, ad 2^{um}; Navarrus, l. c.; Sporer, 68; Laymann, 15, ceterique theologi communissime, quos carpit Pothier et defendit Troplong scribens: *Je crois que St. Thomas est mieux entré dans la réalité de la vie pratique et dans les convictions de l'humanité.*

(5) Leg. 16 § 4 Dig. *De minoribus*. S. Alphonsus, 820; Gury, I, 897; Scavini, II, 387; Génicot, 629; Ferreres, *Epitome*, 520.

(6) S. Thomas, Navarrus, S. Alphonsus, ll. cc.; Sporer, 66; Laymann, 14; Lugo, 131.

consulto tegunt: veluti qui in aures vetuli caballi et delumbati guttam hydrargirii immittunt ut equus generosus appareat; qui in summo dolio grandiores pisces, in summo sacco selectiora frumenti grana exponunt, subtus vero quisquilias; qui lanam vel triticum aspergunt aqua ut eorum pondus augeatur.

402. — Resp. ad II Q. Vitium reticitum potest rei substantiam, vel qualitatem, vel quantitatem respicere, propterea emptorem inducere in errorem substantialem vel accidentalem. Vitium quod inficit rei substantiam consensum aufert, quippe errorem substantialem parit qui in utroque foro contractum irritum facit (1). Id ipsum dicendum de vitio circa qualitatem, si qualitas in substantiam redundat vel expresse in contractum deducta fuit, veluti si quis aperte profiteatur se bovem ad arandum emere velle, aut vinum vetus vel certae regionis (2). Quod si qualitas accidentalis est, contractum non irritat; attamen rescissioni obnoxium facit si, ea cognita, emptor rem non emisset vel pretium minuisset; venditor autem acceptum pretium restituere debet emptori; immo et damna reficere, si sciens vitium occultaverit (3). Ceterum actio redhibitoria ex nostris legibus intra certum tempus proponatur oportet, venditionis autem rescissio per iudicis sententiam decernenda est (4). Demum vitium quod rei quantitatem respicit, venditionem non irritat; sed venditor ex iustitia pretii partem refundere, vel quantitatis defectum supplere debet, ita ut emptor indemnis praestetur; emptori autem quandoque fit potestas a contractu resiliendi (5).

403. — Resp. ad III Q. Si boves ad arandum Meliboeus emere voluit idque Tityro significaverit, potest cornupetae bovis et alterius ad arandum inepti pretium repetere, immo et expensas pro venditione peractas, si a Tityro deceptus fuit: quippe vitium adest qualitatis quod in substantiam recidit. Id ipsum de tertio bove dicendum, si infirmitas arando ineptum eum faciat et venditionem praecesserit; secus vero si infirmitas sine venditoris culpa venditioni supervenerit. Quod si boves mactandos emerit, priorum bovum pretium repetere nequit, cum eorum vitia innoxia sint lanioni; immo nec bovis infirmi, nisi infirmitas eiusmodi sit quae carnes insalubres efficiat. Bos ictu fulminis peremptus emptori periit, quippe fortuito casu periit; propterea nulla debetur Meliboeo pretii restitutio.

404. — Resp. ad IV Q. Quia duarum ovium selectio venditionis tempore peracta non fuerat, oves in venditoris dominio permansere,

(1) Sporer, tr. VI, c. II, 83 et seq.; La Croix, l. III, p. II, 950; S. Alphonsus, 819; *Codex italicus*, art. 1110.

(2) Sporer, 88 et seq.; La Croix, 949; S. Alphonsus, 823; *Codex italicus*, art. 1498.

(3) Sporer, 95 et seq.; S. Alphonsus, l. c.; *Codex italicus*, art. 1501, 1502, 1503.

(4) *Codex italicus*, art, 1505, 1506.

(5) *Codex italicus*, art. 1472, 1474.

atque illi perierunt; cumque praeter unam omnes fulmine absumptae fuerint, duarum electio iam fieri nequit. Quapropter, optio Meliboeo datur, vel ovem superstitem accipiendi, vel eius pretium antea solutum exigendi; pretium autem alterius ovis illi debitum est, quia, electione nondum facta, ovis venditori periit in cuius dominio manebat.

CVII.

Cum Anselmi domus sub hasta veniret, Tiburtius, domus emendae cupidus, omni studio licitatores removendos curat. Faustinum prece dumtaxat adhibita, Camillum et Ambrosium centum argenteis oblatis. Ad hoc, et praeconi, pari argenti summa promissa, suadet ut cito venditionem absolvat, ne forte alii licitatores superveniant. Hinc fit ut decem millium argenteorum pretio domum sibi vindicet, quod tamen, licitatione seposita, infimo pretio vulgari inferius non est.

Quaeritur I°. Quodnam pretium in venditione sub hasta pro iusto sit habendum?

Q. II°. An liceat prece vel pecunia licitatores removere?

Q. III°. An cum licitatoribus pacisci ne plus offerant?

Q. IV°. An acceptam pecuniam licitatores tenere possint; sin minus, cui restituere debeant?

Q. V°. Quid si se licitaturos simulaverint?

Q. VI°. Quid de praecone?

Q. VII°. Quid de Tiburtio eiusque obligationibus?

Quaestionum solutio.

405. — Resp. ad I Q. *Venditio sub hasta,* quae et *subhastatio* (ita dicta quia apud Romanos hasta insigne publicae potestatis erat), ea vocatur quae in foro per praeconem fit, data cuilibet facultate pretium augendi, ita ut res veno posita illi demum adiudicetur qui maius pretium obtulerit. In subhastatione iustum pretium neque lege neque communi aestimatione, sed licitantium concertatione statuitur: venditio enim haec instar aleatorii contractus se habet, in quo damni periculum et lucri spes invicem pensantur. Quapropter, sive licitando pretium supra vulgare summum ascendat, sive infra vulgare infimum descendat, venditio valet (1). Idque et lege civili firmatur, quae facultatem adimit rescindendi contractum laesionis causa, quum venditio sub hasta publica peracta fuit (2).

(1) Lugo, *De iust.* disp. XXVI, 45; Sporer, tr. VI, c. V, 23; Bonacina, *De contract.* disp. III, q. II, p. IV, 21; Collet, *De contract.* p. II, c. I, a. III, q. III; Alasia, *De contract.* diss. II, c. I, 36; S. Alphonsus, III, 808; Sebastiani, *Summarium,* 305.

(2) *Codex italicus,* art. 1536.

406. — Resp. ad II Q. Venditor, qui merces suas sponte vel adactus subhastans discrimini se committit eas pretio infra vulgare minimo distrahendi, ius habet ne licitantium quoquomodo impediatur libertas, eorumque numerus minuatur: hinc qui dolo, fraude, minis licitantes deterret, procul dubio iniuriam venditori infert et damnum (1). Hoc ipsum de eo dicendum qui, promissa vel oblata pecunia, quempiam a licitando removet: quippe datio pecuniae vel promissio libertatem licitantium minuit nec fraude vacat, propterea et lege civili haec agens ad carcerem vel ad multam damnatur (2). Haec cum ita sint, probari nobis non potest, cuiusdam recentioris sententia (etsi haesitanter prolata), quae eiusmodi licitatoribus pecuniam accipere et retinere permittit, quasi affectionis pretium (3).

407. — Si ad licitatores removendos preces tantum adhibeantur, communissima sententia est iustitiam non laedi, precibus enim nulla vis infertur neque rogati libertas minuitur. Excipe si preces nimis importunae forent vel metui reverentiali coniunctae, nam in quamdam coactionem desinere viderentur (4). De obligatione iustitiae sumus locuti; at nonnunquam accidere potest ut quod iustitia non vetat, vetet charitas.

408. — Resp. ad III Q. Convenit, licitatores qui pactum ineunt supra certum pretium non licitandi, in caritatem committere, quippe causa sunt damni venditori obvenientis; an vero contra iustitiam delinquant, in controversiam venit. Affirmant plures, quia cum venditor discrimini se committat rei suae quanti minimi distrahendi, ius habet ne sibi spes eripiatur distrahendi eam quanti plurimi (5). Negant alii, quia tale pactum ineuntes libere ineunt, nullam proinde venditori iniuriam faciunt; eo magis sicubi fas est venditori mercem suam retrahere quum inferius pretium offertur (6). Sunt demum qui hoc indulgendum putant fratribus, cognatis, amicis, qui ob arctum vinculum quo inter se continentur unam quasi personam videntur efficere (7). Totius quaestionis caput in eo est, an eiusmodi pacta ineuntes (sive amici aut cognati sive extranei sint, parvi refert) venditoris ius lae-

(1) Sporer, Alasia, Collet, S. Alphonsus, ll. cc.; Del Vecchio, II, 135; Sebastiani, l. c.

(2) *Codex italicus,* art. 299.

(3) Vegezzi, apud Del Vecchio, l. c., in nota.

(4) Lugo, Collet, S. Alphonsus, ll. cc.; Bonacina, p. V, 8; Alasia, 36; Carrière, *De contract.*, 759; De Varceno, *De contractibus in particulari*, c. II, a. I, § 6; D'Annibale, II, 468; Costantini, 407; Génicot, I, 638; Sebastiani, l. c.; Ferreres, *Epitome,* 523.

(5) Bonacina, p. IV, 21; Alasia, 37; S. Alphonsus, l. c.; Gury, I, 910; Tanquerey, *De contract.* 771.

(6) Lugo, 175; D'Annibale, l. c.; Lehmkuhl, I, 1337; Scavini, II, 405; Ballerini (ad Gury I, 910); Sebastiani, l. c.

(7) Bouvier, *De contract.* p. II, c. II, a. VII, III; Del Vecchio, l. c.

dant: quam quaestionem sapientioribus finiendam relinquimus. Ceterum civiles leges gravibus poenis in eos animadvertunt qui tales pactiones ineunt.

409. — Resp. ad IV Q. Restitutio iis facienda quibus iniustum damnum illatum fuit: cum autem illi qui accepta pecunia a licitatione se sustinuerunt causa iniusta extiterint damni venditoris, acceptam pecuniam ei restituere debent, quasi partem pretii quod ex imminuto emptorum numero venditori iniuste detractum est.

410. — Resp. ad V Q. Si se licitaturos simulaverint, nihil venditori debent qui nullum ab iis damnum est passus: pecuniam tamen simulando extortam illi reddant oportet qui deceptus eam solvit.

411. — Resp. ad VI Q. Praeco nedum pecuniam, inique acceptam ut muneri suo deficiens emptorum numerum minueret, venditori restituere debet, sed videtur in solidum teneri cum eo a quo pecuniam accepit ad maius pretium solvendum quod, remota fraude, venditor consecutus fuisset: uterque enim iniustus damni auctor fuit.

412. — Resp. ad VII Q. Post dicta in aperto est, Tiburtium contra iustitiam non peccasse Faustinum prece a licitatione removendo; peccasse vero Camillum et Ambrosium removendo per pecuniam. Item peccavit praeconem argento inducens ad munus suum violandum et damnum Anselmo inferendum. Quapropter, ceu princeps damni causa, Tiburtius Anselmo pretium restituere debet quod remotis fraudibus verisimiliter fuisset consecutus, demptis tamen summis quas forte Camillus, Ambrosius et praeco restituissent.

IN TRACTATUM
DE CENSURIS

CVIII.

Marius sacerdos dubitat an suspensionem incurrerit ab Episcopo decretam in clericos qui festo die venationi incumbunt: namque censuram eiusmodi iniustam esse retur, neque eos ferire qui, sacris officiis ante persolutis, venatum eunt, neque satis constare sitne censura ferendae vel latae sententiae.

Anceps est Tiburtius debeatne tanquam excommunicatum se gerere, quia semel duos percussit quos clericos suspicabatur, dein vero unum dumtaxat clericum esse cognovit; alias quemdam percussit pro certo habens eum clericum esse, at subinde rescivit feminam esse personatam; alias certo certius clericum percussit, crimenque confessus absolutionem obtinuit, dubio tamen angitur fueritne confessarius potestate praeditus absolutionem donandi.

Quaeritur I°. Quid est censura et quotuplex?

Q. II°. Quid in dubio an censura sit iusta, vel ad aliquid se porrigat, vel sit ferendae sententiae?

Q. III°. Quid in dubio seu iuris seu facti de censura existente, quod ante vel post crimen admissum oriatur?

Q. IV°. Quid in dubio de valida censurae absolutione?

Q. V. Quid de Mario et Tiburtio?

Quaestionum solutio.

413. — De censuris in Ecclesia vigentibus acturi oportet in primis attendamus animum ad ea quae generatim de legibus et poenis in *Codice pontificii iuris* hoc canone sunt constituta: *Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat. Itaque:* 1°. *Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur;* 2°. *Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi;* 3°. *Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi;* 4°. *In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum;* 5°. *Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tanquam abrogatae habeantur;* 6°. *Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sivi naturalis* (1). Hisce praehabitis, ad propositas quaestiones solvendas properemus.

Resp. ad I Q. I°. Censurae nomine intelligitur *poena spiritualis et medicinalis ab Ecclesia inflicta, qua homini christiano delinquenti et contumaci quorumdam spiritualium bonorum vel temporalium quae spiritualibus sint adnexa, adimitur usus* (2). Singula explanemus huiusce definitionis verba. 1°. *Poena:* ideo insontem non ferit. 2°. *Spiritualis*, quia (ut mox dicemus) directe spiritualium bonorum usu privat. 3°. *Medicinalis*, quia non ad vindictam admissi sceleris fertur, sed ad delicta praevenienda, vel ut reus a delicto resipiscat; et si forte ad praeterita crimina punienda sancitur, proprii nominis censura non est. 4°. *Ab Ecclesia inflicta:* quippe spiritualia moderari unius Ecclesiae est, cui Christus hanc contulit potestatem (3). 5°. *Ho-*

(1) *Codex iuris canonici,* can. 6.

(2) Consonat haec definitio illi quam tradit *Codex iuris canonici*, can. 2241, § 1.

(3) Matth. XVI, 19; XVII, 17, 18; II *Cor.* X, 8; XIII, 2, 10.

mini christiano: nam Ecclesia nisi in christianos potestatem non habet, secundum illud Pauli: *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* (1). 6°. *Delinquenti*, quandoquidem iniquum foret poena illum plectere qui non deliquit; et quia censurae poena gravis est et fori externi, idcirco nisi in *grave* peccatum et *externum* et *consummatum* contra aliquod Ecclesiae praeceptum ferri nequit (2). Ad haec ex novo *Codice iuris pontificii* can. 2230, ut delinquens in poenas latae sententiae incurrat, pubes sit oportet. 7°. *Contumaci:* nempe qui cum *formali* vel *virtuali contemptu* in Ecclesiae legem peccat, hoc est sciens volens in legem nititur, censuram nihil pensi habens. Hinc inferre licet, illum censuram effugere qui eam prorsus ignorat, contumax enim non est. Attamen a censura latae sententiae non excusat legis vel poenae ignorantia, nedum affectata sed et quae crassa fuerit vel supina, quemadmodum conceptis verbis *Codex iuris canonici* nos docet (3). Ut adsit contumacia hoc etiam requiritur, praeeat censurae monitio: haec trina sit oportet, si censura feratur ab homine; si vero a iure, in lege ipsa censetur inclusa, quippe lex ipsa monet. 8°. *Quorumdam spiritualium bonorum adimitur usus:* quae verba censurae effectum designant, qui est privatio quorumdam bonorum spiritualium, eorum nempe quae Ecclesiae potestati subsunt (veluti publica suffragia, Sacramentorum receptio, divinorum officiorum participatio); et si quando nonnullis bonis etiam non spiritualibus censura privat (veluti civili consortio, sepultura sacra, beneficiorum fructibus), hoc quasi indirecte fit et intuitu spiritualis finis.

414. — II°. Triplex est censurae species, *excommunicatio, suspensio* et *interdictum*. Duae posteriores etiam in vindictam patrati criminis ferri possunt, monitione praetermissa (in quo eventu lato sensu censurae vocantur); prior, quippe quae gravissima est, nisi ad crimen praecavendum ferri nequit. Ratione modi quo censura fertur, alia *a iure* dicitur, quae lege scripta continetur; alia *ab homine*, quae per praelati decretum vel iudicis sententiam infligitur; alia *latae sententiae*, quae vix patrato crimine incurritur; alia *sententiae ferendae*, quam lex vel praelati statutum irrogandam comminantur. Haec perspicua sunt communiterque recepta (4).

(1) I *Cor.* V, 12.

(2) Excommunicatio minor, in quam olim incidebant communicantes cum excommunicato vitando, etiam per veniale peccatum incurri poterat; at hodie per Const. *Apostolicae Sedis* excommunicatio minor abrogata est.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 2229, § 3. Vide Cavigioli, *De censuris latae sententiae*, disp. I, c. III. Quando crassa ignorantia eximit a censura dicetur n. 423.

(4) Suarez, *De censuris*, disp. I, sect. I; Reiffenstuel, tr. XIII, dist. I, 2 et seq.; Laymann, l. I, tr. V, p. I, c. I; Navarrus, *Enchir.* c. XXVII; Bonacina, *De censuris*, disp. I; Alasia, *De censuris*, c. I; S. Alphonsus, VII, 1-8; D'Annibale, I, 324bis, etc.

415. — Resp. ad II Q. I°. Multiplici ex capite censura iniusta et irrita esse potest. Nempe 1° si facinus illud ad quod puniendum censura fertur vel leve peccatum sit, vel nullum prorsus, quia tunc (ut iura loquuntur) *errorem continet intolerabilem*: 2° si quis iuridice probatur reus, qui tamen reipsa innocens est; 3° si crimen quidem adfuit, quin reus confessus fuerit vel convictus. Censura iniusta simul et irrita in foro Dei non ligat: hinc, dempto scandalo, licet censura notato iis uti bonis quibus per censuram iustam interdiceretur; attamen in foro exteriori perinde se gerere debet ac si censuram incurrerit, cum ut publicus ordo et disciplina serventur, tum ne cuipiam scandalum praebeat (1). At si censurae iniustitia certa non sit, censura obtinet: praesumptio enim legislatori favet, cuius est de legis iustitia iudicare, praesumptio autem moralem certitudinem praestat, quippe *omne factum praesumitur recte factum* (2). Ceterum si deinceps, excusso dubio, censura noscatur iniusta, omni caret effectu.

II°. Si dubites an censura ad aliquid se porrigat, dubiumque ex legis obscuritate seu vitio proficiscatur, censura non obtinet, nam in dubio iuris versamur, de quo protinus.

III°. Si dubites an censura sit latae vel ferendae sententiae, ferendae sententiae censetur: etenim cum in re maxime odiosa versemur, stricte leges interpretari oportet ex vulgatis exploratisque iuris adagiis, *Odia sunt restringenda*; *In poenis benignior est interpretatio facienda* (3).

416. — Resp. ad III Q. I°. In dubio iuris, scilicet si dubites an censurae lator crimen aliquod lege sua plectere voluerit, dubiumque ex legis vitio nascatur, censura non adest: quamdiu enim de legislatoris voluntate non constat, incerta lex est neque obligationem parit. Huc faciunt illa: *Contra eum qui legem potuit apertius dicere est interpretatio facienda; In obscuris quod minimum est sequimur* (4).

II°. Id dubio facti, quum nempe certa lex est, sed dubites an crimen adfuerit in quod lex animadvertit, non censetur incursa censura; iniquum enim est quempiam iure suo exspoliare gravique coercere poena, cuius delictum certum non est (5). Ceterum quum po-

(1) Caietanus, in II^{a} II^{ae}, q. LXX, a. IV; Reginaldus, *Praxis*, l. IX, sect. IV; Suarez, disp. IV, sect. VII; Navarrus, 3, 4; Reiffenstuel, 38, 39; Laymann, c. V, 3; Bonacina, q. I, p. X, 4-10; Alasia, c. VI, 5; Collet, *De censuris*, p. I, c. I; S. Alphonsus, 66; Costantini, 960; Ferreres, *Epitome*, 990.

(2) Bonacina, 11; S. Alphonsus, 32, 68. Vide et opusc. *De regulis conscientiae*, 49.

(3) Bonacina, p. I, 7; Alasia, I, 4; Génicot, II, 569; Ferreres, l. c.; Sebastiani, *Summarium*, 594; Tanquerey et Cimetier, *De censuris eccl.*, 6; *Codex iuris canonici*, can. 2219.

(4) S. Alphonsus, 67; D'Annibale, I, 311 et *Comment.* 9. Recole superius dicta, n. 29 et opusc. *De regulis*, 50.

(5) S. Alphonsus, 67; D'Annibale, l. c.

sitivum dubium de incursa censura poni nequit, consultius putamus absolutionem ad cautelam petere, ne quis forte illis bonis careat quorum usus per censuram adimitur (1).

417. — Resp. ad IV Q. Quum censurae vinculo quis fuit certe illaqueatus, dubitat vero an ab eo solutus fuerit, necesse habet absolutionem curare ne forte sibi ceterisve inferat damnum (2).

418. — Resp. ad V Q. Prius Marii dubium de iniustitia censurae ab Episcopo decretae minimo negotio diluitur: cum enim iudicium de iustitia censurae ad Episcopum pertineat, iusta censura praesumitur donec certis argumentis iniusta demonstretur. Ad alterum dubium convellendum legis verba inspiciantur: et siquidem non satis appareat an censura feriatur et clericus qui sacris officiis persolutis venatum it, non feriri dicendus, quippe licet in obscuris quod minimum est tenere. Ad tertium quoque dubium expellendum verba legis attendantur oportet: et si aperte de legislatoris mente constare nequeat, utrum scilicet delinquentem ipso facto voluerit censurae vinculo obstrictum, vel tantum poenam irrogandam ei comminari, censura ferendae sententiae existimatur, nam poenae emolliendae magis sunt quam exasperandae.

Nunc de Tiburtio. In prima facti specie Tiburtius censuram incurrisse indubium videtur: nam unus e percussis clericus erat, propterea delictum exterius aderat quod ex *Codice pontificii iuris* excommunicatione Ordinario proprio reservata punitur (3); aderat et censurae contemptus, quia percussum esse clericum suspicabatur: hinc tanquam excommunicatus se gerere debet. In altera specie censuram fugit, quippe clericum non percussit, propterea deest peccatum externum in quod censura lata fuit. In tertia specie, dubio de absolutione valida perdurante, omnino curare debet ut certam absolutionem obtineat.

CIX.

Ermenegildus, pro certo habens Ecclesiam catholicam profiteri octo esse Sacramenta a Christo instituta: « Minime gentium », exclamat, « Sacramenta nisi septem non sunt ». Alias, secum ipse cogitans doctrinam de inerrantia R. Pontificie ex cathedra loquentis tum rationi repugnare, tum SS. Literis, quae omnem hominem mendacem

(1) Costantini, 963, VII.

(2) La Croix, l. VII, 122; S. Alphonsus, 67; D'Annibale, I, 311; Ferreres, l. c.

(3) *Codex iuris cononici*, can. 2343, § 4. Gravioribus plectuntur poenis qui violentas iniecerint manus in personam R. Pontificis vel Cardinalis et Legati R. Pontificis, vel Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, etiam titularis tantum, ex eodem canone, §§ 1, 2 et 3. Immo qui R. Pontifici hanc infert iniuriam, est ipso facto vitandus. Vide sis Cavigioli, *Censurae latae sententiae*, n. 68.

praedicant: « Ita est, ita est », exclamat. Alias, cum audisset rusticum quemdam et illiteratum R. Pontificis decreto Sanctorum diptycis censum fuisse, protinus ait: « Hunc esse sanctum non credo ». Alias, doctrinam de B. Maria Virgine ab origine labis nescia recolens animo, anceps haeret dubitationemque suam pandit amico, affirmans doctrinam hanc a ratione absurdam sibi videri. Demum, semel ira correptus, Christi cruci affixi imaginem pedibus conterens, haec in eum protulit verba: « Non es mortuus pro me ». Tot criminum dolens confessori se sistit veniam et absolutionem petens.

Quaeritur I°. Quinam tamquam haeretici excommunicatione plectuntur?

Q. II°. An in singulis factis haeresim et excommunicationem Ermenegildus inciderit?

Q. III°. An a confessore absolvi queat?

Quaestionum solutio.

419. — Resp. ad I Q. *Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici incurrunt ipso facto excommunicationem;... absolutio ab hac excommunicatione in foro conscientiae impertienda est speciali modo Apostolicae Sedi reservata.* Ita in novissimo *Iuris canonici Codice.* Quinam vero haereticorum, apostatarum, schismaticorumque nomine veniant *Codex* his verbis declarat: *Post receptum Baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus; si a fide christiana totaliter recedit, apostata; si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, schismaticus est* (1). Ut pateat quorsum haec censura pertineat, iuverit haereseos notionem paulo fusius explanare. *Est haeresis voluntarius et pertinax christiani hominis error contra certam fidei veritatem.* Hinc, seu fidei divinae, seu theologicae, seu catholicae pertinaciter quis refragetur, coram Deo haereticus est (2). *Coram Deo,* inquimus, ut enim ab Ecclesia haereticus quis habeatur et censuris ab ea latis sit obnoxius, necesse est in catholicam fidem delinquat erroremque suum per aliquem actum malum (seu facto seu voce, seu clam seu manifeste, parvi refert) extrinsecus significet, nam Ecclesia in actus interiores non animadvertit. Praeterea, si quis errorem teneat ac profiteatur, ignorans doctrinae fidei illum adversari, *formalis* haereticus non erit sed *materialis* tantum, qui poenam fugit et nonnunquam

(1) *Codex iuris canonici*, can. 2314 et 1325, § 2.

(2) Discriminen inter fidem divinam, theologicam et catholicam iam explanavimus, n. 162.

etiam culpa vacuus esse potest (1). *Qui sententiam suam*, ita S. Augustinus, *quamvis falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, nequaquam sunt inter haereticos deputandi* (2).

420. — Resp. ad II Q. In priore facti specie Ermenegildus ob erroneam conscientiam in fidem peccavit et coram Deo formalis haereticus est, quippe illud negavit quod ad catholicam fidem pertinere arbitrabatur (3); attamen quia errorem suum exterius non protulit (nam verba illa *Sacramenta septem sunt* non errorem exprimunt sed veritatem), idcirco exors est poenae. Ob eandem rationem in secunda specie censuram evadit, etenim verba, *Ita est*, haeresim nullatenus manifestant. In tertia quoque specie excommunicationis poenam non incurrit, immo neque haereseos crimen: namque fidei dogma non est RR. Pontifices in Sanctorum canone conficiendo errare non posse, propterea haeresi notari nequit is qui hoc inficiatur, quamvis temeritatis immo et impietatis notam non effugiat (4). Qui de aliquo doctrinae fidei capite dubitat, sive illud expresse incertum pronuntiet, sive implicite, nempe assensum cohibens, oppido haereticus est; gravem quippe Deo infert iniuriam pro incerto habens quod Veritas ipsa nos docuit. Si tamen, exorto dubio, nihil iudicet sed mentem alio divertat, seu quia dubitandi rationibus se exstricare non valet, seu ut dubitationis anxietatem declinet, haereseos noxam non incurrit (5). Neque excommunicationem Ermenegildus noster incurrit dubium pandens amico, sive ad rem narrandam sive ad consilium petendum, nondum enim adest malus actus haeresim manifestans (6). Neque fortasse incurrit dicens absurdam a ratione sibi videri doctrinam de B. Virgine sine labe concepta: non enim absurdam *esse* affirmat, sed *sibi videri*: quapropter si hoc tantum significare voluit, doctrinam arduam esse et intellectu difficilem et humanae rationis captum excedentem, neque haeresim protulit neque mente concepit.

(1) Haec quae paucis complectimur, fusiore tractant calamo Navarrus, *Enchir.*, c. XI, 22; Reginaldus, *Praxis*, l. IX, c. XIV, sect. I; Canus, *De locis*, l. XII, c. VII; Reiffenstuel, tr. IV, dist. III, q, II; Laymann, l. II, tr. I, c. XIII; Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Haeresis*; S. Alphonsus, VII, 300-305; D'Annibale, *Commentarii*, 30, 31; Aichner, § 151; Génicot, I, 203.

(2) Epist. CLXI *ad Glorium*.

(3) Reginaldus, 237; D'Annibale, 30.

(4) Canus, l. V, c. V, concl. 3; Suarez, *De fide*, disp. V, sect. VIII, 8; Benedictus XIV, *De canonizatione Sanctorum*, l. I, c. XLIII.

(5) Reginaldus, 237; Navarrus, 22; Canus, c. VIII; Laymann, 5; Reiffenstuel, 20, 23; Ferraris, v. *Haereticus*, 5; S. Alphonsus, 302; D'Annibale, 30.

(6) Laymann, c. XIV, 3.

Secus si de doctrinae veritate dubitavit. In postrema facti specie actus conterentis Crucifixum potuit ex subito irae motu proficisci, quin errori mentis coniungeretur, potuit etiam ex animo haeretico prodire: si primum, haeretico animo deficiente, Ermenegildus censuram fugit; si alterum, incidit, quia neque haeresis defuit neque eiusdem exterior significatio. Ad extremum verba illa *Non es mortuus pro me*, si voluntario mentis errori coniungantur, satis illum extrinsecus manifestant; quippe cum fides catholica doceat Christum *pro omnibus* mortuum esse, primo intuitu conspicies mortuum esse et *pro te*, qui ex omnibus unus es; quapropter, cum nulla ratiocinationis ope conclusio haec a doctrina fidei eruatur in qua formaliter continetur, ad fidem pertinet. Hinc concludere licet, eum qui inficiatur Christum pro se mortuum esse haereseos crimen incidere (1).

421. — Resp. ad III Q. Ex singulis adiunctis sedulo perpensis confessor iudicabit, an Ermenegildus formalis haereticus sit dicendus erroresque suos ita expresserit ut censuram incurreret; et si incurrit, a confessario nequit absolvi qui a S. Sede facultatem non obtinuerit, nam excommunicatio quae haereticos percellit R. Pontifici speciali modo reservatur. Attamen (ex *Codice pontificii iuris*) *si delictum apostasiae haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae* (2).

CX.

Cornelius, vir legendi cupidus, quotquot ad manus sibi veniunt legere solet libros et opuscula quae nonnunquam prava haereticorum dogmata continent, quaeque scit vel suspicatur ab haereticis confecta. Ephemerides quoque et diaria lectitat, in quibus modo R. Pontificis magisterium insimulatur erroris, modo B. Mariae virginitas Sanctorumque cultus carpuntur. Libros etiam sine scrupulo legit quos a RR. Pontificibus per Apostolicas Literas vetitos novit, ut puta *Les paroles d'un croyant*, auctore De Lamennais et *Iuris ecclesiastici institutiones*, auctore Nepomuceno Nuytz, quos Gregorius XVI et Pius IX reprobarunt. Haec autem agens Cornelius culpa se vacuum existimat, tum quia catholicam doctrinam mordicus animo tenet, tum quia ad errores confutandos eiusmodi scripta pervolvit. Haec cum rescierit Lucianus parochus, hominem ad se provocat hisque increpat

(1) D'Annibale, 30, nota 10. Recolenda quae de conclusionibus theologicis locuti sumus, n. 164.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 2314, § 4.

verbis: « Quae haec factio est, Corneli? ignorasne in naturae et Ecclesiae legem te graviter peccasse ac pontificiam incidisse censuram qua feriuntur haereticorum scripta legentes? agedum, cave tibi ».

Quaeritur I°. Quo iure vetita sit lectio librorum doctrinas pravas efferentium?

Q. II°. Quos ferit excommunicatio per Constitutionem *Apostolicae Sedis* lata in legentes libros vetitos?

Q. III°. Quinam libri sub hac censura prohibiti censentur?

Q. IV°. Quodnam de Cornelio et Luciano iudicium ferendum?

Quaestionum solutio.

422. — Resp. ad I Q. Pravorum librorum lectio iure naturae vetita est. Sane hos libros legens triplici se periculo committit, nempe damnificandi se ipsum, damnificandi ceteros quibus nocivum praebet exemplum, et malam operam iis conferendi qui hos libros evulgant: porro autem naturae lex clamat, nefas esse sibi ceterisque peccandi periculum concitare, seque peccantibus dare socium. Verum si periculum absit remotumve fiat, et probata legendi causa intercedat quae collationem operae *materialem* faciat (v. c. si vir pius et doctus, omni remoto scandalo, legat ad errorem detegendum ac refutandum), potest eiusmodi lectio sine piaculo esse. Pravorum librorum lectionem potest et Ecclesia Christi fidelibus interdicere: quippe Pastorum est Christi oves a venenatis pascuis arcere. Interdicere autem Ecclesia solet sive per generale statutum, veluti per Regulas Indicis, sive per peculiare decretum SS. Congregationum Indicis vel Inquisitionis, vel R. Pontificis, vel Episcoporum. Eandem potestatem in suos subditos habent Abbas monasterii sui iuris et supremus religionis clericalis exemptae Moderator cum suo Capitulo vel Consilio (1). Quavis ratione Ecclesiae lex feratur, natura sua eam gravem esse nemo est qui ambigat; convenit tamen ob materiae parvitatem posse legentem a lethali culpa excusari. Sat communiter affirmant illum gravi culpa (ideoque et censura, sicubi adest) liberari, qui non ultra paginam legit nisi forte pravam doctrinam impingens lectionem producat (2).

423. — Resp. ad II Q. Quum in poenis hodie vigentibus aestimandis *Codex pontificii iuris* (ut vidimus) nos moneat veteris iuris rationem habendam esse; in dubio autem an nuperi canones cum veteri iure concordent, a veteri iure non esse recedendum, iuverit in primis decreta meminisse quae hoc in themate a Pio IX Pontifice Maximo per Constitutionem *Apostolicae Sedis* sancita sunt, ut ea cum illis conferamus quae in novissimo *Codice* sunt scita. Constitutio *Apo-*

(1) *Codex iuris canonici*, can. 1395.

(2) Reginaldus, *Praxis*, l. IX, 254; Sanchez, *Decal.* l. III, c. X, 31; Laymann, l. II, tr. I, c. XV, 5; Reiffenstuel, tr. IV, dist. IV, 41; La Croix, l. VII, 340; S. Alphonsus, VII, 284; Costantini, 192; Aichner, § 151; Génicot, I, 455.

stolicae Sedis excommunicationi latae sententiae R. Pontifici speciali modo reservatae obnoxios decernit *Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, necnon libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.* Huic decreto nonnihil mutationis *Iuris canonici Codex* induxit canone 2318: § 1 *In excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras, nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes.* § 2 *Auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.* Duae sunt praecipuae mutationes per hunc canonem inductae: 1° haereticorum et apostatarum libris libri schismaticorum additi sunt; 2° *imprimentibus* omissis, librorum *editores* eorum in locum suffecti sunt.

Quatuor personarum genera hac censura plectuntur: nimirum *legentes, retinentes, edentes* et *defendentes*, de quibus singillatim dicendum. Cum in canone mox relato, vocula *scienter* legentibus dumtaxat et retinentibus sit apposita, non autem edentibus et defendentibus, iam licet inferre, illos ob ignorantiam seu iuris, seu facti, seu poenae, a censura incurrenda excusari, ob ignorantiam etiam crassam et supinam; hos vero non excusari si ignorantia crassa vel supina fuerit. Haec ex *Codice iuris* perquam aperta sunt: *si lex verba illa* (**scienter, studiose** etc.) *non habeat, ignorantia legis aut etiam solius poenae, si fuerit crassa vel supina, a nulla poena latae sententiae eximit; si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis* (1). De ignorantia crassa et supina haec fuit etiam communis doctorum sententia (2), de affectata vero plurium olim sententia fuit (3); hodie tamen explorati iuris est, affectatam ignorantiam, quippe quae aequivalet scientiae, a censura non eximere. En decretoria *Codicis pontificii* verba: *A nullis latae sententiae poenis ignorantia affectata sive legis sive solius poenae excusat, licet haec verba* **praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit,** *aliave similia contineat* (4).

(1) *Codex iuris canonici*, can. 2229, § 3, n. 1.

(2) Bonacina, *De censuris Bullae Coenae*, disp. I, q. II, p. IV, 8; Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Libri prohibiti*, 31; S. Alphonsus, VII, 47.

(3) Sanchez, *Decal.* l. II, c. X, 38; Bonacina, 9; Sporer, tr. II, c. III, 43; Ballerini ad Gury, II, 939; D'Annibale, *Comment.* 8, 40; Piscetta, tr. *De censuris*, 134.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 2229, §§ 1 et 2.

424. — I°. *Legentes* dicuntur qui oculis et mente, quamvis tacite, librum percurrunt callentes linguam qua scriptus est : quandoquidem legere quod non intelligis omni caret periculo, propterea lectio non est quam vetat Ecclesia (1). Lectionem audiens, quamvis ipse ad legendum induxerit, probabiliter censuram fugit, non enim legit qui audit (2). Est etiam probabile, sine censura librum legi posse si pars haeresim continens penitus abrasa fuerit vel detracta, dumne liber proscriptus fuerit in odium auctoris vel quia ex professo de religione tractat (3). A gravi culpa et censura ob materiae parvitatem legentes eximuntur, quemadmodum superius dictum fuit. Innoxios autem eos facit licentia a S. Sede obtenta, quippe quae vetitum aufert et censuram, quam licentiam *pro singularibus libris atque in casibus urgentibus* ab Episcopis ceterisque Praelatis quasi episcopali iurisdictione pollentibus tribui posse, hodie explorati iuris est (4).

425. — II°. *Retinentes* ii sunt qui libri dominium vel possessionem habent, nihil autem refert an animo legendi vel minus, an in sua retineant vel in aliena domo : hinc qui librum alteri tradit dominium sibi servans, censuram incurrit, nisi eo pacto tradat ut, obtenta deinceps licentia, illum recuperet (5). Etiam bibliopolae et bibliopegae retinentibus sunt accensendi : excipe si bibliopega ideo librum retineat ut habenti legendi veniam operam suam praestet (6). Ob materiae parvitatem a gravi culpa et censura eximitur qui brevi tempore, scilicet per paucos dies librum tenet ; immo etiam per longius tempus ad expectandam petitam licentiam vel opportunitatem libri tradendi (7). Ceterum qui retinent (itidem ac qui legunt) innoxii sunt, quum a S. Sede vel ab Episcopo retinendi facultatem obtinuerint.

426. — *Imprimentibus* (quo vocabulo ii nuncupantur qui proxime libro excudendo adlaborant) *Codex* noster *edentes* suffecit. Edentium nomine ii veniunt qui auctores sunt ut liber typis excudatur atque evulgetur : nimirum vel ipse libri scriptor, vel typhographus, vel officinae dominus, vel quivis alius suis alienisve sumptibus id praestet.

(1) Sporer, 43 ; La Croix, 341 ; Ferraris, 39 ; Bouvier, *De Decal.* c. I, art. I, § IV, p. II ; Rebaudengo, tract. V, 129 ; D'Annibale, 36 ; Costantini, 192 ; Pighi, *Censurae sententiae latae*, n. 51 ; Cerato, *Censurae vigentes*, n. 91.

(2) D'Annibale, 36 ; Tanquerey et Cimetier, *De censuris*, 82 ; Lehmkuhl, I, 1185 ; Costantini, l. c. cum Sanchez, 48 et Bonacina, 11 ; Pighi et Cerato, ll. cc. ; Ferreres, *Epitome*, 1003. De inducente *probabile* putant La Croix, 342 et S. Alphonsus, 292, contra Reginaldum, 251 ; Sporer, 43 ; Laymann, 6, aliosque plures.

(3) La Croix, 330 ; S. Alphonsus, 283 ; D'Annibale, 36 ; Costantini, 192.

(4) Constit. *Officiorum ac munerum*, tit. I, c. IX.

(5) Sporer, 45 ; Laymann, 7 ; La Croix, 352 ; S. Alphonsus, 298.

(6) Piscetta, tr. *De virtutibus theol.*, 103.

(7) Sporer et Laymann, ll. cc., La Croix, 351 ; Ferraris, 54, 55 ; S. Alphonsus, 295 ; Ferreres, l. c.

Plures antehac quaestiones fiebant de iis qui typos componunt atramentoque tingunt, chartam humectant, prelum versant, imprimentium vitia corrigunt impressionemque perficiunt, utrum nempe censurae hi essent obnoxii an minus; at hodie videtur citra dubitationem positum, eos obnoxios non esse, quippe qui inter editores non censentur (1). Est tamen animadvertendum, editores non ante excommunicationem incidere quam *opus publici iuris sit factum*. haec enim clausula conceptis verbis in *Codice* continetur.

427. — IV°. *Quomodolibet defendentes* ii sunt qui haeretici librum vel haereticam doctrinam seu verbis tuentur seu facto: *verbis*, laudibus efferendo, approbando, damnationem impetendo; *facto* propagando vel impediendo vi, fraude, mendaciis ne Inquisitoribus vel Ordinario tradatur liber aut comburatur (2).

428. — Resp. ad III Q. Libri quorum lectio hic prohibetur sunt: 1° illi qui *apostatam* auctorem habent vel *haereticum*, sive ex secta talis sit, sive ex doctrina talem evidenter se prodat; prohibentur autem sive eo quo primum scripti fuerunt idiomate, sive eo in quod subinde translati. Ad haec haeresim *propugnent* oportet: scilicet non obiter efferant, sed eius patrocinium ex professo suscipiant. Excipiuntur quorumdam veterum haereticorum libri, qui quamvis haeretica labe infecti, ab Ecclesia permittuntur, quia ex altero capite ob iamdiu obsoletos errores hodie vix nocere possunt, ex altero a viris prudentibus utiliter leguntur: eiusmodi sunt Tertulliani et Origenis opera (3). Veniunt 2° loco *libri cuiusvis auctoris* (nullo inter catholicum et haereticum discrimine facto) *per Literas Apostolicas* (nempe a R. Pontifice eiusve nomine datas, sive in forma Bullae, sive in forma Brevis) *nominatim prohibiti*, idest operis titulo expresso. Hac censura non continentur libri a R. Pontifice sine aliqua censura vel sine censura speciali modo reservata nominatim prohibiti ante editam Constitutionem *Apostolicae Sedis* (4): quinimmo, quum Constitutio haec ex R. Pontificis mente ad contrahendas non ad producendas censuras lata fuerit, putamus eiusmodi libros non contineri, nisi speciali modo

(1) Abs re post haec putamus argumenta proferre quibus disputantes theologi sententiam unusquisque suam confirmare nitebantur. An vero peccent operarii typographici debeantque officinam deserere, quaestio est implexa neque uno expedienda verbo, namque inspiciendum an proxime vel remote ad impressionem concurrant, an scandalum ceteris praebeant, an sine gravi incommodo officinam statim relinquere valeant, quae omnia sedulo perpendit Génicot (I, 240).

(2) Bonacina, 20; Sporer, 47; Laymann, 7; La Croix, 357, 358; Ferraris, 64; S. Alphonsus, 285, 297; D'Annibale, 37; Lehmkuhl, II, 1187; Tanquerey et Cimetier, 83. Quidam recentiores (apud Zaninetti, XI) liberant defendentem facto.

(3) Laymann, 1; Sporer, 38; Lugo, *De fide*, disp. XXI, 29; D'Annibale, 35.

(4) Gury, II, 981; D'Annibale, 40; Lehmkuhl, 1184; Tanquerey et Cimetier, 82.

censura fuerit reservata, secus enim R. Pontifex censuram non coercuisset sed ampliasset magis. Idque tenendum putamus etiam post novi *Codicis* editionem ex norma in eodem *Codice* tradita, canone 6, nn. 3° et 4° superius relato (n. 413). Hac tamen de re iudicium sapientioribus delegamus.

429. — Huc quaestio subit, an librorum appellatione manuscripta, diaria, ephemerides et opuscula censeantur. Et primo quidem ad manuscripta quod attinet, cum ante guttembergicam artem inventam libri omnes manu scriberentur, communior veterum praesertim theologorum sententia fuit, librorum nomine ea quoque significari (1). Hodie tamen contraria invaluit sententia, tum quia secundum obviam verborum significationem libri nomine ille intelligi solet qui typis excusus est; tum quia libri ad omnium manus facilius pervenire et legi possunt, propterea maius ex eis quam ex manuscriptis detrimentum legentibus imminet; tum quia *interpretatione legum poenae molliendae sunt potius quam exasperandae* (2). De diariis et ephemeridibus antehac disputatum fuit, nonnullis affirmantibus ea ad libros tanquam species ad genus esse revocanda (3); negantibus aliis quia librorum nomen (si propriam vocis significationem spectes) illis tantum scriptis tribuendum quae aliquo volumine constant (4). Hodie quaestio dirempta est, cum S. Officii Congregatio declaraverit hac censura diaria non contineri, contineri autem *publicationes periodicas in fasciculos colligatas* (5). Quod de diariis, et de opusculis exiguae molis videtur dicendum, quae magis quam librorum, elegiae, epistolae, orationis nomine nuncupantur (6). Ceterum parvi refert an liber per guttembergicam artem sit excusus vel lithographice aut dactylographice confectus (7). Hinc et manuscripta, si lithographice vel dactylographice multiplicata publice venalia prostent, libris omnino aequiparantur (8).

430. — Resp. ad IV Q. Cum pravorum librorum lectio periculis

(1) Suarez, *De fide*, disp. XX, sect. II; La Croix, 339; S. Alphonsus, 293; Del Vecchio, I, 568.

(2) L. *Interpretatione*. 42, ff. *De poenis*; Sporer, 39; Viva, *Damnatae theses* in prop. XLV Alexandri VII, n. X, *non improbabilem* hanc sententiam appellat; La Croix *probabilem*, eique favent D'Annibale, 39; Tanquerey et Cimetier, 82; Pennacchi, Append. III; Génicot, I, 454; Pighi, l. c.; Sebastiani, *Summarium*, 117.

(3) Suarez, *De fide*, l. c.; *Civiltà cattolica*, ser. VIII, vol. VI.

(4) Sanchez, *Op. mor.*, l. II, c. X, 29; Lugo, 33; Reiffenstuel, 41; D'Annibale, 39; Lehmkuhl, 1184.

(5) Respons. 21 aprilis 1880 et 13 ianuarii 1892.

(6) Sanchez, Lugo, Reiffenstuel, D'Annibale, Lehmkuhl, Pennacchi, Pighi et Sebastiani, ll. cc.

(7) Cavigioli, *Censurae latae sententiae*, n. 86. Consentit Génicot (I, 454) si manuscriptum quovis modo multiplicatum venale prostet, habetur enim ceu scriptum editum.

(8) Génicot, l. c.

plena sit, a peccato in legem naturae Cornelius vix excusari potest, qui hisce lectionibus incumbere solet; nisi forte (ut ipse asserit) ad errores confutandos legat, sitque vir doctus atque in fide constans. In Ecclesiae legem procul dubio offendit incurritque censuram legens sine debita licentia haereticorum libros haeresim propugnantes, nisi legat iuris aut facti ignorantia protectus. Si de auctore haeretico suspicetur, item si liber haeresim data opera non propugnet sed obiter tangat, censuram fugit. Fugit etiam diaria lectitans et ephemerides (dumne compactis fasciculis, seu periodice, editas) et parvae molis opuscula, et libros Felicis De Lamennais et Nepomuceni Nuytz a RR. Pontificibus ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* sine censura prohibitos (1). Ex quibus omnibus iam fit manifestum, Lucianum praepropero iudicio Cornelium in universum damnasse et censurae obnoxium fecisse: namque si illum opportune interrogasset et singula rerum adiuncta ante perpendisset quam iudicium proferret, sapuisset magis.

CXI.

Martialis, vir nobilis et militiae addictus, in duellum a Rustico commilite provocatus consentit, tum ut timiditatis notam effugiat, tum ne quasi ineptus a militia arceatur. Celsus, Martialis frater, ut ceterorum scandalum pro viribus removeat, locum in villa sua ad pugnam parat; Calpurnius, utriusque amicus, patrini munus eo suscipit animo ut mitiorem pugnam efficiat. Interim inopinato Principis decreto Rusticus sedem mutare iubetur, quo facto duellum irritum cadit.

Terentius, oblato sibi duello, ab armorum venditore ensem emit, dein a lanista in arte gladiatoria se instruendum curat. Duello instante, Galenus medicus ad certaminis locum se confert, ut procumbentium vulneribus protinus medeatur; Prudentius parochus in proxima domo se abdit ut clanculum e fenestra certantes aspiciat, iisque praesto sit ne forte sine Sacramentis decedant.

Tullius et Constantius milites, inter rixandum, una simul in haec verba prorumpunt: « Ad duellum te provoco, in campum exeamus »; et confestim egressi, sociis et duce comitantibus, congrediuntur.

Quaeritur I°. Quid est duellum quatenus ab Ecclesia prohibitum?

Q. II°. Quaenam a Tridentina Synodo atque a RR. Pontificibus in duelli reos sancitae sunt poenae, quaeque post Constitutionem *Apostolicae Sedis* adhuc vigent?

Q. III°. Quid iuris per dictam Constitutionem inductum vel mutatum fuit circa personas quae excommunicatione plectuntur?

Q. IV°. An singuli, de quibus in triplici facti specie agitur, excommunicatione inciderint?

(1) Nobiscum sentit Génicot (II, 588) de legente opusculum Felicis De Lamennais, sine censura vetitum; minime vero de legente Nepomuceni Nuytz librum, cum censura reservata prohibitum.

Quaestionum solutio.

431. — Resp. ad I Q. Duellum, quatenus Ecclesiae legibus et poenis coercetur, definiri potest: *Singulare certamen lethalibus armis ex condicto susceptum.* Dicitur 1° *singulare certamen*, nimirum non duorum tantum sed et plurium, modo unus contra unum, bini contra binos, terni contra ternos committant: hinc si dimicantium numerus par non est, duellum proprie dictum non adest (1). 2° *Lethalibus armis*, quae vel morti, vel mutilationi, vel gravibus inferendis vulneribus sint apta: eapropter certatio quae bacillis, pugnis, unguibus fit, duellum non est. 3° *Ex condicto susceptum*, designatis scilicet loco, tempore et armis: haec si desint, duellum abest. Diducitur duellum in *fatale*, quod ad internecionem progreditur, et *non fatale*, quod prima sanguinis effusione finitur; in *solemne*, quod patrinis, testibus certisque caeremoniis adhibitis perficitur, et *privatum* a quo eiusmodi solemnitates absunt: quavis autem ratione, nempe sive solemniter sive privatim committatur duellum, graviter in Ecclesiae legem offendit ab eaque punitur (2). Idem sentiendum de duello ad primam sanguinis effusionem (quod *non fatale* appellant), nec non de duello quod *academicum* vocant, in quo studiosi, condictis omnibus, parvo cultro ad alterius faciem vulnerandam concurrunt, reliquo corpore tecto (3). Excipe, si auctoritate Principis ad iusti belli pericula et calamitates vitanda indicatur: tunc enim belli locum tenet, expeditque rei publicae paucorum vitam in discrimen adducere ut multorum servetur (4).

432. — Resp. ad II Q. Tridentina Synodus, ad duellorum usum *fabricante diabolo introductum ut cruenta corporis morte animarum etiam perniciem lucretur* ex orbe christiano penitus exterminandum, gravissimis poenis in duelli reos animadvertit, quas deinceps Pontifices Maximi Gregorius XIII et Clemens VIII ratas habuerunt auxeruntque (5). Hae autem poenae praecipue sunt: excommunicatio ipso

(1) Pennacchi, Append. XVIII.

(2) Haec omnia liquido constant tum ex RR. Pontificum Constitutionibus inferius citandis, tum ex communi theologorum doctrina. Videri possunt Reiffenstuel, tr. IX, dist. III, 42; Sporer, tr. V, c. II, 183 et seq.; La Croix, l. III, p. I, 834 et seq.; Bonacina, *De excommun. extra Bullam Coenae*, disp. II, q. III, p. XLVIII; Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Duellum*; S. Alphonsus, III, 399-401; D'Annibale, II, 288 et *Commentarii*, 113; Del Vecchio, I, 508; Pennacchi, l. c.

(3) Sebastiani, *Summarium*, 337, Lehmkuhl, I, 1017, Génicot, I, 381 ex decreto S. Congreg. C., die 9 augusti, an. 1890.

(4) Caietanus, in II^a II^{ae}, q, XCV, a. VIII, ad 3^{um}; Navarrus, *Enchir.*, c. XI, 39; Sporer, 196; Laymann, l. III, tr. III, p. III, c. V, 3; Ferraris, l. c., a. I, 16; Rosmini, *Compendio di Etica*, 373, 374. *Duelli* vox apud Romanos idem sonabat ac *bellum*. Vide De Vit, *Totius latinitatis lexicon*, v. « Duellum ».

(5) Concil. Tridentinum, sess. XXV, *De reform.*, c. XIX; Const. *Ad tollendum* Gregorii XIII; Const. *Illius vices* Clementis VIII.

facto incurrenda, bonorum omnium proscriptio, infamia perpetua, ecclesiasticae sepulturae privatio necnon facultatis testamenti condendi, dignitatum, beneficiorum officiorumque (si de clericis agatur) et inhabilitas ad ea in posterum obtinenda. At hodie, exceptis excommunicatione et ecclesiasticae sepulturae privatione (quod ad eos qui in conflictu decesserint nullo ante obitum poenitentiae signo edito) et infamia, ceterae poenae vel ferendae sententiae sunt vel in desuetudinem abiere (1).

433. — Ut vero pateat quorsum hodie excommunicatio pertingat quam Tridentina Synodus Romanique Pontifices in duelli reos tulerunt, admonendi sumus, veteres censuras eatenus nunc vigere quatenus in Constitutionem *Apostolicae Sedis* translatae sunt, quae novam in eas vitam infudit: quamquam et veteres canones, qua cum hac Constitutione conveniunt, adhuc in id prosunt, ut etiam ex illorum auctoritate receptisque penes doctores interpretationibus vigentes censuras metiri atque aestimare valeamus. Quae ex his memoratae Constitutionis verbis luce sunt clariora. *Decernimus, ut ex quibuscumque censuris... quae per modum latae sententiae ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illas quas in hac ipsa Constitutione inserimus eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.* Praeterea, quas Tridentina Synodus excommunicationes sanxit, hodie quoque suo robore stare, eadem Constitutione diserte traditur, quandoquidem post elenchum eorum omnium qui excommunicatione notantur haec leguntur: *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, nos pariter ita excommunicatos esse declaramus, excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV* De editione et usu sacrorum librorum *constituta.*

434. — Resp. ad III Q. Ad personas quod attinet quae nunc excommunicatione feriuntur, per novam Constitutionem tridentino decreto nonnihil mutationis accessit, quod facile colliges si tridentinum decretum cum novae Constitutionis verbis conferas quae sunt haec: *Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; necnon de industria spectantes illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.* Et 1° quidem feriuntur, nedum *perpetrantes duellum* sed et *simpliciter provocantes* vel *acceptantes:* ubi

(1) S. Alphonsus, VII, 220; La Croix, 862; Lehmkuhl, II, 1223. Vide sis *Codicem iuris canonici*, can. 2351, et 1240, § 1, n. 4.

animadvertendum, per adverbium illud *simpliciter* (quod a tridentino decreto aberat et a Clemente VIII appositum fuit) aperte significari, provocantes et acceptantes censura percelli, etsi conflictus irritus cessit (1). Oportet tamen ut *serio* provocent, acceptent, animo nempe duellum perficiendi, si enim ficte id agerent, v. c. ad ignaviae notam a se propulsandam, vera provocatio et acceptatio deessent (2). 2°. *Complices et operam favoremque praebentes,* nempe patrini, testes, qui quasi duelli moderatores et iudices constituuntur, arma ministrantes, provocationis libellum deferentes, pugnaturis locum parantes, duellum mandantes vel consulentes vel suadentes, modo duellum secutum fuerit: in quo hi omnes discriminantur a *simpliciter provocantibus et acceptantibus,* qui (ut diximus) etiam duello non secuto poenam incidunt (3). Ceterum qui remotam praestant operam, veluti armorum venditores et gladiatoriae artis magistri, eam non incurrunt (4). 3° *De industria spectantes;* videlicet data opera vel ex composito, quasi sua praesentia animum certantibus addentes, non vero obiter, vel clam, vel a longe certamen aspicientes (5). Illud *de industria* quod in tridentino decreto desiderabatur, a Clemente additum fuit atque in Constitutionem Pii IX transiit. 4° *Permittentes et non prohibentes* illos intelligimus qui prohibere possunt et ex officio debent (6). Ad extremum animadverte, excommunicationem quam Tridentina Synodus nemini, Clemens vero sibi reservatam voluit, hodie R. Pontifici *simpliciter* (idest non speciali modo) reservatam esse. Haec omnia *Iuris pontificii Codex* canone 2351 rata habuit.

435. — Resp. ad IV Q. Martialis, non secus ac Rusticus, in censuram incidit, etsi duellum non contigerit: hic ceu provocator, ille ut acceptans. Neque excusatur Martialis quod timiditatis notam vel depulsionem a militia veretur, quae enim intrinsece mala sunt nullo unquam pacto licere possunt (7). Neque Calpurnium censuram fugere putamus, quippe praesentia sua certantes animosiores facit eisque operam favoremque praebet. Terentius procul dubio censurae vinculo adstringitur, minime vero armorum venditor et lanista, nisi forte

(1) Sporer, 210; Ferraris, a. II, 6; La Croix, 848; S. Alphonsus, III, 401; VII, 220; D'Annibale, 115; Tanquerey et Cimetier, 103.

(2) Pennacchi, l. c.; D'Annibale, 116; Piscetta, 179; Zaninetti, 508.

(3) Sporer, 211; Ferraris, 7, 8; S. Alphonsus et D'Annibale, ll. cc.; Pighi, *Censurae sententiae latae*, n. 90. Génicot (II, 601) et Ferreres (*Epitome*, 1020) testes et patrinos a censura eximendos censent, si duello intersint ut illud impediant, vel mitior certatio fiat et citius absolvatur. Verum in hac sententia acquiescere non valemus, nam testes et patrini praesentia sua certantes animosiores faciunt eorumque malo facinori operam favoremque praestant.

(4) Sporer, 211; Bonacina, 37; D'Annibale, *Commentarii,* l. c.

(5) Sporer, 212; La Croix, 858; Ferraris, 9, 10; S. Alphonsus, 220.

(6) Sporer, 208; Ferraris, 11; D'Annibale et Tanquerey, ll. cc.

(7) Ex propositionibus II[a] ab Alexandro VII et I[a] a Benedicto XIV damnatis.

scientes imminere duellum operam suam Terentio praestiterint (1). Galenus et Prudentius, si ex condicto (nempe inito cum certantibus pacto vel promissione data) ita se gerant, excommunicationi sunt obnoxii, quippe qui animosiores dimicantes efficiunt dum pollicentur se eis praesto fore; secus bonum opus praestant (2). Tullius et Constantius veri nominis duellum non commiserunt, cum neque tempus, neque locum, neque armorum genus constituerint, quae ad duellum requiruntur: hinc nulla censura tenentur (3).

CXII.

Lucina, pusillae staturae monialis, solatii causam rotam ingreditur, eaque in gyrum acta, caput foras profert; tum, gyro perfecto, regreditur. Alias nepotillam ab Eusebia sorore sua immissam in rotam extrahit, osculatur, dein matri reddit. Alias domus tectum conscendit, quo facilius caeli terraeque amplitudinem contempletur.

Faustus confessarius, ad monialem aegrotantem solandam claustrum ingressus, antequam exeat, cum ceteris per integram horam ineptos sermones miscet.

Rusticus, ad monachorum viridarium excolendum vocatus, filiam suam decem annos natam secum ducit: Pafnutius ostiarius ianuam illis pandit; Pachomius abbas videt et tacet.

Quaeritur I°. Quaenam censura in violantes monialium clausuram lata est, quique ea feriuntur?

Q. II°. An impuberes puerosque censura percellat? an introducentes illos vel admittentes?

Q. III°. Quid de iis qui legitime ingressi, expedito negotio, egredi morantur?

Q. IV°. Quaenam censura decreta est in violantes regularium virorum claustra, quique hac censura notantur?

Q. V°. An singuli, de quibus supra, censuram inciderint?

Quaestionum solutio.

436. — Resp. ad I Q. Romani Pontifices, ut sacrarum virginum claustra sarta tecta servarent, gravissimis poenis in eorum violatores animadvertere consueverunt; novissime vero Pius IX Constitutione *Apostolicae Sedis* excommunicationi latae sententiae R. Pontifici sim-

(1) Pennacchi (l. c.) pluribus evincere conatur, neque hac in hypothesi lanistam censura teneri.

(2) Ex responso C. S. Officii, 28 martii 1884. Cf. Lehmkuhl, *Casus*, I, 1073, et Pennacchi, *Emendatio in Append. XVIII;* Ferreres, *Epitome*, 1020.

(3) S. Alphonsus, III, 401; Bouvier, *De Decalogo*, c. V, a. V; Génicot, 379; Pennacchi, Append. cit.

pliciter reservatae obnoxios voluit *violantes clausuram Monialium cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra causas ac formam a S. Pio V in Constitutione* Decori *praescriptam. Codex iuris canonici* canone 600 haec statuit: *Intra monialium clausuram nemo, cuiusvis generis, conditionis, sexus. aetatis admittatur sine Sanctae Sedis licentia.* Ad censuram vero quod attinet, canone 2342, ea plectuntur *Moniales e clausura illegitime exeuntes*, item et *clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes.* Notandum hoc canone expuncta fuisse verba *cuiuscumque aetatis:* quapropter etsi vi canonis 600 omnibus (quaevis sit eorum aetas) vetitum sit intrare, eosque introducere vel admittere, attamen impuberes ingredientes censuram effugiunt, item eos admittentes vel introducentes.

437. — Violantium nomine intelliguntur 1° *ingredientes* monasterii septa (nam clausurae nomine venit spatium illud quod monasterii septis concluditur) *cuiuscumque conditionis* (propterea ne Ordinariis quidem exceptis), *sexus* (ideoque et feminae) et *aetatis* (hinc et impuberes, nempe feminae ante annum duodecimum, mares ante quatuordecim annos completos, quippe qui cum graviter delinquere possint, possunt et gravi poena multari), dumne legitimam licentiam habuerint, quam impertiri Ordinariorum est, nempe Episcopi vel Praelati Ordinis (1). 2° *Introducentes*, si vocis vim spectes, ii sunt qui intus ducunt, seu *physice*, ut aiunt, ianuam aperiendo, manum porrigendo, seu *moraliter*, alliciendo, invitando (2). 3° *Admittentes* sunt moniales, quae cum ingressum impedire valeant et ex officio debeant, illum permittunt: hoc autem officium praefectae est atque ostiariae monasterii (3). 4°. *Moniales a clausura exeuntes* (intellige sine legitima licentia) *extra casus et formam a Pio V praescriptam.* Monia-

(1) Laymann, l. IV, tr. V, c. XII, 1, 2; Ferraris, v. *Monialis*, a III, 60-78, 85-89; S. Alphonsus, VII, 221, 224; D'Annibale, *Commentarii*, 123, 124; Pennacchi, append. XX. Pubertatis initium *Codex iuris canonici*, canone 88, § 2 idem esse confirmat quod antea: *Minor, si masculus, censetur pubes a decimoquarto, si femina, a duodecimo anno completo.* Hic tamen obiter animadvertimus, ad matrimonium validum contrahendum (vi eiusdem *Codicis*, canone 1067, § 1) hodie in masculo decimumsextum, in femina decimumquartum annum completum requiri. An hodie, ut olim, *malitia aetatem suppleat*, affirmandum putat Tanquerey. (*Reformanda, De aetate et errore*) ex canone 6, nn. 2, 3, 4; nobis tamen negandum videtur cum Cerato (*Matrim.* n. 26), quia de exceptione illa *Codex* silet omnino.

(2) Bonacina, *De clausura*, q. IV, p. VI, 11; Ferraris, 59; D'Annibale, 123.

(3) Bonacina, 12; Ferraris, 59; D'Annibale, 123.

lium nomine illae tantum veniunt quae solennia vota nuncupant (1). Causae egrediendi quarum meminit Pius V sunt *magnum incendium, infirmitas leprae et epidemiae*: doctores tamen rentur et per causas hisce simillimas (cuiusmodi essent hostium incursus, fluminis inundatio, imminens aedificii ruina) egressum licere (2).

438. — Resp. ad II Q. Impuberes censuris ligari posse indubium est: qui enim gravis criminis rei esse possunt et gravi poena possunt puniri. Quia tamen *in pueris solet inultum relinqui quod in aliis provectioris aetatis leges humanae dicunt severius exigendum* (3): hinc receptum est censuris a iure vel ab homine generaliter latis eos non vinciri nisi expressa eorum mentio fiat (4). Post promulgatum *iuris pontificii Codicem*, Constitutioni *Apostolicae Sedis* nonnihil mutationis accessit: nam vi canonis 600 ingressus in monialium claustra omnibus interdicitur cuiusvis generis, conditionis, sexus, *aetatis*, propterea etiam impuberibus; quod vero ad censuram attinet, cum a canone 2342 exulent verba *cuiusvis aetatis*, in aperto est tam impuberes intrantes quam eos admittentes vel introducentes nulla hodie censura feriri (5). De infantibus puerisve nondum expedito rationis usu pollentibus convenit nulla eos censura perstringi, quippe graviter delinquere non possunt. Quaeres an peccent qui eos introducunt recipiuntve. Sunt nonnulli qui negant, tum quia quum pueris non interdicatur ingressus, neque peccare neque ullam poenam incidere aestimandi sunt qui eos admittunt; tum quia legislatoris finis fuit coenobii pacem, regularum observantiam, castitatem sacrarum virginum tueri, hic autem finis per puerorum ingressum non violatur (6). Quae argumentandi ratio non satis firma nobis videtur: nam ex eo quod pueri ingredientes vel introducti seu admissi ob aetatis defectum a culpa et a poena eximuntur, non recte infertur eos quoque culpa eximi qui introducunt vel admittunt; namque tametsi canone 2342 censura sublata fuerit, vetitum tamen manet canonis 600 omnibus *cuiusvis aetatis* ingressum interdicentis. Praeterea finis legis adhuc ex parte violatur, quum per eiusmodi ingressum coenobii disciplina turbetur, neque omnia pericula et inconvenientia removeantur. Haec firmari possunt pluribus S. Episcoporum Congregationis decretis, quae criminis reos

(1) Gury, II, 1004; D'Annibale, 123 ex responso S. C. Episcoporum, 1 augusti 1839. Vide *Codicem iuris canonici*, can. 488, n. 7.

(2) Laymann, 1; Ferraris, 58; S. Alphonsus, 229; Pennacchi, l. c.; Tanquerey et Cimetier, 110.

(3) Ex cap. 2 *De delictis puerorum*.

(4) Alasia, *De Censuris*, c. V; S. Alphonsus, 14.

(5) Cf. dicta n. 413.

(6) Bonacina, p. 1, 5; Sporer, *Supplem. theol. Decal.* c. II, sect. III, 155: D'Annibale, 123, nota 7; Lehmkuhl, *Casus*, I, 1059; Costantini, 996, X; Pennacchi, l. c.; Piscetta, 184.

(et iure antiquo vigente etiam censurae obnoxios) illos faciunt qui infantes in sacrarum virginum claustra recipiunt vel introducunt (1).

439. Resp. ad III Q. Qui expedito negotio adhuc in monasterio moratur, oppido peccat, quia licentia nisi ad negotium expediendum data non censetur; at si mora sit brevis (ut puta horae quadrantis), graviter non peccat, immo censuram non videtur incurrere etiam diutius manendo, quippe in eos potissimum censura lata est qui sine licentia ingrediuntur (2).

440. — Resp. ad IV Q. Ut et religiosorum claustra inviolata servarent, RR. Pontifices leges et poenas non semel constituerunt; Pius IX in Constitutione *Apostolicae Sedis* excommunicationi latae sententiae obnoxias voluit *mulieres violantes regularium virorum clausuram et superiores aliosve eas admittentes*. *Codex* autem *pontificii iuris* feminis omnibus ingressum in clausuram virorum hoc canone 598 interdicit: *Inter regularium virorum clausuram ne admittantur mulieres cuiusvis aetatis, generis aut conditionis sub quovis praetextu*. Canone autem 2342 censura puniuntur: *Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes; et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habent, et voce activa ac passiva*. Hoc canone impuberes feminae ingredientes claustra virorum censura non feriuntur; contra feriuntur introducentes eas, etiam puellas et infantes, per verba *cuiuscumque aetatis*. Regularium virorum nomine ratum est eos tantum venire qui solemnium votorum vinculo sunt adstricti. In horum clausura non includuntur officinae, templum, sacrarium, viridaria, quae muro sint a claustro separata et ad quae pateat aditus aliter quam per coenobii septa. *Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis*; *excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet*. Ita in novissimo *Iuris Codice* (3). Quibus animadversis, videamus quinam pontificia censura notentur. Notantur 1° *mulieres*, sive innuptae, sive nuptae, sive viduae, sive nobiles, sive in dignitate constitutae, nisi privilegium vel licentiam ingrediendi obtinuerint (4); impuberes tamen,

(1) Ferraris, 58; S. Alphonsus, 226; Pighi, *Censurae sententiae latae*, n. 83. Quatuor S. Congregationis decreta Ferraris affert. Ex *Codice iuris canonici*, can. 600, § 3, clausuram ingredi possunt *qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu, itemque S. R. E. Cardinales*.

(2) La Croix, l. IV, 84; Bonacina, p. IV, 23.

(3) Bonacina, q. V, p. 1-4, v. *Conventus*, a. III, 9-15; D'Annibale, 227; Pennacchi, Append. XXI et *Codex iuris canonici*, can. 597, § 2.

(4) Bonacina, p. II, 1, 3; Ferraris, 16; D'Annibale, l. c. Ex *Codice iuris canonici*, can. 598, § 2, *eximuntur ab hac lege uxores eorum qui supremum actu*

quamvis gravi culpa non vacent, eximuntur censura, quia expressa eorum mentio desideratur (1). 2° Notantur *superiores* ceterique eas *introducentes* vel *admittentes*, nempe praelati maiores, abbates, priores, rectores, immo et regulares subditi qui eas recipiunt, invitant, ingredi permittunt, cum impedire possint et debeant; non autem externi e foris introducentes, neque ii qui iam ingressas comitantur, nam *Codicis* statutum hos praeterit (2). At quamvis feminae impuberes censura eximantur, non eximuntur introducentes et admittentes.

441. — Resp. ad V Q. A Lucina exordiamur. Egredi e clausura est totum corpus (non pedem, manum, caput) extra monasterii septa ponere; propterea si Lucina se totam extra septa sistit, planum est clausuram violare (3). At nonne ob materiae parvitatem a gravi culpa et poena excusari potest egressus, si monialis ad unum alterumve pedem exierit brevique temporis spatio extra claustrum commorata fuerit? Affirmant quidam, ad finem legis respicientes, quae eo spectat ut pericula caveat exeuntibus ingruentia (4). Contrarium tamen cum plerisque tenendum putamus, tum quia legis finis *adaequate* non corruit, tum quia exiens e claustro, etiam uno palmo et temporis puncto, totum praeceptum violat (5). His positis, Lucinam censuram incidisse censemus quando rotam ingressa gyrum perfecit: etenim cum se totam illuc transtulerit ubi externi impune consistere queunt, scilicet extra monasterii septa, idcirco clausuram fregisse dicenda est (6). Ex hodierno iure tam ipsa nepotillam per rotam recipiens, quam Eusebia soror immittens, censuram fugiunt ex dictis. Utrum monasterii tectum intra clausuram sit vel minus, disceptatum fuit; at quia Sacra Episcoporum et Regularium Congregatio, die 16 et 18 septembris anni 1609, absolvendas esse decrevit, salutari iniuncta satisfactione, moniales quasdam quae ad exsiccanda frumenta festique pompam conspicandam tectum ascenderant, idcirco tenendum est per

tenent populorum principatum, cum comitatu. Putat Cerato (*Censurae vigentes*, n. 82) *mulierum* nomine *religiosas* non venire: verum (praeterquam quod vix non absurdum videtur, legislatorem eas censura eximere voluisse, quae gravius delinquunt) nonne *religiosae* mulieres sunt? Si sunt, ergo censura plectuntur.

(1) D'Annibale, 128; Tanquerey et Cimetier, 111.

(2) D'Annibale, Pennacchi et Tanquerey, ll. cc.

(3) Bonacina, q. I, p. IV, 2; Bouvier, *De Decalogo*, c. II, a III, sect. X, p. II.

(4) La Croix, l. I, 673; Lehmkuhl, II, 1232 (qui tamen materiae parvitatem hac de re vix adesse posse fatetur) et Sebastiani, *Summarium*, 611, 6°.

(5) Bonacina et Bouvier, ll. cc.; Ferraris, v. *Monialis*, a. III, 10; S. Alphonsus, 229; Gury, II, 1004; Zaninetti, 511, VIII.

(6) Ferraris, 14; Gury, *Casus*, II, 1139. Aliter sentit D'Annibale, *Summula*, III, 228, nota 17.

tectum, itidem ac per muros, clausuram finiri, propterea Lucinam excommunicationem incidisse (1).

Faustus confessarius si ob idoneam causam ad aegrotantem monialem solandam ingressus est claustrum, non ideo censuram incurrit quod diutius ibi moratus sit ineptos sermones miscens: vix tamen a lethali peccato excusari potest per integram horam ibi manens, quia facultate sua abutitur, Ecclesiae iussa parvi facit, scandalum quoque praebet (2).

Si viridarium a coenobio sit distinctum, neque Rusticus, neque eius filia, neque Pafnutius, neque Pachomius culpa et censura tenentur, clausuram enim non violarunt. Si vero intra coenobii septa viridarium continebatur, omnes in Ecclesiae legem peccaverunt, omnes (praeter Rustici filiam) censuram inciderunt, quamvis Rustici filia decem annos nata pubertatem nondum fuerat adepta.

(1) Ferraris, 11; Bouvier, l. c.; Scavini, IV, append. LXXXIII, *Casus*, 24; Cavigioli, *Censurae latae sententiae*, n. 133; Pighi (n. 86) sub iudice rem relinquit. D'Annibale, a censura liberat ascendentem supra tectum (l. c.), quamvis agnoscat Sacram Episcoporum Congregationem contrarium sensisse. Cerato (*Censurae vigentes*, n. 83) contendit, censura feriri monialem monasterio egredientem, non autem e clausura exeuntem; verum *Codex* conceptis verbis de clausura loquitur.

(2) Ferraris, a. V, 54, 64.

PARS ALTERA

IN TRACTATUS

De Sacramentis in genere et in specie

IN TRACTATUM

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CXIII.

In catholicae Ecclesiae Sacramenta debacchatur Pancratius, eaque humanis commentis esse accensenda tum sibi tum ceteris multifariam persuadere conatur. «Profecto», ait, «absurdum est in primis a sapientia summi Dei ut humillimis rebus ipse se immisceat, suamque praecellentem virtutem in iisdem recondat. Ad hoc si Sacramentorum naturam rimeris, tantae sunt tenebrae nulla ut ratione eas perrumpere valeas: argumento sint infinitae propemodum et secum ipsae pugnantes Sacramenti definitiones quae ex theologicis officinis prodiere. Quod si partes inspicias ex quibus Sacramentum constat, quas barbaris vocibus sequiori aevo excogitatis *materiam* et *formam* dixere, non unum offendes Sacramentum cuius vel utraque vel alterutra pars desideretur: namque a Poenitentia abest materia sensibus obvia; in Matrimonio idem nubentium consensus materiae simul et formae nomen officiumque sibi vindicat; in Ordine autem quae sit materia quaeque forma non convenit. Quid? quod ipsum Sacramenti vocabulum a Sacris Literis exulat? Est igitur meridiana luce clarius quo fonte Sacramenta manarint quae catholici homines Deo referunt accepta». Haec ille.

Quaeritur I°. Quaenam sit germana Sacramenti notio?

Q. II°. Quinam Sacramentorum Novae Legis auctor existat?

Q. III°. An quibusque partibus Sacramenta constent?

Q. IV°. Quid de universa Pancratii doctrina et de singulis ab eo prolatis argumentis?

Quaestionum solutio.

442. — Resp. ad I. Q. Lato sensu acceptum Sacramentum est aliquod *arcanum* et *sacrum* [graece mysterion (1)]; strictiori sensu definiri potest cum *Catechismo* Tridentini Concilii: *Invisibilis gratiae visibile signum*, vel explicatius: *Res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habet* (2). Quae definitio tam Novi quam Veteris Foederis Sacramentis quadrat, dummodo iustitiae et sanctitatis efficientiam diversa ratione eisdem tribuamus: quandoquidem illa gratiam et sanctitatem conferunt virtute sibi divinitus indita, seu (ut verbis utamur theologorum usu tritis hodieque universim ab Ecclesia receptis) *ex opere operato*; haec *ex opere operantis* tantum conferebant, nempe virtute suscipientis aut etiam conferentis (scilicet in Sacramentis Circumcisionis et legis naturae, quae parvulis conferebantur). Prolatae Sacramenti definitiones germanam eius naturam exerunt. Quippe ad Sacramentum pertinet 1° ut sit aliquid sensibus obvium; 2° rei sacrae et occultae signum; 3° causa sanctitatem efficiens; 4° ad rationem cum signi tum causae divinitus destinatum.

443. — Ex his obiter colligimus, Sacramentum aliquid esse arte confectum, idest non in rerum natura existens; eoque perfectius, quo perfectior inest in eo ratio signi vel causae (quo nomine christiana Sacramenta, quippe quae gratiam continent et ex se conferunt, veteribus praestant); demum ex diversa significatione et effectu unumquodque Sacramentum indolem et naturam sortiri diversam. Haec rata maneant, ne nobis deinceps haereat aqua (3).

444. — Resp. ad II Q. Sacramentorum Novae Legis auctor est Christus. Dogma fidei est, quod tridentina Synodus hoc canone definivit: *Si quis dixerit, Sacramenta Novae Legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit* (4). Hoc anathemate feriuntur novatores saeculi XVI, qui cum plura Ecclesiae Sacramenta reiicerent, eo ipso negabant Christo auctori ea esse tribuenda. Feriuntur et hodierni modernistae, quorum doctrinam Congregatio S. Officii confixit has propositiones reprobando: *Opiniones de origine Sacramentorum quibus Patres Tridentini imbuti erant, quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei chistianae indagatores*

(1) Tob. XII, 7; I *Tim.* III, 16; *Eph.* V, 32.

(2) *Catechismus R.* p. II, c. I, 5, 10.

(3) S. Thomas, III^{a}, q. LXII, a. III; Laymann, l. V, tr. I, c. III. Discrimen inter vetera et nova Sacramenta diserte docteque tradit Rosmini in sua *Antropologia soprannaturale*. l. III, p. I; *Dei Sacramenti in genere*, cc. V-VII, cui concinit Lanzoni, *De Sacram. in genere*, p. I, c. I, capit. I.

(4) Sess. VI, *De Sacramentis*, can. I.

merito obtinent; - Sacramenta ortum habuerunt eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et morentibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt (1). Quia tamen Tridentina Synodus non definivit, Christum *immediate* seu proxime Sacramenta omnia instituisse, idcirco illorum opinio qui cum Hugone Victorino et Sententiarum Magistro Unctionis Sacramentum et cum Alexandro Alensi Sacramentum Confirmationis a Christo per Apostolos suos instituta fuisse rati sunt, haereseos nota percelli nequit, etsi longissime a veritate aberrat et sine temeritate defendi non potest (2).

445. — Ex tridentino canone inferre licet, debuisse Christum Sacramentorum partes aliqua ratione designare: si enim nullimode designasset partes ex quibus Sacramenta constant, eorum auctor neutiquam dici posset. Quam conclusionem Lugo *catholicam* appellat, Suarez *absolute loquendo de fide* (3). *Aliqua ratione*, inquimus: nam utrum singulorum Sacramentorum partes ad speciem usque designaverit [quae communior sententia est (4)], an aliquorum (Confirmationis scilicet atque Ordinis) genus tantum destinarit, tradita Ecclesiae potestate speciem designandi [ut nonnulli opinati sunt (5)], definiti iuris non est. Hoc tamen definiti iuris est, non posse Ecclesiam mutare quae ad Sacramentorum substantiam pertinent (6).

446. — Resp. ad III Q. Sacramenta christiana duabus partibus constant, nempe *rebus* seu actionibus, et *verbis* proprie dictis vel aequipollentibus: illis, quippe quae subobscuram minusque perfectam significationem exhibent, *materiae*; his, quae rerum significationem expressius exhibent, perficiunt, absolvunt, *formae* nomen adhaesit. Quas appellationes Guillelmus Antisiodorensis ineunte XIII saeculo de peripateticorum schola aucupatus est; subinde, connivente immo approbante Ecclesia, passim omnes usurparunt, iis enim vocibus of-

(1) Decretum *Lamentabili*, 4 iulii 1907, propos. XXXIX et XL. Vide Mannaioli, *Supplem.* VIII. De Sacramento Confirmationis vide etiam propositionem XLIV quam n. 507 in nota referemus.

(2) Suarez, *De Sacram.* p. I, disp. XII, sect. I; Estius, in IV *Sent.* dist. I, § 16; Billuart, *De Sacram.* diss. V, a. I; Drouin, *De re sacrament.* q. VI, § I, concl. IV; Franzelin, *De Sacram.* thes. XIV; Lanzoni, p. I, c. II, capit. I, a. I, scholion.

(3) Lugo, *De Sacram.* disp. II, sect. V, 83; Suarez, disp. II, sect. III.

(4) Suarez, p. I, disp. II, sect. III; Berti, *De theolog. disciplinis*, l. XXX, c. X; Collet, *De Sacram.* c. II, a. I; Gazzaniga, *De Sacram.* diss. I, c. IX; S. Alphonsus, VI, 12; Lanzoni, p. I, c. I, capit. II, a. I, § III. Atque ita sentire videtur S. Thomas, III^{a}, q. LX, a. V, ad 1^{um}.

(5) S. Bonaventura, in IV *Sent.* dist. XXII, p. II, a. I, q. IV, ad 5^{um}; Bellarminus, *De Ordine*, c. IX; Lugo, *De Sacram.* disp. II, sect. V, 85 et seq.; Laymann, l. V, tr. I, c. V, 3; La Croix, l. VI, p. I, 16.

(6) Concilium Tridentinum, sess. XXI, c, II.

ficium et natura partium Sacramentorum concinne reddebantur (1). Sane (ut paulo ante monuimus) Sacramentum est aliquid arte compositum: iam vero, quemadmodum in physica corporum compositione materia sine forma non consistit, nam ex noto adagio *forma dat esse rei*; ita in Sacramentis res seu actiones in se ipsis spectatae aliquid sunt adiaphorum, quod nempe plures diversasque significationes accipere potest, a verbis autem ad certam significationem trahuntur. *Ex verbis et rebus*, ait Angelicus Doctor, *fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut forma et materia, in quantum scilicet per verba perficitur significatio rerum* (2).

447. — Resp. ad IV Q. Pancratii doctrina prorsus haeretica dicenda, namque tridentino canoni adversatur, qui Christo (ideoque Deo) Sacramentorum institutionem referendam definivit. Imbecilla autem plane esse argumenta omnia quibus ipse sibi ceterisque doctrinam suam suadere conatur, ostendemus singillatim ea perpendendo.

Et I° quidem contendit Pancratius in Sacramentorum institutione divinae sapientiae indicia desiderari. — At contra, si sapientis est vel minimis uti rebus ad grandia quaeque molienda, ecquis, nisi lapis aut stipes fuerit, divinam in Sacramentis instituendis sapientiam non mirabitur? Enimvero lucet in eis divina potentia, qua Deus ita res omnes imperio tenet ut suae virtutis et gratiae vehicula et instrumenta efficiat: lucet divina providentia, quae homini sensibus instructo per sensilia auxiliatur, ut a caducis rebus et fluxis ad altiora et sempiterna bona grassetur: lucet et misericordia, quae humanae naturae ab origine sauciatae salutifera praestat remedia. Haec porro divinam plane in Sacramentorum auctore sapientiam evincere perspicuum est.

448. — II°. Tenebricosa caligine Sacramentorum naturam esse suffusam, ex variatis Sacramenti definitionibus Pancratius ostendere nititur. — At theologorum definitiones verbo tenus distare, re autem consentire, facile comperiemus, si quidem hoc ratum firmatumque habeamus, aliis pressius, aliis uberius placuisse Sacramentum definire: alios nova Sacramenta dumtaxat, alios et vetera definitione sua voluisse complecti. Videat Pancratius quas efferunt Sacramenti definitiones praecipui sacrae theologiae doctores, suaeque mentis tenebras minimo negotio discutiet (3).

449. — III°. Ex deficientibus (ut ipse retur) alicuius Sacramenti partibus novas Pancratius machinationes molitur ad catholicam do-

(1) Concilium Tridentinum, sess. XIV, c. III; Eugenius IV, Decr. ad Armenos; S. Thomas, III^{a}, q. LX, a. VI, ad 2^{um}.

(2) III^{a}, q. LX, a. VI, ad 2^{um}.

(3) Hugo Victorinus, *De Sacram.* l. I, p. IX, c. I; Magister Sententiarum, l. IV, dist. I; S. Bonaventura, in III *Sent.* dist. I; S. Thomas, III^{a}, q. LX, a. II; Canus, *Relect. de Sacram.* p. I; Suarez, disp. I, sect. IV et ceteri.

ctrinam labefactandam : ad quas disiiciendas illud in memoriam revocemus quod iam a limine animadvertimus, nempe singularem esse cuiuscumque Sacramenti indolem atque naturam. Quo posito, agedum cominus agamus.

Poenitentiae Sacramentum iudicii forensis rationem prorsus imitatur, quod accusatione, sententia et poena constare exploratum est. Quapropter Poenitentiae partes sunt delinquentis actus (nimirum culparum confessio animique dolor quasi *essentialis materia*, satisfactio vero quasi *integralis*) et sacerdotis sententia (nimirum absolutionis verba quasi *forma*). Dolor equidem insidet animo sed verbis nutibusve, immo et per ipsam dolentis accusationem, extrinsecus prosilit fitque sensibus obvius (1).

450. — Christianorum matrimonium a naturali contractu non differt, cum sit ipse naturalis contractus quem Christus sua gratia exornatum et auctum transtulit in Sacramentum : quae est Ecclesiae doctrina. *Exploratum est* (ita Leo XIII in Encyclica *Arcanum*, decessorum suorum Pii VI, VIII et IX scitis plane consentiens) *in matrimonio christiano contractum a Sacramento non esse dissociabilem, atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso Sacramentum* (2). Iamvero in quovis contractu synallagmatico voluntas utriusque contrahentis, quatenus iuris traditionem alteri factam significat, contractum inchoat sed adhuc imperfectum relinquit, hinc eiusdem *materia* nuncupari potest ; quatenus vero in traditionem iuris sibi ab altero factam consentit, contractum perficit meritoque *formae* nomen obtinet. Haec autem voluntatis consensio verbis plerumque aptiusque exprimitur, quamvis et nutibus aliisve signis quae verbis aequivaleant exprimi possit (3). Ad haec contrahentes praesentes sint oportet, sive per se, sive per procuratorem. *Ad matrimonium valide contrahendum* (ita *Codex pontificii iuris*) *necesse est ut contrahentes sint praesentes, sive per se ipsi sive per procuratorem* (4). Hinc inferes, validum non esse matrimonium si consensus per epistolam, vel telephonum, vel telegraphum mittatur.

(1) Suarez, disp. II, sect. I ; Laymann, l. V, tr. VI, c. III, 6 ; La Croix, l. VI, p. II, 669.

(2) Vide Rosmini, *Delle leggi civili che riguardano il matrimonio dei cristiani ; Questioni politico-religiose*, Questione VI ; *La legge civile in relazione al matrimonio*, Dialoghi tre. Hisce opusculis (quae in unum collecta anno 1902, Romae rursus prodierunt typis excusa Forzani et Sociorum) catholica de matrimonio doctrina lucide traditur et strenue vindicatur, disiectis sophismatibus quibus legulei aulici eam omni nisu labefactare conati sunt atque in dies conantur, ad civitatis iura supra quam par est extollenda.

(3) Suarez, p. I, disp. II, sect. I ; Sanchez, *De matrim.* l. II, disp. V, 6 ; Bellarminus, *De matrim.* c. VI ; S. Alphonsus, VI, 880 ; Franzelin, *De Sacram. in genere*, thes. IV ; Aichner, § 147 ; Génicot, II, 456.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 1088.

451. - Quaestio quae de Ordinis Sacramento agitatur eos tantum ordines respicit quos hierarchicos appellant. Receptissima sententia est multisque argumentis suffulta, quae huius Sacramenti materiam in manuum impositione, formam vero in verbis eam comitantibus sitam esse contendit. Namque Sacrae Literae, SS. Patres ac rituales libri vetustissimi aliam ab ea non commemorant, neque aliam graeci unquam usurparunt. Quod si Eugenius IV de istrumentis tradendis unice loquitur, non alia de causa id fecisse putandus est, nisi quia animus illi fuit *historice* potius quam *dogmatice* graecos erudire de illis quae apud latinos obtinebant (1). Hac sententia posita, palam est Pancratii difficultatem evanescere. At opinio quae et traditionem instrumentorum tanquam necessariam pro latinis requirit non omni destituitur fundamento, adeo ut si forte traditio illa omissa fuerit, ordo sub conditione ab inchoato sit conferendus (2). Quare ad difficultatis nodum diducendum nonnulli censuerunt, in hoc Sacramento genus signi dumtaxat a Christo fuisse institutum, speciem vero ex divino mandato Ecclesiae definiendam fuisse relictam; Ecclesiam autem, munere suo functam, aliam in orientalibus, aliam in occidentalibus plagis speciem destinasse (3). Quae varietas, ita explanata atque composita, divinae Sacramentorum institutioni non officit (4).

452. — IV°. Extremum Pancratii argumentum ex eo ducitur quod vel ipsa Sacramenti vox in SS. Literis desideratur. — Si Pancratius idcirco sic loquitur quia ex uno SS. Literarum fonte catholica dogmata derivanda arbitratur, lutheranum se probat, quandoquidem et in traditionis penu catholica dogmata contineri certa fide comperimus atque tenemus (5). Quod si in ipsa Sacramenti voce homo noster insistat, quam a SS. Literis abesse autumat, ridendus magis quam refutandus: cum enim non de vocibus sed de re quaeritur, nihil nostra interest si Sacramenti vox in SS. Literis desideretur, dummodo res desit quae hac voce significatur. Rem autem non deesse, theologi quique dilucide ostendunt quum divinam cuiusque Sacramenti originem tradunt, ad quos (ne ligna in silvam ferre videamur) libenter Pancratium mittimus, qui nobis documento fuit luculentissimo, in quot errores dilabantur necesse est illi quibus pars ingenii esse videtur christiana dogmata spernere aut vellicare.

(1) S. Bonaventura, in IV, dist. XXIV, p. II, a. I, q. IV; Drouin, l. I, q. I, c. I, § V; S. Alphonsus, 12; Franzelin, thes. V.

(2) Benedictus XIV, *De Synodo dioeces.* l. VIII, c. X, n. 13. Plura huc pertinent SS. Congregationum responsa quae, si libet, videre potes apud Zaninetti, 2383.

(3) Lugo, disp. II, 75; Bellarminus, *De Ordine*, c. IX; Laymann, l. V, tr. IX, c. V, 2; Sporer, *Theologia sacram.* p. I, c. V, 18; La Croix, l. VI, p. II, 2135.

(4) Huic expediendae difficultati aliam inivit viam Lanzoni (*De Ordine*, c. I, a. II), ad quem, ne multi simus, lectorem mittimus.

(5) Concilium Tridentinum, sess. IV, Decr. *De canonicis Scripturis*, et Vaticanum, sess. III, c. I.

CXIV.

Eusebius parochus, quum nobilium divitumque filios Baptismate tingit, odoriferos succus in lustralem aquam infundit, eamque hiemali tempore aqua calefacta temperandam curat, utitur vero hac solemni forma: *Ego te baptizo in nomine Patris qui te creavit, et Filii qui te redemit, et Spiritus Sancti qui te santificat, et B. Virginis sine labe conceptae.* Contra, quum infantibus humili loco natis Baptismatis lavacrum ministrat, nativam adhibet aquam et breviorem hanc formam usurpat: *Io ti battezzo in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti.* Immo semel in necessitatis articulo, mera aqua deficiente, puerulum lixivio abluit hac usus forma: *Te abluo in nomine SS. Trinitatis.* Item in Eucharistiae Sacramento conficiendo, ob annonae caritatem, panem adhibet partim ex tritico partim ex hordeo confectum, vinumque agreste aqua tamen dilutum.

Albertus sacerdos, ad aegrotum morti proximum vocatus ut illum morientium Sacramento muniret, singulos eius sensus praeproperanter inungit; at sive ob festinationem sive ob inconsiderantiam, loco verbi *deliquisti*, modo *delquisti* modo *dereliquisti* pronunciat. Unctionibus peractis, de vitiata formae pronunciatione ab adstantibus monitus timet ne irritum fecerit Sacramentum.

Possidius, pius sacerdos sed scrupulis vexatus, quum Christi corpus consecrat, ingeminat consecrationis verba: *Hoc hoc est est corpus corpus meum meum.* Item quum expiandis poenitentium admissis pro tribunali sedet, anxius an rite absolutionis verba protulerit, extremas syllabas repetere solet, dicens: *Ego te absolvo-vo, a peccatis-tis, tuis-is.*

Quaeritur I°. An Sacramenta valeant si materiae vel formae mutatio fiat?

Q. II°. An liceat materiam et formam mutare?

Q. III°. Quid de Eusebio, Alberto et Possidio?

Quaestionum solutio.

453. — Resp. ad I Q. Cum quodlibet Sacramentum materia et forma a Christo designatis tanquam suis partibus constet, in aperto est evanescere Sacramentum si alterutra pars ita mutetur ut convertatur in aliam ab ea quam Christus constituit. Contra, si mutatio adeo levis sit ut res et verba quibus Sacramentum conflatur adhuc censeantur eadem permanere quae ante, Sacramentum non inficitur. Aliis verbis, *substantialis* mutatio Sacramentum irritum facit, non autem *accidentalis*; quod si incertum est utrum substantialis mutatio fuerit vel accidentalis, incertum erit et Sacramentum (1). At qua ratione substantialis mutatio ab accidentali internosci potest?

(1) S. Thomas, III^{a}, q. LX, a. VIII; Laymann, l. V, tr. I, c. IV, 4; Sporer, *Theol. sacram.* p. I, c. II, 85 et seq.; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. I, 22-25; La Croix, l. VI, p. I, 18 et seq.; S. Alphonsus, VI, 11.

454. — Materiae mutatio substantialis tunc censetur adesse quum sive secundum speciem physicam res spectetur, sive secundum usum ad quem ex divina institutione est adhibenda, in commune hominum aestimatione desinit illa esse quam Christus designavit. Ad quod dignoscendum optima erit regula animadvertere an res, mutatione facta, eodem quo antea vocabulo nuncupetur: quae enim pristinum nomen amisit, iure in aliam transiisse putatur (1).

455. — Formae tunc aderit substantialis mutatio quum verborum sensus adimitur: nam in Sacramentis verborum vis non in vocum sono sed in sensu consistit, quo adempto, Sacramentum non fit; quod si sensus integer perseveret, accidentalis erit mutatio (2). Multifariam formae mutatio contingere potest: 1°. *idiomat's mutatione*, quae vix unquam substantialis est, quamvis in una forma diversa misceantur idiomata; 2°. *substitutione,* quae accidentalis est si verba synonima substituas, vel forma ex activa in passivam convertas aut vicissim; substantialis vero si nutus vel scripta verbis ore proferendis sufficias, excepto Matrimonii Sacramento, in quo consensus etiam per nutus vel scripta exprimi potest; 3°. *additione,* quae Sacramentum irritat si formae sensum auferat, aut errorem in eam inducat (quemadmodum infra explicabimus, n. 469); 4°. *detractione,* quae accidentalis est si, verbo subtracto, formae sensus maneat, veluti si formae Baptismi demas prononem *Ego,* vel formae Eucharistiae adverbium *Enim;* secus si priori formae verbum *Baptizo,* posteriori *Corpus* demas; 5°. *transpositione,* quae quandoque sensum relinquit, quandoque adimit, quandoque incertum facit, veluti si dicas consecrando Christi corpus: *Hoc corpus est meum* (in qua postrema hypothesi inspicienda cum ratio proferendi verba, tum proferentis mens); 6°. *interpolatione,* de qua videndum an verba interrupta adhuc satis inter se conveniant ad sensum exhibendum vel minus, quod certa lege definiri nequit sed prudentium iudicio aestimandum; 7°. *corruptione,* quae accidit vel per balbutiem aliudve linguae vitium (veluti si dicas *Ba-baptizo*, *Copus meum, Calis*) vel per syllabarum syncopem (*Spirtus Sancti*), vel per grammatices aut idiomatis inscitiam (v. gr. *in nomine Patria et Filia et Spiritua Sancta*) (3). Quae formae mutationes hisce versiculis efferri solent:

Nil formae demas, nil addas, nil variabis,
Transportare cave, corrumpere verba, morari.

(1) Suarez, disp. II, sect. IV.

(2) S. Thomas ceterique theologi citati.

(3) R. Pontifex Zacharias validum declaravit Baptismum collatum *in nomine Patria et Filia et Spiritua Sancta*, et S. Officii Congregatio die 3 augusti an. 1889 ratum censuit Baptismum a tonkinensi catechista hac forma collatum; *Ego te baptizo in nomine Patri Firii et Firitui Sancti.* Vide Tanquerey, *De Sacramentis,* 28 in nota.

456. — Resp. ad II Q. Materiae vel formae substantialis mutatio sine grandi piaculo nunquam fit, quippe quae Sacramentum irritum facit, proindeque gravem infert iniuriam tum Christo, tum Sacramentum suscipienti. Accidentalis, si fiat sine idonea causa, veniali saltem culpa nunquam vacat, quia de reverentia et obedientia Christo et Ecclesiae debitis aliquid detrahit; saepe etiam lethali culpa non caret. Quando autem culpa lethalis adsit, ex rei natura et usu sensuque prudentium iudicandum est: v. c. graviter peccare censetur sacerdos latinus Eucharistiam in fermentato pane conficiens, item in calicis consecratione haec verba omittens, *Qui pro vobis et pro multis effundetur*: contra leviter peccare videtur omittens adverbium *Enim* aut pronomen *Ego*, quae in verbis *Baptizo* et *Absolvo* includuntur. Diximus accidentalem mutationem, *sine idonea causa factam*, veniali saltem culpa nunquam vacare; quandoquidem urgente necessitate Sacramentum conficiendi ut homini indigenti subveniatur, fas erit interdum materiam adhibere accidentaliter mutatam, immo et dubie validam, quemadmodum alio loco dicetur.

457. — Resp. ad III Q. Si succi quos Eusebius in lustralem aquam infundit adeo modici sint ut aquae natura incorrupta servetur, valet utique Baptismus, tametsi a peccato Eusebius excusari nequit (1). Aqua tepefacta vera aqua est, calor enim aquae naturam non mutat: hinc valide lustrali miscetur, immo et licite hiemali tempore ad frigidam temperandam, si modo in minore quantitate adhibeatur (2). Verba formae addita, cum eius sensum non adimant, Baptismum non inficiunt; posteriora tamen, si ea mente proferantur ut B. Virginis invocatio ad vim Sacramenti sit necessaria, errorem in formam inducunt, quae substantialiter vitiari potest (3). Non peccat Eusebius nativa abluens aqua in privato Baptismo; contra peccat in solemni aquam lustralem non adhibens, idest rite benedictam sacroque Chrismate immixtam, quae est ab Ecclesia praecepta (4). Idiomatum mixtio in forma, quamvis illicita, sensum non aufert. Quaestio moveri potest de omissa particula *Et*, quam nonnulli necessariam esse contendunt saltem ante verba *Spiritus Sancti*, ne secunda Trinitatis persona *Spiritus Sancti Filius* dici videatur (5). Verum, nisi ex animo ministri error iste in

(1) Obiter notamus, ad morbi periculum vitandum fas esse, cum baptismus infanti in materno utero confertur, hydrargyrum corrodentem (italice *sublimato corrosivo*) aquae miscere. Ita S. Officii Congregatio die 21 augusti an. 1901, apud Génicot, II, 1-4.

(2) *Rituale R., De materia Baptismi.*

(3) S. Thomas, III^a, q. LX, a. VIII; *Summa Sylvestr.* v. *Baptismus*, I, 5. Laymann, l. V, tr. II, c. IV, 6.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 776, § 3.

(5) La Croix, l. VI, p. I, 35; S. Alphonsus, VI, 111; D'Annibale, III, 272, nota 24; Génicot, II, 137.

formam invehatur, eiusmodi animadversio nimiam subtilitatem sapit, nam particula *Et* ad elegantiam saepe omittitur quin orationis sensus mutetur (1). Idque extra dubitationem nobis videtur positum ex responsis SS. Congregationum Concilii et S. Officii, quae non iterandum censuere Baptismum hac forma collatum: *Mi te abbatezo in nome del Padre e del Figliuolo dello Spirito Santo* (2). Baptismus in nomine SS. Trinitatis, sine distincta personarum invocatione, certo certius irritus est (3); cum lixivio autem collatus pro dubio est habendus, quippe lixivium polluendo magis quam abluendo corpori aptum videtur: quapropter nisi in necessitatis articulo et sub conditione eo uti licebit (4). Eucharistia in pane triticeo et vino conficitur: hinc hordei mixtio, si tanta sit ut panis triticei materiam mutet, inficit Sacramentum; secus dubium facere potest (5). Omphacium, scilicet vinum agreste ex uvis acerbis expressum, cum vini natura nondum induat, ineptum est Sacramento, neque aptum fieri potest eo quod diluatur aqua (6).

De Unctionis Sacramento ab Alberto collato saltem ambigendum est an valeat: quamvis enim corruptio verbi *deliquisti* in *delquisti* conversi per celerem pronunciationem vel inconsiderantiam adhuc verum formae referat sensum, attamen verbum *dereliquisti* sensum pervertit, proindeque substantialem mutationem in formam inducit qua incertum, sin minus irritum, efficitur Sacramentum (7).

Quamvis ridicule Possidius atque irreverenter sacramentalia verba proferat, quia tamen eorum non adimit sensum, valide consecrat et absolvit. At improbandus ac vehementer hortandus, scrupulos ponat et ridiculae consuetudini exuendae det operam, ne forte ad inane malum vitandum grave malum incurrat.

CXV.

Zancles sacerdos, Sacramenta dum conficit, modo aliquam interiicit morulam verbum inter et verbum, modo quidquam inserit ad rem non pertinens; v. c. in Poenitentiae, Eucharistiae, Baptismi Sacramentis conficiendis ait: *Ego te absolvo* (*adverte animum, bone vir*) *a peccatis*

(1) Alasia, *De Baptismo*, c. III, 12; Gury, II, 241; Sebastiani, *Summarium*, 424.

(2) Del Vecchio, II, 426 in nota; Lehmkuhl, II, 89 in nota.

(3) S. Thomas, III^{a}, q. LXVI, a. V; Natalis Alexander, *De Baptismo*, c. I, a. III, Regula I; Bonacina, *De Sacram.* disp. II, q. II, p. IV; Alasia, 2; S. Alphonsus, 108; Gatti, *Cristologia*, vol. III, Conf. LXXII.

(4) S. Alphonsus, 103.

(5) Ex *Missali R., De defectibus in Miss. celebratione,* III; Voit, II, 253; Benedetto XIV, *Del S. Sacrificio della Messa*, sez. II, n. LXXX.

(6) Ex *Missali R.* l. c., IV; S. Thomas, III^{a}, q. LXXXIV, a. V, ad 3^{um}; Voit, 280; S. Alphonsus, 206; Génicot, II, 171; Sebastiani, 437.

(7) Lehmkuhl, 20.

tuis; Hoc est (apage, Satan, apage tartarea pestis) corpus meum: Ego te bapti (hic sternit, vel tussit, vel expuit) *zo in nomine Patris* etc. Ad hoc sacramentalia verba non ita rebus accommodat ut simul constent: nam quandoque, vix verbis prolatis, puerulum baptizandum in sacrum fontem demittit, aegrotum inungit; quandoque contra, vix puerulo demerso vel aegroto inuncto, verba profert.

Quaeritur I°. An verba formae tam proxime cohaerere debeant, ut nec morula intercedat nec verbum?

Q. II°. An et quatenus materia et forma coniungantur oportet?

Q. III°. Quid de Sacramentis a Zancle collatis?

Quaestionum solutio.

458. — Resp. ad I Q. Verba in Sacramentis eatenus valent, quatemus significandi vim habent; vis autem significandi in verbis inest nedum ex vocum sono, sed etiam ex syntaxi et pronunciatione, namque ex his omnibus orationis sensus exsurgit. Haec cum ita sint, quavis ratione adimatur orationi sensus formaeque significandi vis, Sacramentum ad irritum cedat necesse est.

Quibus praenotatis, ut iam ad propositum nostrum veniamus, si interpolatio verbum inter et verbum tanta sit ut formae non amplius sua vis constet (veluti si ad dimidium horae quadrantem intercapedinem facias), Sacramentum pro infecto erit. Neque etiam officit, si verbum inter et verbum (quasi per parenthesin) aliquid interseras ad rem non pertinens, quod in humanis colloquiis usuvenire novimus quin orationis sensus deficiat. Ceterum monendi sumus, facilius vitiari formam adimique sensum, quum non inter verbum et verbum sed inter eiusdem verbi syllabam et syllabam intercedit mora, eoque facilius si fiat alienis verbis interiectis: quod certa lege definiri nequit, sed prudentium iudicio pensandum. Sit exemplum: si mysta Eucharistiam consecraturus dicat: *Hoc est cor*, et post brevissimam oscitationem vel tussim illico concludat *pus meum*, valere censebitur Sacramentum; contra, si prolatis verbis: *Hoc est cor*, ter quaterve expuat vel clamet: *Bone Deus!* dein subdat *pus meum*, pro infecto Sacramentum habebitur (1).

459. — Resp. ad II Q. Quum Sacramentum sit artificiosum quoddam ex materia et forma conflatum, inter omnes convenit ita eius partes consistere oportere ut altera alteri cohaereat et utraque in unum coalescat. Quae autem esse debeat huiusmodi partium coniunctio, tum ex cuiusque Sacramenti institutione et natura, tum ex prudentium iudicio aestimandum est. Eucharistia *physicam*, quam vocant, coniunctionem

(1) S. Thomas, III^{a}, q. LX, a. VIII, ad 3^{um}; Suarez, disp. II, sect. IV; Lugo, disp. II, sect. VI; Sporer, *Theol. sacram.* p. I, c. II, 91-95; La Croix, l. VI, p. I, 33; Billuart, diss. I, a. VI, § I; S. Alphonsus, VI, 11.

exposcit: quandoquidem pronomina *Hoc, Hic* verum sensum non exhibent nisi in praesentem rem cadant; cetera vero Sacramenta *moralem* tantum coniunctionem expetunt, quae alia est atque alia. Nam in Baptismo, Confirmatione et Ordine haec coniunctio adesse censetur quum, vix actione peracta, verba proferuntur, aut prolata verba confestim actio sequitur: etenim, ad eum fere modum quo si quis dicat: *Ecce venio* et illico pedem movet, dicere simul et facere censetur: ita si quis dicat: *Ego te baptizo* vel *te chrismo,* et continuo abluat vel liniat, uno eodemque tempore dicere censetur et abluere vel linire (1). In Poenitentia, quae iudicii rationem imitatur, longiore temporis intervallo potest materia a forma distare (2); longiore adhuc in Matrimonio, quod naturam retinet contractus, in contractibus autem tamdiu alterutrius contrahentis consensus stat quoad revocatus fuerit (3).

460. — Resp. ad III Q. Sacramentis a Zancle collatis vim suam constare non videtur ambigendum. Nam neque morulae neque interiecta verba eiusmodi fuere quae formae sensum adimerent, neque tanta fuit materiae et formae distantia ut iam in unum coire non possent. Verum, cum ut anxietatibus occludatur via, tum ut ritualium librorum iussa serventur (quae flocci facere nefas est) caveat Zancles ne eiusmodi interpolationes deinceps contingant, neque actio ad exitum ante deducatur quam sacramentalia verba saltem inchoata fuerint. Quod si de Sacramentorum vi prudens subeat dubium, sive quia verbum inter et verbum, syllabam et syllabam diutius pausavit (eo magis si inepta interseruit verba), sive quia materia formam vel forma materiam continenter non excepit, curet ut sub conditione iteretur Sacramentum.

(1) Ita contra Caietanum et Navarrum (*Enchir.* c. XXII, 7, 12, 17) theologi communissime; Suarez, disp. II, sect. II; Lugo, *Resp. moral.* l. I, dub. 33; La Croix, 6; Laymann, l. V, tr. II, c. VII, 8; Collet, *De Sacram.* c. III, a. I; Alasia, *De Sacram.* c. IV, a. I; S. Alphonsus, 9 (cui sententia haec *moraliter certa* videtur, quamvis oppositam ceu *in praxi tutiorem* consulat); Lehmkuhl, II, 22 (qui eam pro *satis certa* habet, firmatque decreto S. Officii diei 30 novembris an. 1898 quod refert n. 740 in nota). Morula unius *Pater* vel *Ave* spatium non excedens brevis vulgo censetur (ita D'Annibale, III, 238, nota 19) et Sebastiani, *Summarium,* 413; at S. Alphonsus (l. c.) per unius *Pater* moram infici Sacramentum putat.

(2) Haec distantia (ita S. Alphonsus, l. c.) tanta esse non debet quanta in forensi iudicio inter accusationem et sententiam esse potest (La Croix cum Tamburinio eam producit ad horam). Contradicit Génicot (I, 109), asserens S. Doctoris opinionem nullo rationis vel auctoritatis fundamento niti; ipse autem ex rerum adiunctis iudicandum censet quamdiu inter confessionem et absolutionem nexus perdurat.

(3) Reiffenstuel, tr. XIV, dist. I, 26, 29; Sporer, 81, 82; Antoine, *De Sacram.* c. I, q. III; *Compend. Salmant.* tr. XXII, 22; S. Alphonsus, 9, 10, ceterique citati.

CXVI.

Claudius et Flavia pridie nuptiarum Marcum sacerdotem adeunt peccata sua Poenitentiae Sacramento expiaturi. Claudio audito, timet Marcus ne debito careat animi dolore firmoque proposito; quamobrem absolvit eum, tacite adiecta hac conditione, *Si Sacramento recipiendo es paratus*. Dein, audita Flavia, gravioribus anxiatur timoribus: namque parum constat an ea rite fuerit Baptismate tincta; praeterea imminentibus nuptiis adhuc parentum longe commorantium consensus desideratur. Quid faciet Marcus? Absolvit eam cum conditione, *Si es christiana:* subinde in sacrarium receptam novo Baptismate abluit cum conditione, *Si nondum es christiana:* demum suadet ei nuptias ineat adiecta conditione, *Si parentes consenserint.*

Quaeritur I°. An et quando fas sit materiam et formam dubiam in Sacramentis conficiendis usurpare?

Q. II°. An et quando liceat usus formae conditionalis?

Q. III°. Quid de Marii agendi ratione iudicandum?

Quaestionum solutio.

461. — Resp. ad I Q. Quum certa materia in promptu est, dubiam adhibere nullatenus licet, sive ob periculum inanem ritum sub Sacramenti specie usurpandi (quod est Sacramentum profanare), sive ob periculum inferendi damnum petenti Sacramentum (quod caritati obest, immo saepe et iustitiae). Haec apertissima sunt et firmantur hac ab Innocentio XI damnata thesi: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi.* Quae de materia etiam de forma dubia obtinere planum est, utraque enim adaeque requiritur ut Sacramentum constet. At quia in hominum bonum Sacramenta Christus instituit (ex quo vulgatum illud: *Sacramenta propter homines*), idcirco nonnumquam fas est, gravi urgente necessitate subveniendi cuipiam Sacramenti indigo, illud praestare adhibita materia dubia et forma conditionali. Sane cum finis potior sit mediis quae ad finem ducunt, si homini Sacramenti indigo illud cum dubia materia praestare nefas esset, iam viderentur media fini praeferri, nam ad periculum vitandum frustrandi media finis frustraretur. Ex alio capite adiecta conditio Sacramenti reverentiae cavet, si forte ad irritum cedat (1).

462. — Resp. ad II Q. Iuverit in primis animadvertere: 1° ad Sacramenti vim, praeter materiam et formam, *intentionem* seu volun-

(1) Sporer, *Theologia Sacram.* p. I, c. II, 90; La Croix, l. VI, p. I, 107, 110, 122; Alasia, *De Sacram.* c. IV, a. II, 14; S. Alphonsus, VI, 29, 103 ceterique communiter.

tatem Sacramenti conficiendi in ministro requiri, quae tria simul consistant necesse est ut fiat Sacramentum; 2° conditionem formae adiectam esse posse de futuro eventu, vel de praesenti, vel de praeterito; ad Sacramenti autem vim nihil refert, seu verbis sit expressa, seu mente tantum concepta. Quibus animadversis, dicimus numquam fas esse sub forma conditionali Sacramentum conferre, si conditio eiusmodi sit quae Sacramentum inficiat; secus ob iustam causam licere posse. Hinc conditio de futuro eventu in conficiendis Sacramentis (uno excepto Matrimonio) numquam licita est, nam quum forma conditionalis profertur deest in ministro voluntas Sacramentum conficiendi, quippe quae in suspenso manet donec impleatur conditio; quum autem impletur conditio, materia et forma iam desiere: paucis, materia et forma nunquam cum ministri intentione consistunt ad Sacramentum perficiendum, quapropter Sacramentum non fit. Matrimonium excepimus, in quo materia et forma (consensus nempe contrahentium semel praestitus nec revocatus) usque ad eventum durare potest (1). Dices fortasse: si conditio ponatur de eventu futuro, quatenus illum Deus cognoscit, v. c. *Te absolvo, si Deus scit te esse restituturum,* haec conditio in eventum praesentem recidit, Deo enim futura omnia praesentia sunt; potest ergo sub hac conditione Sacramentum perfici. Quamquam nonnullis hoc probabile videtur, probabilius est Sacramentum non confici, cum verisimile non sit Christum potestatem hominibus credidisse Sacramenta conficiendi sub conditione quae humanum captum excedit (2). Quidquid sit, numquam licite eiusmodi conditio usurpatur, quippe quae incertum efficit Sacramentum. Conditio de eventu praeterito vel praesenti vix prolata resolvitur, ministri voluntas fit absoluta statimque cum forma et materia concurrit; propterea si eventus extitit vel existit, protinus Sacramentum conficitur; sin minus, Sacramenti reverentiae conditio cavet, ideoque iustam ob causam licite usurpari potest (3).

463. — At quaenam iusta causa? Iustam causam accipimus gravem necessitatem prospiciendi tum illi qui Sacramento eget, tum ipsius Sacramenti reverentiae. Hinc si dubites an valuere Sacramenta characteristica (Baptisma scilicet, Confirmatio et Ordo, quae semel tantum suscipere fas est) ob vitium formae, materiae, suscipientis, conferentis, licet ea sub conditione iterare, immo plerumque ea iterare necesse est. Item de Matrimonio dicendum, si de vi consensus dubites; et de Extrema Unctione, sive dubites an aegrotus rite fuerit unctus, sive du-

(1) Suarez, *De Sacram.* disp. XIII, sect. III; Lugo, disp. XIII, sect. V; Reginaldus, *Praxis*, l. VIII, 6-8; Sporer, 130; La Croix, 80; Laymann, l. V, tr. I, c. V, 13; S. Alphonsus, 26; Lehmkuhl, II, 37.

(2) Sporer, 131; S. Alphonsus, l. c.

(3) Sporer, 129; La Croix, 110; Voit, II, 67; S. Alphonsus, 27-29, 432 et ceteri.

bites an vivat adhuc; et de Poenitentia, ut alibi dicetur. Attamen vix unquam licet cum dubia materia sub conditione Eucharistiam conficere aut sacros Ordines conferre, illinc ob materialis idololatriae periculum, hinc ob gravissima quae irritam ordinationem sequerentur rei christianae detrimenta (1). Non est autem necesse ad vim Sacramenti ut conditio ore promatur, sed sufficit mente concepta: tunc tantum est ore promenda quum cuiuspiam offensa timetur, vel rituales libri hoc praecipiunt, ut in Baptismatis et Unctionis Sacramentis iterandis (2).

464. — Resp. ad III Q. In primis adniti debuisset Marcus ut ad poenitudinem de admissis Claudium adduceret atque ex imparato paratum faceret, eo etiam monito de statu gratiae nubentibus necessario; gravi autem post haec dubio manente, potuit eum absolvere sub conditione, *Si es rite dispositus*, qua Poenitentiae Sacramento reverentia servatur et fortasse ab ineundo Matrimonio sacrilegium removetur (3). Si prudens dubium nec despiciendum aderat de vi Baptismi a Flavia recepti, bene Marcus se gessit sive eam absolvens sub conditione, *Si es christiana*, sive eam Baptismate abluens sub conditione, *Si non es christiana:* namque hac ratione triplicis Sacramenti reverentiae prospexit, nimirum Poenitentiae, Baptismi et Matrimonii, quamvis ex decreto S. Officii Poenitentiae Baptismus praeferendus fuisset (4). At nemo mortalium sapit omnibus horis: neque oppido sapuit Marcus quum Flaviae suasit nuptias iniret adiecta conditione, *Si parentes consenserint:* esto enim conditionem de futuro eventu, manente consensu, Matrimonium non inficere sed in suspenso tenere donec conditio resolvatur, periculo tamen incontinentiae aliisque incommodis nubentes obiicit, eo magis si Claudium latuit conditio a Flavia adiecta. Consultius fuisset nuptias differre, vel (nisi gravia ex nuptiis mala timebantur) absolute eas inire, sive parentes consensuri sive iniuste dissensuri praesumi potuissent. Praeterquam quod, etiam parentibus invitis nuptias inire nonnunquam fas est, seu ad damnum sarciendum, seu ad infamiam et scandala vitanda, ut alias vidimus (n. 223).

(1) D'Annibale, III, 251; Lehmkuhl, 163.

(2) S. Alphonsus, 29; D'Annibale, l. c.; Lehmkuhl, 37.

(3) Gury, II, 439.

(4) Decretum 17 decembris 1868. Vide Gury, II, 419, 420 et Ballerini-Palmieri, tr. *De praeceptis fidei*, 152. Sunt qui rentur, decretum hoc *neoconversos in Anglia* dumtaxat respicere ob peculiaria rerum adiuncta, non ceteros omnes D'Annibale, III, 301, nota 3); alii tamen decretum hoc *formaliter* particulare, sed *aequivalenter* universale esse contendunt, quia in alio decreto nititur diei 17 iunii an. 1715 quod Germaniam respicit (Mannaioli, *Supplementum theologiae D'Annibale*, XIV). De hac controversia si plura cupis, adi Bucceronium, *De poenitentia*, 672. Ceterum (ut animadvertit Wermeersch, *Summa*, 288, nota), cum *Iuris pontificii Codex* de hoc sileat, coniicere licet noluisse legislatorem decretum illud in legem ubique et universim servandam transferre.

CXVII.

Festus et Eusebius, sacerdotii et amicitiae vinculis consociati, cuncta fere divina et humana agere una consuevere. Quadam die deambulatum euntes infantem recens natum humi proiectum animamque agentem cum offendissent, rati Baptismo statim esse tingendum, sancto operi simul admovent manum. Festoque aquam fundente, Eusebius ritualia profert verba. Alias ad morientem infantulum vocati, uterque simul illum abluit aqua et sacramentalia verba pronunciat. Praeterea, quum uterque ad infirmos extremo Sacramento muniendos accersitur, collegam suavissimum adhibere comitem solet, atque interea dum alter aegrotum inungit, legit alter rituales preces. Verum quos tantae necessitudinis vinculum continebat dira mors repente seiunxit: nam cum Festus, Eusebio adiuvante, extrema Unctione aegrotum de more liniret, ictu sanguinis tactus corruit exanimis; stupet primum Eusebius, tum resumpto animo, quas amicus morte interceptus unctiones vix inchoaverat, cum lacrimis absolvit.

Quaeritur I°. An duo vel plures simul esse queant eiusdem Sacramenti ministri?

Q. II°. Quid de Sacramentis a Festo et Eusebio collatis?

Quaestionum solutio.

465. — Resp. ad I Q. Singula Sacramenta, ut iterum iterumque monuimus, singularem a Christo auctore suo naturam receperunt: propterea quid quodlibet Sacramentum efflagitet, quid vero respuat, non tam ratiocinando colligimus quam sollerter inspiciendo quae SS. Literae, traditio perpetuusque Ecclesiae usus de cuiusvis Sacramenti natura nos edocent. Quae quum ita sint, pro diversa uniuscuiusque Sacramenti natura diversaque ratione qua ministri ad Sacramenta conficienda concurrunt, diversa erit propositae quaestioni responsio.

Et I° quidem planum est, nisi duorum ministrorum opera (maris nempe et feminae) materiam et formam sibi invicem suggerentium Matrimonium confici non posse: quod ratio contractus postulat, qui nisi inter duos consistere nequit (1).

II°. In Sacramentis quorum materia et forma a ministro praestari debent, si materiam alter, alter formam exhibeat (eoque magis si, forma divisa, pars ab uno efferatur, pars ab alio), nihil fit, quia adimitur formae vis significandi: false enim quis diceret se abluere,

(1) Sententia quae nubentes Matrimonii ministros esse contendit tam multis validisque argumentis fulcitur, ut eam S. Alphonsus *moraliter certam* appellaverit (VI, 897), et Perrone *unice veram immo et Ecclesiae catholicae doctrinam* affirmare non sit veritus (*De Matrim.* l. I, c. I). Vide dicenda n. 732.

signare, ungere, consecrare, altero haec peragente (1). Attamen, quia quorundam Sacramentorum (Ordinis videlicet, Eucharistiae, Unctionis) plures sunt et distinctae materiae et formae, quarum singulis completa inest significatio, idcirco Sacramenta haec a singulis ministris perfici possunt, quorum quisque singularem quidem sed in se completam Sacramenti partem praestet: veluti si post collatam ab Episcopo potestatem diacono Christi corpus consecrandi, vel post consecratam panis speciem a sacerdote litante, vel post linitos infirmorum oleo aegrotantis oculos, subita mors ministrum praeriperet, fas esset alteri hisce in eventibus Sacramentum inchoatum perficere. Verum, dempto necessitas articulo, hoc non licet, quippe a moribus institutoque Ecclesiae alienum est ac periculis plenum (2).

III°. Si duo vel plures ministri super eandem materiam verba proferant formae, volentes quisque separatim Sacramentum facere, cum neque rebus neque verbis sua desit significatio, Sacramentum perficitur, ab eoque perficitur qui prior signum absolvit; et si uterque absolvit simul, uterque perficit, neuter enim alterius factum irritat (3). Verum, quia hoc abhorret a moribus statutisque Ecclesiae et periculum infert ne Sacramentum ab eo irritum fiat qui signum serius absolvit, nunquam licet nisi quum novensilis sacerdos una cum Episcopo consecrante primitus sacris operatur. In quo eventu, cum rituales libri iubeant eos cum Episcopo sacra Hostia litare, curandum est ut omnes, nemine praeveniente, uno ore verba proferant, quae non historice tantum (ut nonnullis placuit) proferuntur, sed vere consecrantium verba sunt (4).

IV°. Demum si duo vel plures super eandem materiam verba formae pronuncient, neuter tamen integrum signum sed eius partem dumtaxat facere velit, quasi dividens cum socio ministerium, Sacra-

(1) S. Thomas, III^{a}, q. LXVI, a. V, ad 4^{um}; Suarez, p. I, disp. XXIII, sect. III; La Croix, l. VI, p. I, 33; Laymann, l. V, tr. II, c. VII, 7 contra Caietanum in III p., q. LXVII, VI; D'Annibale, III, 255; Lehmkuhl, 21. Sunt qui Caietani sententiam, quamvis tenuissime probabilem, sectari posse putant ad subveniendum homini in extrema necessitate posito: puta si infantulo baptizando non adsint nisi mutus et vinctus, quorum hic formae verba proferat, ille aquam fundat, uterque enim Christi nomine agit, unamque eius personam gerit qui Sacramentorum princeps minister existit. Certe huius Baptismi vis dubia est, propterea sub conditione deinceps iterandum esset Sacramentum.

(2) S. Thomas, in IV, dist. XXIII, q. I, a. 1, q. II, ad 2^{um}; Suarez, p. II, disp. XLII, sect. II; La Croix, 35; S. Alphonsus, 724; Sebastiani, *Summarium*, 416.

(3) S. Thomas, III^{a}, q. LXVII, a. VI; Suarez, p. I, l. c.; Laymann, 5; Lugo, *De poenitentia*, disp. XIII, sect. VII; S. Alphonsus, 120; D'Annibale et Sebastiani, ll. cc.

(4) Lugo, *De Eucharistia*, disp. XI, sect. VIII contra Caietanum in q. LXXXII, a. II.

mentum infectum erit: quandoquidem neque unus Christus princeps Sacramenti minister iam repraesentatur, neque formae sua stat significatio (1).

466. — Resp. ad II Q. Post dicta nihil est negotii de Festo et Eusebio aequum iudicium ferre. Baptismi Sacramentum puerulo collatum a nostris in prima facti specie pro infecto habendum est. In altera specie valuit, siquidem uterque vel alteruter separatim agere voluit; licuit etiam premente necessitate: secus si collegae boni ministerium inter se dividere et Sacramentum quisque ex parte tantum facere voluere. Extremae Unctionis Sacramentum item irritum cessit; fortasse etiam quum Eusebius unctiones a socio inchoatas *de more* (ideoque inaniter peractas) non resumpsit sed continenter absolvit (2). Quae cum ita se habeant, ne diram appellemus mortem, quae si quidem ab amico amicum divisit, Sacramentorum religioni hominumque saluti optime prospexit.

CXVIII.

Heraclius, pius sacerdos sed sat crassae minervae, quum Christi sanguinem consecrat per verba *Hic est calix*, etc., illud *hic* non quasi pronomen sed quasi adverbium pronunciat, perinde ac si diceret: *Hic loci est calix*; quum vero poenitentes absolvit, illud *Deinde*, formae verba praecedens, profert quasi necessarium ut absolutio prosit. Semel puerum Baptismate abluit ratus esse puellam, quia Bonaventurae nomine parentibus placuit vocaretur. Alias virum poenitentem absolvit quem ob vocis exilitatem feminam esse putaverat.

Quaeritur I°. An error ministri Sacramentum irritum faciat?

Q. II°. Quid de Sacramentis ab Heraclio confectis?

Quaestionum solutio.

467. — Resp. ad I Q. Ministri error cadere potest in *personam* cui Sacramentum confert, v. c. si Paulum baptizet putans se baptizare Petrum; vel in ipsum *Sacramentum*, ad cuius essentiam falso existimet quidquam esse necessarium vel minus, veluti si baptizans pluvialem aquam adhibeat, putans fontis aquam requiri; vel formam rite proferat, credens tamen Trinitatis invocationem non esse necessariam. Duplex proinde nobis quaestio proponitur, cui solvendae illud meminisse iuvat quod innuimus alias, nempe ad Sacramenti vim, praeter materiam et formam, ministri intentionem requiri, voluntatem scilicet Sacramentum conficiendi, vel saltem illud faciendi quod intendit Ecclesia.

(1) S. Thomas, l. c.; Suarez, disp. XXII, sect. III, cor. III; Laymann, 7.
(2) S. Alphonsus, 724.

468. — His positis, I° error ministri circa personam per se loquendo Sacramento non obest, si Matrimonium excipias: nam minister Sacramentum censetur conferre velle praesenti, quivis ille sit. *Per se loquendo*, inquimus, quia si minister intentionem suam ita contrahat, ut nisi illi personae Sacramentum non conferat quam sibi adstare per errorem existimat, hoc ipso personam praesentem excludit. Excepimus Matrimonium, in quo contrahentium consensus in certam individuamque personam fertur, ceteris omnibus exclusis; consensu autem deficiente, materia et forma contractus deficiunt irritumque fit Sacramentum (1).

469. — II° Altera quaestio, de errore scilicet qui in ipsum Sacramentum cadit, expeditu est difficilior. Ex eo potissimum difficultas oritur, quod R. Pontifex Zacharias de Baptismo loquens a bavaro presbytero hisce verbis collato: *Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritua Santa*, ait: *Si ille qui ita baptizavit, non errorem inducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis, infringendo linguam baptizans sic dixerit, non possumus consentire ut denuo baptizetur* (2). Quae verba videntur innuere, ex errore aut haeresi ministri infici posse Sacramentum. Hoc ipsum innuere videtur Angelicus Doctor: *Si intendat alium ritum inducere qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum, quia non videtur quod intendat facere id quod facit Ecclesia* (3). At contra dici potest, sacramentalem ritum vim significandi ex Christi institutione non ex ministri mente recipere, propterea ministrantis errorem a sacramentali ritu significandi vim auferre non posse. Quae rationum momenta inter se pugnantia conciliari arbitramur, atque ita omnem evanescere difficultatem, si dicamus tunc tantum ministri errorem Sacramentum inficere, quum materia vel forma per errorem sustantialiter mutatur aut desinit in ministro intentio Sacramentum conficiendi. Sane ex materia, forma et ministro Sacramentum conficere volente quodvis Sacramentum constat: quae tria ubi simul existant, iam Christus minister princeps virtute sua praesto adest efficaciam sacramentali ritui tribuens; opinio autem seu error privatus hominis, quum tria Sacramenti elementa non auferat, Sacramentum inficere non valet. Contingere tamen potest ut minister ita errori suo intentionem obstrictam velit, ut nisi eo errore posito nolit Sacramentum conficere: in quo eventu, non ex materiae vel formae mutatione (quam accidentalem fingimus), neque ex erronea ministri opinione, sed ex sublata intentione Sacramentum ad irritum cadit. Contingere etiam po-

(1) Sanchez, *De Matrim.* l. VII, disp. XVIII, 11, 12; Sporer, p. I, c. II, 134, 135; Laymann, l. V, tr. II, c. IV, 6; La Croix, l. V, p. I, 68; S. Alphonsus, VI, 19; D'Annibale, III, 241.

(2) Can. *Retulerunt, De consecr.* dist. 4.

(3) III[a], q. LX, a. VIII.

test ut formae verba ambigua sint, adeo ut a proferente ad verum sensum vel ad falsum flecti queant, et siquidem ad sensum torqueantur qui sit contra Sacramenti veritatem, Sacramentum inficiant: ut puta, si presbyter bavarus *in nomine Filia* baptizans femineam personam in Trinitatem inducere voluisset. Demum id potest contingere ut incertum sit an intentio faciendi Sacramentum a Christo institutum destruatur per falsam aestimationem Sacramenti veritati repugnantem: in quo eventu Sacramenti vis esset incerta (1). Hac ratione Zachariae et Aquinatis verba videntur intelligenda.

470. — Resp. ad II Q. De calicis consecratione ab Heraclio peracta, an valida fuerit vel minus, parum constat. Alii cum Voit validam esse rentur, quia cum verba formae verum exhibeant sensum, privatus ministri error illum vitiare nequit, dumne desit intentio Sacramentum conficiendi, quae intentio in Heraclio sacerdote pio profecto non deest (2). Alii cum S. Alphonso et Benedicto XIV irritam consecrationem pronunciant: nam illud *hic,* instar adverbii usurpatum, formae sensum substantialiter mutat; cumque formae verba id efficiant quod significant, conversionem vini in Christi sanguinem iam significare et efficere nequeunt, sed quasi iam peractam demonstrant (3). Alii demum cum Lehmkuhl consecrationem dubiam esse opinantur, quia dubium est an intentio maneat Sacramentum a Christo institutum conficiendi seu illud faciendi quod facit Ecclesia (4). Quocirca consecrantis animus explorandus nobit videtur, ex quo fortasse perpici aut coniici poterit quid de vi Sacramenti sentiendum. Heraclii error circa particulam *Deinde,* cum nullam in formam mutationem inducat, integrum Sacramentum relinquit. Id ipsum dicendum de errore circa personas quas Baptismo et absolutione donavit, nisi opinatis personis (praesentibus exclusis) voluerit Sacramentum dare.

CXIX.

Inter sacerdotes quosdam acerrima fuit disputatio de iis quos tanquam indignos a Sacramentis recipiendis prohibere necesse est. Theodorus, ratus sancta sancte esse tractanda, contendit Sacramenta nemini esse tradenda nisi ei quem certo scimus dignum esse qui recipiat. Obloquitur Marcellus, sat esse putans si indignum nesciamus: nam etsi forte peccavit, resipuisse censetur, quippe a christiana ca-

(1) Suarez, disp. II, sect. V; Lugo, disp. VIII, 118 et seq.; Sporer, 127; Laymann, 5; La Croix, 67, 69; Natalis Alexander, *De Sacramentis in genere,* c. III, Regula VI; Voit, II, 41; S. Alphonsus, 24; D'Annibale, 241.

(2) Voit, 40.

(3) S. Alphonsus, 221; Benedetto XIV, *Del S. Sacrificio della Messa,* sez. II, n. CXXXIII.

(4) Lehmkuhl, *Casus,* II, 132.

ritate alienum est de quopiam male sentire. Marcelli sententiae utroque pollice subscribit Lucillus, qui praeterea subdit et indigno Sacramentum dari posse, quum ministro renuenti grave impendet incommodum; namque una suscipientis pravitas bonum opus a ministro praestitum convertit ad malum. Cum plurima ultro citroque verba habita fuissent nec profligata quaestio, disceptantibus placuit totius negotii summam Anacleto deferre, quem in morum doctrina maxime versatum arbitrabantur.

Quaeritur, quanam ratione debuisset Anacletus quaestionem expedire?

Quaestionis solutio.

471. — Resp. ad Q. Indignos appellamus tam illos qui Sacramento suscipiendo sunt prorsus inhabiles (veluti si femina Ordinem, sanus Unctionem, impos vel nuptus Matrimonium petat), quam illos qui gravi culpa aut censura tenentur, ob quam valide quidem sed illicite Sacramentum reciperent. Illos semper a Sacramento arcendos esse perspicuum est: cum enim Sacramenta ineptis collata ad irritum cedant, sine magna Sacramenti irreverentia seu sacrilegio iis conferri nequeunt (1). Hos quoque generatim a Sacramentis esse prohibendos colligimus tum ex divino praecepto, quod cavet reverentiae Sacramentis debitae vetans *sanctum dare canibus* (2), tum ex naturali caritatis praecepto, quo vetamur alterius malefacto sociam praebere manum (3). *Generatim*, inquimus, nam utriusque praecepti obligatio laxari interdum potest, siquidem cum superioris ordinis praecepto in conflictationem veniat: quod ratum fixumque maneat, caput enim est ad ea intelligenda quae sumus dicturi. De indignis priori sensu acceptis vix ulla moveri potest quaestio, de ceteris proinde nobis praecipue agendum. Et quia hi *publici* esse possunt (idest noti *notorietate iuris* ut aiunt, vel *facti*, vel *famae*), aut *occulti*; praeterea Sacramentum petere possunt *clam* vel *palam*, idcirco diversae nobis fingendae sunt hypotheses perque eas discurrendum, ut propositae quaestioni satis faciamus (4).

472. — I^{a} hypothesis. Publice indigno, seu clam seu palam Sacramenta petenti, dare non licet: etenim hac in hypotesi nihil occurrit quod duplicis memorati praecepti vim extenuare valeat. Excipe, ex inferius dicendis, Matrimonium in quo plura sunt singularia (5).

(1) Lugo, *De Sacram.* disp. VIII, 162; Sporer, *Theologia sacram.* p. I, 187.
(2) Matth, VII, 6.
(3) Suarez, *De Sacram.* p. I, disp. XVIII, sect. II.
(4) *Rituale R., De SS. Eucharistiae Sacramento.*
(5) S. Thomas, III^{a}, q. LXXX, a. VI; S. Bonaventura, in IV, dist. IX, II, q. IV; Suarez, disp. LXVII, sect. II; Lugo, 166; Billuart, diss. VI, a. II; S. Alphonsus, VI, 43, 44. Videsis *Codicem iuris canonici*, can. 855, § 1.

Codex pontificii iuris ministrum hac in re delinquentem puniendum decernit hoc canone: *Minister qui ausus fuerit Sacramenta ministrare illis qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur, suspendatur ab administrandis Sacramentis per tempus prudenti Ordinarii arbitrio definiendum aliisque poenis pro gravitate culpae puniatur, firmis peculiaribus poenis in aliqua huius generis delicta iure statutis* (1).

473. — II[a] hypothesis. Occulte indigno Sacramenta occulte petenti dare non licet, quia (itidem ac in hypotesi praecedenti) duplex praeceptum dare prohibens nullo superioris ordinis praecepto infirmatur (2). Notitia tamen criminis ex sacramentali confessione habita nullo modo sufficit repellendo petenti, obest enim sacramentale secretum quod violari sine grandi piaculo nequit (3). Ceterum petitio adhuc occulta censetur quamvis aliquis adsit cui crimen est notum, quia vel puerulus est qui nondum sapit, aut vir probus et taciturnus (4). Excipe rursus Matrimonium.

474. — III[a] hypothesis. Occulte indigno Sacramenta palam petenti negare non licet: quae doctrina ex *Rituali Romano* certa est et universim recepta, tametsi explicatu difficillima. S. Thomas ideo danda putat Sacramenta ut petentis ius, Vasquez ut fama servetur; S. Bonaventura ut ceterorum scandala vitentur; Suarez et Laymann ut haec incommoda simul sumpta et alia removeantur (5). Quae omnia parum procedere videntur, si praeceptum indignos a Sacramentis prohibendi *naturale* tantum dicas: quod enim iure naturae tanquam in se malum vetitum est, nulla unquam ex causa praestare potes. Melius fortasse rem conficies si dicas praeceptum illud *divinum* positivum esse, nimirum Christi voluntate positum, Christum autem in tali eventu iuri suo cedere ad gravia incommoda praecavenda: quod ludae exemplum confirmat, cui Christus ipse Sacramentum tradidit. Quae difficultatis enodatio in eam ferme recidit quam S. Alphonsus aliique theologi praestantissimi exhibuere (6). Priori autem sublato praecepto, nempe positivo divino, facilius relaxatur alterum: namque ex gravi causa licet rem bonam cuiquam praebere, qui ob suam pravitatem eadem abusurus praevidetur (7). Haec doctrina Ordinis Sacramentum non re-

(1) *Codex iuris canonici*, can. 2364.

(2) *Rituale R.* l. c. et *Codex iuris canonici*, can. cit. § 2; S. Thomas, l. c.; Suarez, l. c., sect. III; Lugo, 189; Billuart, l. c.; S. Alphonsus, 44.

(3) Laymann, 10; Sporer, 186; S. Alphonsus, 50; Benedictus XIV, *De Synodo dioec.* l. VII, c. XI, n. VI ceterique doctores.

(4) S. Alphonsus, 44, 45.

(5) *Rituale R.* et *Codex iuris canonici*, ll. cc.; S. Thomas, et S. Bonaventura, ll. cc.; Vasquez, *De Eucharistia*, disp. 209, c. 3; Suarez, l. c., sect. IV.

(6) Lugo, 177; Billuart, l. c.; Bouvier, *De Sacram.* c. VI, a. III; S. Alphonsus, 49; D'Annibale, III, 264.

(7) Suarez, l. c.; Lugo, 180 et seq.

spicit, ut mox dicemus. Quibus constitutis, quaerendum nobis superest, quibusnam indiciis de petentis dignitate constare ministro debeat.

475. — Quaedam sunt Sacramenta in quibus minister quasi iudicis personam gerit: ad haec conferenda petentis dignitatem certis notis perspectam habeat oportet. Eiusmodi sunt Baptismus, qui suscipientis mutat statum graviaque baptizato imponit onera; Poenitentia, quae forensis iudicii naturam induit; Ordo, quem recipere nemo debet qui divinitus non sit vocatus congruisque dotibus instructus, a quo propterea et cum sua infamia repellendus qui ad ea munia accedere audet quibus ferendis est impar (1), nisi forte eo tantum temporis puncto quo Ordinem est susceptur us indignus ob crimen occultum noscatur (2). Adde, non semper infamiae notam clerico inuri quem Episcopus a sacris ordinibus prohibendum duxerit, namque etiam ob causas non infamantes fas est Episcopo viam ad sacerdotium illis occludere quos minus idoneos iudicaverit qui ad tantam dignitatem eveherentur. Immo plus semel S. Concilii Congregatio declaravit posse Episcopum ab ordinibus indignum repellere quin ad repulsae causam cuique patefaciendam adigi queat. Hanc Episcopi obligationem *Iuris pontificii Codex* hoc canone sanxit: *Episcopus sacros ordines nemini conferat quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis* (3).

476. — Ad cetera Sacramenta tribuenda sufficit de petentis indignitate non constet. Quum utrum quis dignus sit vel minus incertum habeas, si dubites an deliquerit, dignum existimabis, quippe male de quopiam sentire a caritate alienum est; si vero dubites an post peccatum resipuerit, indignum habebis, quia nisi de resipiscentia constet, scandalum non removetur. Immo ad scandalum removendum quandoque non sufficit peccatorem resipuisse crimenque suum Poenitentia expiasse, sed facto aliquo opus est quo vel reparetur iniuria alteri irrogata, vel illud auferatur quod sibi ceterisve offendiculum est: veluti si quis domi scortum foveat, vel publico munere fungatur quo fungi nefas est, vel bona Ecclesiae surrepta retineat (4). Quae omnia ex diversis rerum adiunctis diversimode sunt aestimanda (5). Et si de homine in extremis constituto agatur, Poenitentia et Unctio quandoque poterunt, dubio manente, saltem sub conditione tribui, ne forte is pereat qui servari potest.

(1) S. Thomas, *Supplem.* III^{ae} p., q. XXXVI, a. IV ad 3^{um}; S. Alphonsus, 52; Benedictus XIV, *De Synodo dioec.* l. XII, c. VIII.

(2) Vide Laymann, 10 et La Croix, l. VI, p. I, 146.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 973, § 3.

(4) *Rituale R.* l. c.

(5) Suarez, disp. XVIII, sect. II; Lugo, 192 et seq.; S. Alphonsus, 43, 47, 48, 52.

477. — Ad Matrimonium quod attinet, cuius ministri sunt contrahentes, tales possunt eventus contingere in quibus ob gravia quae praevidentur incommoda liceat alterutri Sacramentum indigno conferre: quod ex mixtis coniugiis, a RR. Pontificibus nonnunquam permissis, fit manifestum. Ratio est quia Matrimonium non est tantummodo Sacramentum ad homines sanctificandos institutum, sed et contractus ad plures etiam profanos usus necessarius, eoque potest indigere contrahens qui ab indigno rogatur. Hinc fit ut et parocho, qui non ministrum et dispensatorem in hoc Sacramento sed testem agit, hisce nuptiis quandoque liceat interesse ad gravia mala praecavenda (1).

478. — Quid si metu mortis minister Sacramentum indigno dare cogatur? Nullo pacto dandum esse docet S. Alphonsus cum Ledesma et aliis, quia id postulat reverentia Sacramento debita, neque constat ob hanc causam Christum de iure suo concessisse (2). Sunt tamen qui in contrariam sententiam loquuntur, quae ipsi S. Doctori probabilis olim apparuerat (3). Nam si ex divino positivo praecepto vetamur Sacramentum indigno tribuere, in tam acri discrimine praeceptum illud iam obligare non censetur; neque caritatis praeceptum, quo operam alterius sacrilegio praestare prohibemur, cum tanto incommodo obligare potest. Anne fama Sacramentum publice petentis (cui dandum est quum indignitas est occulta) pluris facienda quam vita nostra? Haec sententia, valde iis consona quae Suarez et Lugo tradunt, haud despiciendis nititur fundamentis (4). Ceterum de metu mortis dumtaxat hoc accipiendum et modo scandalum absit et Sacramenti contemptus, quae cum sint intrinsece mala, nunquam licent. Neque etiam licebit ob mortis metum Sacramentum simulare, v. c. super poenitentem imparatum absolutionis verba proferre: Sacramenta enim simulare (ut infra videbimus) nunquam licet. Convenit tamen, hoc in eventu fas esse preces aliquas absolutionis loco in poenitentem recitare, vel dicere: *Ego te non absolvo*, submissa voce illud *non* proferendo, ut a poenitente non audiatur, namque id non esset simulare Sacramentum, sed sinere ut poenitens se decipiat, absolutum se putans (5).

Hac ratione, si quid videmus, potuisset Anacletus quaestionem sibi propositam expedire et sententias non satis recte a collegis prolatas ad saniorem doctrinam exigere.

(1) Lugo, *De Sacram.* disp. VIII, sect. XIII et XIV, *De poenit.* disp. XIV, 116; La Croix, 147; Alasia, *De Sacram.* c. VI, a. IV, 9; S. Alphonsus, 54. Quando quibusque servatis conditionibus parocho liceat interesse, nos docet *Iuris pontificii Codex* praesertim can. 1063-1066.

(2) S. Alphonsus, 49; Tanquerey, *De Sacram.* 58; Lehmkuhl, II, 59.

(3) Sporer, 188; La Croix, 137, 138; Alasia, l. c.; D'Annibale, 264; Ballerini-Palmieri, *De Sacram. in genere*, 57; Sebastiani, *Summarium*, 418.

(4) Suarez, disp. LXVII, sect. I; Lugo, disp. VIII, 181.

(5) Viva, *Damnatae theses*, in prop. XXIX ab Innocentio XI damnatam, n. XI; Clericatus, *Erotemata*, c. CXIV, n. 27; S. Alphonsus, VI, 59 aliique)

CXX.

Heliodorus sacerdos, postquam a catholica fide miserrime descivisset, Ecclesiae Sacramenta adhuc conficere non veretur: pueros Baptismate abluit, Sacrum facit, poenitentes a peccatis absolvit, nuptiis benedicit. Verum, quia nulla Sacramentis virtutem divinitus inesse credit, idcirco exteriores ritus ad amussim quidem perficit quin eorum velit effectus.

Eusebius, bonae frugis sacerdos, inter Sacramenta conficienda saepenumero praesens abest: subinde in ancipiti versatur, an vere Sacrum peregerit, an parvas hostias sibi ab aedituo propositas consecraverit, an absolutio valuerit poenitentibus impertita, quos animadvertens atque agnoscens absolvere noluisset.

Quaeritur I°. An ad Sacramenti vim fides in ministro requiratur? an sanctitas? an intentio seu voluntas Sacramentum perficiendi?

Q. II°. Quaenam requiratur intentio ut valeat Sacramentum?

Q. III°. An intentio sufficiat quam exteriorem appellant?

Q. IV°. Quid de Sacramentis ab Heliodoro et Eusebio confectis?

Quaestionum solutio.

479. — Resp. ad I Q. Neque fides ministri neque sanctitas (idest status gratiae) ad validum Sacramentum conficiendum sunt necessariae. Re enim vera in Sacramentorum confectione Christus est qui per humanitatem suam sacramentali signo virtutem indit sanctificandi, homo autem nisi *instrumentaliter* non operatur; cumque instrumentum virtute sua non agat sed eius a quo movetur, propterea sive homo fide et sanctitate sit praeditus sive eis careat, potest adaeque instrumentum existere quo Christus princeps Sacramentorum minister dona sua hominibus tribuit (1). Quam veritatem Gregorius nazianzenus ita per similitudinem eleganter expressit: *Sint duo annuli, alter aureus, ferreus alter, amboque eandem imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo differt? Nihil. Materiam in cera internosce, quamlibet singulari solertia sis; dic utrum e duobus signis, aureo annulo, utrum ferreo expressum sit, quoquo modo unum idemque signum existat. Discrimen enim in materia est, non in signo* (2). In Baptismi ministro fidem non

post ipsum communissime. Censet Pighi (*Censurae sententiae latae*, n. 40), excommunicationem fugere sacerdotem qui cum complice poenitente hac ratione se gerit, quia Sacramentum non *fingeret*, sed *dissimulatione* quadam sineret ut poenitens ipse se deciperet. Quod *in subiecta specie* fortasse subtilius est dictum quam vere. Videsis Cavigioli, *Censurae latae sententiae*, n. 75.

(1) S. Thomas, III^{a}, q. LXIV, a. V et IX; Rosmini, *Antropologia soprannaturale*, l. IV, p. I, c. VII, capit. I, a. IV.

(2) *Oratio* XL *in sanctum Baptisma.*

requiri, catholica doctrina est a Tridentina Synodo conceptis verbis definita (1); in ceterorum autem Sacramentorum ministro item non requiri, doctrina certa est ac fidei proxima, Ecclesiae usu perpetuoque sensu comprobata, quamvis nullo definita canone. Excipiendum Poenitentiae Sacramentum, quod cum ad modum iudicii sit institutum, sine iurisdictionis potestate confici nequit; at Ecclesia haeretico manifesto, citra mortis articulum, iurisdictionem aufert (2). Neque sanctitatem in ministro requiri ut Sacramentum constet, catholica fide docemur, quam adversus Waldenses, Albigenses, Wicletitas et Hussitas Tridentinum Concilium asseruit (3). Ratio autem congruentiae ob quam ministri fidei et sanctitati Sacramentorum suorum vim Christus alligatam noluit, haec est quia ministrorum fides et sanctitas, eorum animo inclusae, saepe saepius ceteros latent, propterea de recepti Sacramenti vi quisque anceps haereret Ecclesiaeque regimen atque intestinus ordo turbaretur quam maxime.

480. — *Intentio*, ait Angelicus Doctor, *nominat actum voluntatis, praesupposita ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem* (4). Intentionem in ministro requiri Sacramentum conficiendi, seu *saltem faciendi quod facit Ecclesia* (ut verbis utamur Tridentini Concilii), dogma fidei est ab eodem Concilio definitum (5). Cuius doctrinae ratio haec est, quia ut Sacramentum constet, materia et forma ad unum ordinentur oportet, nam materia et forma seiunctim spectatae adiaphorum quiddam sunt, hoc est ad plura significanda se habent; quapropter ut ad unum ordinentur, interveniat necesse est intentio ministri coniungentis atque ordinantis eas ad Sacramentum conficiendum (6). Ceterum, tametsi minister effectum Sacramenti ignoret aut expresse non velit, modo sacramentalem ritum impleat animo Sacramentum conficiendi, vel saltem illud faciendi quod Ecclesia facit, Sacramentum existit suaque virtute effectum exerit (7).

481. — Resp. ad II Q. Diducitur intentio in actualem, virtualem, habitualem et interpretativam. *Actualis* ea est quam habet minister ipso temporis puncto quo Sacramentum conficit; *virtualis*, quam ante

(1) Sess. VII, *De Baptismo*, can. IV.

(2) Vide Lanzoni, *De Sacramentis*, p. I, c. II, cap. II, a. II, §§ I et II, ubi haec fuse tractantur.

(3) Sess. VII, *De Sacramentis*, can. XII.

(4) I^{a} II^{ae}, q. XII, a. I, ad 3^{um}.

(5) Sess. cit., can. XI. Vide et Sess. XIV, can. IX.

(6) S. Thomas, III^{a}, q. LXIV, a. VIII; S. Bonaventura, in IV *Sent.* dist. VI, p. II, a. I, q. I.

(7) S. Thomas, III^{a}, q. LXIV, a. X, ad 3^{um}. Et firmatur Decreto Congregationis S. Officii, quae ratum habuit Baptismum ab haeretico collatum, qui nullum effectum in anima parere putabat, quia error eiusmodi intentionem non aufert faciendi quod facit Ecclesia. Vide Tanquerey, *De Sacram.* 45 in nota.

habuit quam sacramentalem actionem poneret, cuius tamen vi seu virtute in praesentiarum agit, etsi animum non advertat ad id quod agit: *habitualis*, quam habuit quidem nec revocavit, sed in actionem sacramentalem nullatenus influit, quemadmodum in dormiente vel ebrio esse potest; *interpretativa*, quae in ministro neque adest neque adfuit, sed per quamdam coniecturam adesse fingitur, quia si animadverteret, censetur eam habiturus. His positis, 1° actualis intentio optima est et quoad eius fieri potest curanda, attamen necessaria non est, quandoquidem ob humanae naturae imbecillitatem id saepissime contingit, ut dum mentis aciem in aliquid intendimus, mens ipsa nos fugiat alioque se conferat. 2° Virtualis bona est ac sufficiens, quippe quae, etsi prius habita, virtute perseverat et est causa actionis qua perficitur Sacramentum. Audi Angelicum Doctorem: *Dicendum, quod licet ille qui aliud cogitat non habet actualem intentionem, habet tamen intentionem habitualem* (1), *quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, puta cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacramentum. Quamvis studiose curare debeat Sacramenti minister ut etiam actualem intentionem adhibeat. Sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, secundum illud Psalmi:* **Cor meum dereliquit me** (2). 3° Habitualis intentio, cum in actionem sacramentalem nullimode influat, inepta est. Quidam non improbabiliter excipiunt Matrimonium per procuratorem initum, in quo consensum ab altero contrahente elicitum durare putant donec alterius consensui coniungatur. Ita Holzmann, La Croix et Sporer apud S. Alphonsum (l. VI, 82). 4° Interpretativa intentio, cum in Sacramentum nulla prorsus ratione influat, quippe quae neque adest neque adfuit sed coniectura fingitur, est omnium ineptissima (3).

482. — Resp. ad III Q. Externam appellant intentionem qua minister exteriorem ritum serio perficere vult, quin tamen velit Sacramentum facere, immo etiam facere nolens. Intentionem hanc Sacramento perficiendo sufficere Aureolus et Prierias omnium primi opinati sunt, quorum opinionem amplexus est pugnaciterque defendit Ambrosius Catharinus theologus dominicianus, cui adhaeserunt Salmeron, Natalis Alexander, Contenson, Iouenin, Scribonius, Serry, Drouin. At

(1) *Habitualem* S. Thomas eam intentionem vocat quam nos *virtualem*, ut ex contextu luculenter apparet: fortasse in codices manuscriptos error irrepsit, nam in aliquibus exemplaribus *virtualem* legimus.

(2) III^{a}, q. LXIV, a. VIII, ad 3^{um}.

(3) Suarez, *De Sacram.* disp. XIII, sect. III; Lugo, disp. VIII, sect. V; Sporer, *Theol sacram.* p. I, c. II, 100-121; Laymann, l. V, tr. I, c. V, 11, 12; S. Alphonsus, VI, 15-18 ceterique communiter.

praestantiores theologi non modo opinionem hanc reiecerunt, sed gravissimas notas illi inurere non sunt veriti: nam Bellarminus a novatorum haeresi eam ne latum unguem differre arbitratur; Suarez tuto ac sine errore defendi non posse retur; Pallavicinius, Lugo, Viva ut falsam suggillant; Vasquez contrariam doctrinam catholicam vocat suoque iudicio in conciliis definitam (1). Sane Sacramentorum minister Christi personam gerit, eius nomine et vi mandati ab eo accepti Sacramenta perficit, Paulo dicente: *Pro Christo legatione fungimur* (2); *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (3). At vero minister ex Christi mente agat oportet. a quo mandatum seu ministerium accepit: mens autem Christi haec est ut minister non inanem ritum usurpet, sed vere baptizet, absolvat, consecret, Sacramentum faciat. Adde, vix concipi posse quomodo verus subsit sensus verbis illis: *Ego te baptizo, Ego te absolvo, Hoc est corpus meum*, si intentio desit baptizandi, absolvendi, consecrandi. Dices: Tridentinum Concilium intentionem requirit dumtaxat faciendi *quod facit Ecclesia*, non *quod facere vult*. — Vanum effugium: quid enim facit Ecclesia, nisi quod voluit Christus eam facere? quid autem voluit Christus nisi Sacramentum? Qui autem nisi exteriorem ritum non vult agere, is iam non vult illud facere quod Ecclesia facit, non quod Christus voluit: dicito verbo, non vult Sacramentum. Addimus, ab Alexandro VIII hanc sub numero XXVIII propositionem fuisse proscriptam: *Valet Baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia.* Quod pontificium decretum, ut animadvertit Benedictus XIV, Catharini sententiae grave vulnus inflixit (4). Hinc hodie vix ullum invenire est qui illi suffragetur; et si forte constaret cum intentione tantum externa Sacramentum fuisse collatum, sub conditione iterandum esset, vel S. Sedis oraculum sciscitandum (5).

483. — Resp. ad IV Q. Cum fides in Sacramentorum ministro non sit necessaria, etsi Heliodorus eam prodegit, valide baptizat et consecrat, modo intentionem animo gerat, id saltem faciendi quod facit Ecclesia; neque est necesse ut Sacramenti velit effectus, dumne illos excludat expresse. Si autem excludat, cum duae in eo voluntates inter se pugnantes existant, altera Sacramentum perficiendi, altera effectum excludendi, dispicere oportet utra alteri praestet: si prior, Sacramen-

(1) Bellarminus, *De Sacram.* l. I, c. XVII; Suarez, sect. II, Pallavicinius, *Historia Concilii Tridentini*, l. IX; Lugo, sect. II, 15; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XXVIII Alexandri VIII; Vasquez, disp. 138, c. 3.

(2) II *Cor.* V, 20.

(3) I *Cor.* IV, 1.

(4) *De Synodo dioeces.* l. VII, c. IV, 8.

(5) Videsis Lanzoni, l. c., § III.

tum perficitur; si altera, irritum cedit. Quod si externam dumtaxat intentionem gerat, probabilissime (ne dicamus certe) Sacramenta ab eo collata pro infectis sunt habenda. Neque aliter sentiendum de sacramentali absolutione, nisi ob haeresim manifestam Heliodorus iurisdictionem amiserit. Nuptiis valide interest et benedicit, quoad parochi munus obit vel si a parocho delegatam facultatem obtinuit: quippe in nuptiarum Sacramento parochus vel sacerdos ab eo delegatus testem agit non ministrum, in teste autem nulla requiritur intentio Sacramentum conficiendi.

Eusebius, quamvis actuali intentione carens, valide Sacrum facit ob virtualem intentionem ante habitam; item propositas sibi hostias valide consecrat, si modo generalem intentionem habet id omne consecrandi quod in corporali prostat ac licite consecrari potest; valide etiam poenitentes absolvit rite paratos, etsi eos non agnoscit, absolutio enim in praesentem, quivis ille sit, ferri solet, nisi forte Eusebius quempiam constituisset non absolvere.

CXXI.

Macrobius parochus in grave crimen prolapsus, quin prius doleat, templum adit, decem poenitentium sacram exomologesim excipit eosque absolutos Eucharistico reficit pane; tum, habita e suggestu concione, Sacrum facit; postremo nuptiis benedicit. Altera die sacris operaturus accedit altare; at subito tonitruum fragore perterritus, ne sacrilegii reatum incurrat, consilium init de consecratioriis verbis omittendis. Tertia die, ad Poenitentiae tribunal vocatus, eo accedit animo, ut ante sui criminis perfecte doleat quam quempiam absolvat; ac reipsa interea dum poenitens doloris actum eliciebat, Macrobius quoque elicuit suum et confestim absolutionis protulit verba.

Quaeritur I°. An et quatenus minister peccet qui gravi inquinatus crimine Sacramenta conficit?

Q. II°. An quotque Macrobius peccata commiserit Sacramenta dispensans?

Quaestionum solutio.

484. — Resp. ad I Q. Principio distinguamus oportet inter ministrum *consecratum* et *ex officio* agentem (nempe vi muneris sibi a Christo collati) et ministrum *non consecratum* (cuiusmodi sunt matrimonium contrahentes), vel necessitatis (cuiusmodi esse potest sive laicus sive sacerdos aut diaconus in necessitatis articulo Baptismum conferentes) et ministrum *distributionis*, quo nomine eum liceat appellare qui Eucharistiam iam confectam distribuit, sacerdotem scilicet vel diaconum. Hinc proposita quaestio in tres scinditur singillatim expediendas.

485. — Ministrum consecratum, ex officio Sacramenta conficientem cum impura conscientia, grave scelus admittere certissimum est. *Etsi Sacramenta ab impiis coinquinari non possint* (ita *Rituale R.*) *impure tamen et indigne ea ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt* (1) Idque luculentis SS. Literarum oraculis evincitur; nam, auctore Paulo apostolo, *oportet episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem* (2), et diaconi *probentur primum et sic ministrent nullum crimen habentes* (3). Cuius doctrinae rationem S. Thomas suppeditat: *Ministri debent Domino conformari, secundum illud Levitici XIX, 2*: **Sancti eritis quia ego sanctus sum**; *et Eccli. X, 2*: **Secundum iudicem populi, sic et ministri eius.** *Et ideo non est dubium quin mali exhibentes se ministros Dei et Ecclesiae in dispensatione Sacramentorum peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei et contaminationem Sacramentorum, quantum ex parte ipsius peccatoris (licet Sacramenta secundum seipsa incontaminabilia sint), consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale* (4). Hic obiter animadvertimus, ministrum gravis criminis conscium (excepta Eucharistiae confectione ob singulare Tridentini Concilii decretum in SS. Literis et traditione fundatum) obligatione non teneri culpam suam eluendi per Poenitentiae Sacramentum, cum nullibi hoc praecipiatur, sed sat ei esse perfectae contritionis actum elicere quo Dei gratiam ante recuperet quam Sacramentum conficiat. Quod haud obscure *Rituale R.* his verbis innuit: *Sacerdos, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit) ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde poeniteat: sed si habeat copiam confessarii et temporis locique ratio ferat,* CONVENIT *confiteri* (5). Nota illud *convenit*. Haec est communis contra paucissimos theologorum sententia (6).

486. — Ministrum non consecratum, aut consecratum quidem sed ex necessitate et privatim agentem, lethali culpa carere quum impura conscientia Sacramenta conficit, multorum sententia est, quam probabilem S. Alphonsus vocat. Hi contendunt, ideo gratiae statum in ministro consecrato solemniterque agente requiri, quod ad munus divinitus sibi creditum obeundum peculiaribus praesidiis a Deo communitus fuit; praeterea in necessitatis articulo (ut S. Thomae verba usurpemus) minister *subvenit necessitatem patienti, sed non se exhibet*

(1) *Rituale R.* tit. I.
(2) Tit. I, 7.
(3) I *Tim.* III, 10.
(4) III[a], q. LXIV, a. VI.
(5) *Rituale R.* tit. I.
(6) SUAREZ, *De Sacram.* disp. XVI, sect. III; LUGO, disp. VIII, 145; SPORER, *Theol. sacram.* p. I, 170; LAYMANN, l. V, tr. I, c. V, 10; BILLUART, diss. IV, a. V; S. ALPHONSUS, VI, 34.

Ecclesiae ministrum (1). Verum contraria sententia probabilior nobis est atque omnino tenenda. Nam sive *Rituale R.*, sive SS. Literarum oracula, sive SS. Patrum testimonia, nullo discrimine facto, sanctitatem seu conscientiam quovis crimine mundam in ministro requirunt. S. Thomas, quem prioris sententiae sectatores suum in auxilium invocant, de Baptismi ministro tantum loquitur, namque diserte ait: *Secus in aliis Sacramentis, quae non sunt tantae necessitatis sicut Baptismus.* Et quamvis dare velimus, ministrum privatim agentem Ecclesiae nomine non agere, agit tamen nomine Christi cuius personam gerit et quocum proxime ad Sacramentum conficiendum concurrit. Demum gravitas culpae indigne ministrantis ex indigna rei sacrae tractatione praecipue sumenda est: Sacramentum autem, sive privatim sive solemniter conficiatur, parem exposcit reverentiam, quumque peccatum ministri impure illud conficientis semper *ad irreverentiam Dei et contaminationem Sacramentorum pertineat* (ut iterum ab Angelico Doctore verba mutuemur), *consequens est quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.* Ceterum huius sententiae patroni non inficiantur contingere posse ut, necessitate urgente subveniendi homini morienti per Baptismi vel Poenitentiae Sacramentum, a lethali culpa minister excusetur, cui se conferendi non suppetat tempus, vel qui ad indignitatem suam non advertat animum: in tanto enim necessitatis articulo censetur Christus de iure suo concedere ut aeternae hominis saluti consulatur (2).

487. - Restat ut de distributionis ministro, de sacerdote scilicet vel diacono impura conscientia Eucharistiam distribuente, inquiramus an graviter peccet. Is, quia Sacramentum non conficit sed confectum dispensat, seu localiter applicat (quod et laici prioribus Ecclesiae saeculis praestare consueverant), leviter tantum peccare nonnullis visus est (3). Communius tamen et probabilius theologi docent, gravis criminis hunc esse reum. Sane, quamvis actio Eucharistiam distribuentis effectrix Sacramenti non sit, actio tamen est sanctissima a consecrato ministro (sacerdote nempe vel diacono) peragenda; actio est qua minister proxime cum Christo ad animas sanctificandas con-

(1) III^{a}, q. LXIV, a. VI, ad 3^{um}; Suarez, l. c.; Sporer, 171; Laymann, 9 (si minister sit laicus); Bonacina, *De Sacram.* q. II, p. II, 11, 12; Billuart, a. IV; Voit, II, 55; Ballerini-Palmieri, *De Sacram. in genere*, 37-40; Sebastiani, *Summarium*, 417.

(2) Lugo, 150; La Croix, l. VI, p. I, 91; Laymann, 8 (si minister sit consecratus); S. Carolus, *Avvertenze per i confessori*, 14; *Compend. Salmanticense*, tr. *De Sacram.* 39; Benedetto XIV, *Del S. Sacrificio della Messa*, sez. II, n. CLXVI; S. Alphonsus, 32; Alasia, *De Sacram.* c. VI, a. II, § II, 3, 4; Pramaggiore, *De Sacram in genere*, c. III, pag. 60-63; De Varceno, *De Sacramentis*, c. IV, a. II, 82; Ferreres, *Epitome*, 655; Lehmkuhl, 43.

(3) Lugo, 155; Illsung, tr. VI, disp. I, a. IV, § III; La Croix, 94; Ferreres, Sebastiani, ll. cc.

currit, quippe cetera Sacramenta dum conficiuntur sanctificant, Eucharistia vero dum distribuitur; actio est quae circa rem omnium sanctissimam versatur, cuiusmodi est adorandum Christi corpus, quae proinde sine gravi Christi iniuria seu sacrilegii reatu exerceri nequit. Hanc sententiam confirmant tum superius allata SS. Scripturarum et *Ritualis R.* testimonia, quae in ministro Sacramenta dispensante sanctitatem exposcunt, tum *Catechismi R.* auctoritas in quo haec verba leguntur: *Quod si homini peccatis contaminato minus licet de rebus divinis agere, quantum ab eo scelus concipi existimandum erit qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in foedas manus sumere, contrectare, atque aliis porrigere et ministrare vereatur?* (1). Quapropter priorem sententiam parum probabilem practice putamus, nam qui admissi criminis conscius Eucharistiam dispensat, in discrimen se coniicit gravem Christo iniuriam irrogandi: porro *qui aliquid committit de quo dubitat esse peccatum mortale* (auctore S. Thoma), *peccat mortaliter discrimini se committens* (2).

488. — Resp. ad II Q. Macrobius prima die decem poenitentes absolvens ex probabiliore ac communiore sententia decies peccavit: cum enim absolutione perficiatur Sacramentum, quot absolutiones protulit tot Sacramenta confecit (3). Eucharistiam vero pluribus simul distribuens ex probabiliore et communiore sententia unum peccatum admisit, quia Eucharistia ad modum convivii instituta est, quod est unum etsi plures assideant convivae, propterea dispensantis actio una censetur (4). Concionem habens lethaliter non peccavit, ut communissime et vere docent: nam divini verbi praedicatio neque ordinis actus est neque sacramentalis actio, eapropter nullo praecepto status gratiae sacro concionatori iniungitur, quamvis ob aliquam divino verbo irreverentiam venialis culpa non absit (5). Castum faciens procul dubio graviter deliquit: quot vero peccatorum reatus incurrerit, parum constat. Alii quatuor peccata a sacerdote sacrilege celebrante

(1) *Catechismus R.* p. II, c. I, n. XXIV; S. Thomas, III^{a}, q. LXXX, a. IX; Suarez, disp. XVI, sect. IV; Laymann, 8; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. I, 51, 52; Natalis Alexander, *De Sacramentis in genere,* c. VII, Regula IX; Clericatus, *Erotemata,* c. CXVII, n. 81; Bonacina, 13, 14; Alasia, 4; Habert, *De Sacramentis,* c. XV; Billuart, l. c.; Voit, 82; S. Alphonsus, 35; *Compend. Salmanticense,* 40; Pramaggiore, l. c.; Gastaldi, III, pag. 20, 21; Tanquerey, *De Sacram.* 42.

(2) *Supplem.* q. VI, a. IV, ad 3^{um}.

(3) La Croix, l. V, 171; Voit, 84; S. Alphonsus, V, 50, VI, 36; Lehmkuhl, 47. Sebastiani et Ferreres, ll. cc. et Génicot, II, 115, unum peccatum admitti contendunt.

(4) Bonacina, 15; Reiffenstuel, 51; Sporer, 175; Voit, 83; S. Alphonsus, 35; Ferreres, Sebastiani et Génicot, ll. cc.

(5) Suarez et Billuart, ll. cc.; Lugo, 152; Laymann, 10; S. Alphonsus, 40.

committi putant, quia Sacramentum indignus conficit, indignus ministrat, indignus suscipit, indigno dispensat (1). Alii trium peccatorum dumtaxat illum reum faciunt, quia Eucharistiae distributionem ab indigno ministro sine gravi piaculo peragi posse arbitrantur (2). Alii duas tantum malitias in sacerdote indigne celebrante agnoscunt : quippe duae tantum sunt actiones eius moraliter distinctae, *consecratio* scilicet et *communio* (3). Alii nisi unum peccatum ab eo admitti contendunt, quia singulae sacrificantis actiones ad unum Sacrificium integrandum pertinent (4). Quidquid sit, sacerdos qui confitetur se gravi maculatum crimine Sacrum fecisse, peccatum suum satis aperit (5). Demum, cum parochus nuptiis quasi testis intersit, non quasi Sacramenti minister, Macrobius iis benedicens non peccavit.

Secunda die graviter deliquit Macrobius consecratoria verba praetermittens, nam Sacramentum simulavit ; simulatio autem Sacramenti, quae facti mendacium est atque sacrilegum, nequaquam licet, ut constat ex hac propositione, n. XXIX, ab Innocentio XI damnata : *Urgens metus gravis est causa Sacramenti administrationem simulandi* (6). Et firmatur auctoritate Congregationis S. Officii, quae interrogantibus an sacerdotes quos Turci filiis suis Baptismum conferre coegerint ad corporis valetudinem, non ut christianos faciant, possint saltem ficte eos baptizare, adhibita Baptismi materia sine debita forma, respondit : *Negative, quia Baptismus est ianua Sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest* (7). Praeterea *materiali*, quam vocant, idololatriae occasionem praebuit, pro Christi corpore et sanguine panem et vinum exhibens adoranda ; potuit etiam importare damnum sive ad sacram Synaxim accedentibus, sive iis pro quibus fortasse Sacrificium debuisset offerre, Sacramenti gratia vel Sacrificii fructibus eos fraudando.

Tertia die lethaliter non videtur peccasse dum confessionem eo audivit animo ut prius sui criminis dolorem conciperet quam absolveret, atque ita reipsa se gessit non absolvens nisi elicito contritionis actu. Quamvis enim probabilis sit sententiam dicentium eum graviter

(1) La Croix, 93 ; S. Alphonsus, 35 ; Bucceroni, *De Sacramentis*, III, 353 ; Rosmini, *Conferenze sui doveri ecclesiastici*, conf. IV, 7.

(2) Gury, *Casus*, II, 164 ; Voit, 82.

(3) Lugo, disp. IX, 161 ; Sporer, 172 ; Mansi, *Epitome*, v. *Missa* ; Lehmkuhl, 46 ; Tanquerey, 42 ; De Varceno, *De Sacramentis*, c. II, a. II, § 2 ; Ballerini-Palmieri, 46 ; Génicot, l. c.

(4) Sporer, p. III, c. III, 435 (qui in p. I, 172 duo peccata committi affirmaverat) ; D'Annibale, III, 413, nota 47 ; Sebastiani, *Summarium*, 448, nota.

(5) La Croix, 93 ; Gury, I. c. ; D'Annibale, l. c.

(6) S. Thomas, II^a II^{ae}, q. CXI, a. I ; Viva, *Damnatae theses*, in dictam propositionem ; Reiffenstuel, 48 ; La Croix, 150 et seq. ; S. Alphonsus, 59.

(7) Responsum hoc, die 6 septembris 1625 datum, refert Benedictus XIV literis *Postremo mense* ad Archiepiscopum tarsensem.

peccare, quia confessionem excipere actio est sacerdotalis ministerii et confessio non secus ac absolutio ad Sacramenti essentiam pertinet; communior tamen et probabilior sententia eum eximit a mortali culpa, quia per confessionem inchoatur quidem Sacramentum, at nisi per absolutionem non conficitur, qua Christi gratia poenitenti confertur eiusque sanctificatur anima (1).

CXXII.

Amadeus, puerperae domum ingressus, cum geminos infantes modo in lucem editos in pari vitae discrimine constitutos vidisset, utrumque simul Baptismate abluit dicens: *Ego vos baptizo* etc. Inde egressus, tres viros e fastigio domus ruentes conspicatus, clamat: *Ego vos absolvo* etc. Solemnioribus festis, ne tempus terat, hac ratione puerorum turbae Poenitentiae Sacramentum ministrat: singulis seorsum auditis iniunctaque eis salutari poena, ab omnibus simul doloris actum eliciendum curat, quos una simul absolvit.

Quaeritur I°. An pluribus simul unus Sacramentum dare valeat?

Q. II°. An licite hoc fieri possit?

Q. III°. An Amadeus aliquo ex capite sit improbandus?

Quaestionum solutio.

489. — Resp. ad I Q. Baptismi et Poenitentiae Sacramenta potest unus valide pluribus simul conferre, qui sibi praesentes adsint, modo materia et forma simul consistant et haec in numero multitudinis proferatur; quae formae mutatio ex singulari numero in numerum multitudinis accidentalis est et requiritur ut formae sensus maneat. Audi Doctorem Angelicum: *Possunt, si necessitas exigit, plures simul baptizari, quia nullus eorum non reciperet nisi unum Baptismum; sed tunc oportebit dicere:* **Ego baptizo vos,** *nec erit mutatio formae quia* **vos** *nihil aliud est quam* **te** *et* **te** (2). Quod de Baptismo dic et de Poenitentia (3).

490. — Resp. ad II Q. Cum huiusmodi Sacramentorum confectio sit valida, licere etiam debet, saltem instante necessitate subveniendi homini in gravi periculo constituto, Sacramenta enim propter homines sunt: hinc pueris morti proximis, naufragis, militibus cum hoste iam iam congressuris fas est Baptismum aut Poenitentiam una simul conferre (4). Citra necessitatem tamen non licet, tum quia nemini

(1) Lugo, disp. VIII, 158; Sporer, 153; La Croix, 102; S. Alphonsus, 36; Lehmkuhl, 44; Tanquerey, 43.

(2) III^{a}, q. LXVI, a. V, ad 4^{um}.

(3) La Croix, l. VI, p. I, 645; S. Alphonsus, VI, 29; Gury, II, 428; D'Annibale, III, 255.

(4) *Rituale R., De baptizandis parvulis.*

fas est in Sacramentorum formas pro libito mutationem inducere, tum quia Ecclesiae ritus in Sacramentorum administratione sunt religiose servandi. An vero culpa id peragentis citra necessitatem sit gravis, quaestionis est: ex adiunctis videtur res diiudicanda (1).

491. — Resp. ad III Q. Ratio quam in ministrando Poenitentiam puerulis Amadeus sectatur improbanda quam maxime, tum quia nulla subest ita se gerendi necessitas, ritu et usu Ecclesiae posthabitis: tum quia periculum adest sacramentale sigillum effringendi vel saltem admirationem excitandi. In ceteris carpendus non est.

CXXIII.

Genesius, Plautillae nuptias inbians, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta suscipere renuit; quocirca a parocho vehementer corripitur, qui operam suam nupturienti detrectat nisi prius Ecclesiae leges serventur. Haec inique ferens Genesius: «Sacramentum tene tuum», mussitat iratus, «civiles celebrabo nuptias, quin peccata mea cuipiam revelem». Dixit fecit, eodemque cum Plautilla contubernio, insuetum facinus omnibus demirantibus, vitam transigere coepit. Paulo post, cum paschales advenissent dies, conscientia sceleris exagitatus, Genesius parochum adit, sua moerens crimina confitetur, dataque fide de nuptiis religioso ritu quamprimum instaurandis, absolvitur sacramque mensam accedit. Parochus tantisper haesilat, dein veritus ne Genesius repulsus ad graviora proruat, Eucharisticum panem illi porrigit, nuptiis vero postera die benedicit.

Quaeritur, rectene in omnibus parochus se gesserit?

Quaestionis solutio.

492. — Resp. ad Q. I°. Parochis id omni ope satagendum, ut nupturientes, quippe qui nuptiarum Sacramentum et confecturi sunt et suscepturi, Matrimonium non ineant nisi Poenitentia expiati et, si commode fieri potest, Eucharistia refecti. Verum quia Tridentina Synodus hortatione non praecepto sponsos ad haec adducendos censuit (2), praeterea (nisi de publicis peccatoribus agatur) status gratiae in nubentibus praesumendus est, vel per contritionis actus recuperari potest; idcirco non debet parochus hoc tantum nomine sponsis renuentibus Poenitentiam et Eucharistiam sumere operam suam detrectare. Et sicubi dioecesana statuta aliud ferant, nonnunquam ob gravia quae timentur mala obventura vel ipsa legis obligatio laxatur, vel rogandus legislator ut eam relaxet; cumque civilia contubernia tam publicis quam privatis moribus grave vulnus infligant, satius

(1) S. Alphonsus, l. c.
(2) Sess. XXIV, *De reformat. Matrimonii*, c. I.

saepe videtur hac in causa morem nupturientibus gerere, quam perniciem istam inducere aut fovere (1). Immo ad haec praecavenda mala licet quandoque Parocho, eorum qui censura tenentur (consulto si fieri potest Episcopo) nuptiis interesse, exclusa tamen Missae celebratione. Nam S. Poenitentiaria interrogata: *Quomodo se gerere debeant Parochi in celebratione Matrimonii illorum qui notorie in censuras ecclesiasticas inciderunt*, respondit die 10 decem. an. 1860: *Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur; at si reconciliari recusent, et nisi Matrimonium celebretur gravia inde damna imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a S. Alphonso* (*lib.* VI, *tr.* I, c. II, n. 54) *traduntur, ea declarabit quae magis expedire in Domino iudicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione* (2). Hoc responsum firmavit *Iuris pontificii Codex*, can. 1066. *Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium.* Quae cum ita sint, nullo modo probandus parochus noster, qui praeterea in eo deliquit quod Genesium vehementer corripuit, quem humaniter exceptum ad saniora consilia forsan adducere potuisset.

II°. Neque rectius se gessisse videtur quum Genesium a peccatis absolvit; quandoquidem explorati perpetuique iuris est, vix unquam expedire quempiam absolvere qui cum concubina perinde quasi cum uxore sub eodem tecto conversatur, nisi prius seorsum agens tam a se quam a ceteris peccandi offendiculum removeat. Neque sufficit data fides de nuptiis quamprimum religiose instaurandis, nam haec fides plerumque fluxa est et pericula non cavet. Has ob causas Genesius (etsi forte a peccatis absolutus) monendus insuper fuisset, ne prius sacram mensam accederet quam a Plautilla divorsus publici peccatoris notam a se repulisset.

III°. Nullo pacto probandus parochus Eucharisticum panem Genesio porrigens, quem, manente turpis concubinatus scandalo, a sacra mensa arcere debuisset: etenim quos civilium tantum nuptiarum vinculum tenet, Ecclesia pro concubinis habet prohibetque ab Eucharistiae Sacramento, nisi prius separentur vel nuptias religioso ritu contrahere satagant (3). Ex his iam liquet quantum studium parochis sit adhibendum ut civili ritui praeeat matrimonii celebratio; et sicubi civitatis leges id facere vetent, curandum saltem ut eodem die civilem ritum religiosae nuptiae subsequantur.

(1) La Croix, l. VI, p. I, 137, 147; S. Alphonsus, VI, 54.
(2) Vide Gury, II, 769.
(3) *Rituale R., De SS. Eucharistiae Sacramento.*

IV°. Demum nuptiis postridie benedicens parochus optime egit, dumne ex alio capite matrimonio celebrando quidquam officeret.

Genesii historia nos docet, quam cauto pede in genere hoc parochis sit procedendum. Nam si quidem nimis indulgenter Sacramenta tribuas, periculum est ne quidquam detrahas de reverentia iis debita legesque Ecclesiae subvertas; si vero te nimis severum exhibeas, abalienabis multos qui forte tibi iurgii causam inferent, forte etiam tecum iniuriarum agent, aut saltem incommodabunt te maxime.

CXXIV.

Cyrillo sacerdoti nihil solemnius illo: *Sacramenta propter homines sunt.* Hoc fretus adagio nihil non molitur ut Sacramenta, velit nolit, quisque recipiat. Cum hebraicae professionis hominem incidisset Baptismi quidem cupidum sed existimantem ad Lutheri asseclas veram Christi religionem migrasse, illico abluendum duxit, quo facilius Sacramento roboratus errorem pellere fontemque veritatis reperire posset. Faustinum et Luciam, quos optime noverat occulto impedimento detineri, matrimonio copulandos curavit, quo maturius periculis expediret. Nepotem sacris ordinibus initiari nolentem minis et vi ad eos recipiendos adegit. Aegrotantem puerulum a peccatis absolvit, Eucharistiae et Unctionis Sacramentis refecit. Demum adulto proxime morituro cum frustra Extremam Unctionem protulisset, paulisper expectavit donec eum somno correptum videret, dormientemque tacite inunxit.

Quaeritur I°. Quaenam requiruntur ut quis valide Sacramenta recipiat?

Q. II°. Quaenam ut licite?

Q. III°. Quid de Cyrillo?

Quaestionum solutio.

493. — Resp. ad I Q. Sacramenta ad sanctificandos homines, quoad eis vita contigerit, sunt instituta: propterea homini vivo dumtaxat conferri queunt. At quia singula Sacramenta singulis hominibus non sunt accommodata, idcirco non eadem prorsus requiruntur ut ad quodlibet Sacramentum quisquam sit habilis.

Et I°. quidem ut Baptismo quis abluatur, vivus sit oportet necdum Baptismo tinctus. Baptismo tinctus (per quem in Christi Ecclesiam homo cooptatur ceterisque suscipiendis Sacramentis fit aptus) iam valet Eucharistiam suscipere; et Confirmationem, dumne confirmatus iam fuerit; et Poenitentiam, si quidquam peccavit dolensque confitetur; et Extremam Unctionem, si doli capax est vel fuit, gravi laborat morbo, necdum eodem durante morbo recepit; et Ordinem, si mas neque eodem ordine adhuc insignitus; et Matrimonium, dumne

divino humanove iure ad contractum ineundum sit ineptus. Ut parvuli, hebetes et amentes Sacramenta illa suscipere valeant ad quae sunt idonei (nimirum Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam et Ordinem) nihil ultra requiritur (1).

II°. Si de adultis sit sermo, necesse est praeterea Sacramentum velint: namque beneficia in nolentem conferre neque decet, neque Christo probatur, cuius mentem nobis aperiunt Concilia Carthaginense III et Arausicanum I. Innocentius III (cap. *Maiores. De Baptismo*) perpetuusque Ecclesiae usus (2). Voluntas haec, quam *intentionem* vocant, diducitur (ut alias diximus) in *actualem*, *virtualem*, *habitualem* et *interpretativam*. Actualis, etsi optima et commendanda, necessaria non est. Virtualis bona quidem et sufficiens, at necessaria tantum ad Poenitentiam suscipiendam, cuius materia ex poenitentis actibus constat, et ad Matrimonium quod a contrahentibus ipsis tanquam ministris conficitur. Ad cetera suscipienda Sacramenta habitualis voluntas sufficit, immo in nonnullis etiam interpretativa, quae in christianae professionis homine semper censetur inesse, quum de Sacramentis agitur quae multum suscipientibus afferunt commodi nec quidquam onerant, cuiusmodi sunt Confirmatio, Unctio et Eucharistia: quapropter haec collata homini in extremis constituto valent, quamvis dum mens ratioque vigebant ea non petierit, dumne repudiaverit (3). Et si serio dubitetur an haec habitualis voluntas insit in suscipiente, tunc adiecta conditione Sacramentum est conferendum, ne forte homo eo indigus divino auxilio privetur. De Baptismo, Unctione et Poenitentia potissime haec sunt accipienda. Insuper in eo qui Poenitentiam suscipit fides cum spe veniae requiritur: namque supernaturalis dolor de admissis, quae est praecipua Sacramenti pars, in fide nititur, eaque deficiente deficit (4).

494. — Resp. ad II Q. In parvulis, amentibus ab infantia et idiotis nihil praeter modo dicta requiritur, aliud enim hi nequeunt praestare; in adultis vero ea preparatione opus est qua caveatur reverentiae quam postulant Sacramenta, sive ex natura sua sive ob peculiare aliquod praeceptum. Et ex I° capite id omne removendum quod Sa-

(1) Suarez, *De Sacram.* disp. XVII, sect. II; Billuart, diss. VI; Alasia, *De Sacram.* c. VII; S. Alphonsus, VI, 78, 79; Tanquerey, *De Sacram. in genere*, 59, 60. Valide infans ordinem recipit; attamen, ex Const. *Eo quamvis* Benedicti XIV, quum decimum sextum aetatis annum attigerit, optio ei datur vel susceptum ordinem exercendi (si caelibem vitam ducere, castitatem perpetuo servare atque adnexa ordini munera implere decernat), vel laicorum more vivendi.

(2) S. Thomas, III[a], q. LXVIII, sect. VII; Suarez, disp. XIV, sect. II; Lugo, disp. IX, sect. VII; Laymann, l. V, tr. I, c. IV, 4; Sporer, *Theolog. Sacram.* p. I, c. II, 139 et seq.; La Croix, l. VI, p. I, 165 et seq.; S. Alphonsus, 80, 81.

(3) *Rituale R., De Extrema Unctione*; S. Alphonsus, 82.

(4) Suarez, Lugo, Billuart, S. Alphonsus, ll. cc.

cramenti effectibus obest, ne ad irritum cadat suave significatione frustretur. Hinc vivorum Sacramenta, quae ad gratiam augendam sunt instituta, sine fide, spe et habituali caritate recipere nefas est; neque mortuorum Sacramenta recipere licet sine fide, spe et aliqua saltem imperfecta seu inchoata caritate, quae in ipsa peccati poenitudine continetur, quippe ei quem nullatenus poenitet delicti, gratia non fit (1). Ex II° autem capite ea omnino serventur oportet quae ad rectum Sacramentorum usum seu a Christo seu ab Ecclesia sancita fuerunt. Hinc peccat qui Sacramenta suscipit excommunicatione irretitus aut fidei rudimenta ignorans; qui aetate, scientia, moribus impar sacris ordinibus initiatur; qui ad Poenitentiae tribunal imparatus accedit; qui Eucharistiam non ieiunus sumit; qui nuptias init quas sibi vetitas novit, etc.

495. — Resp. ad III Q. Baptismus quem Cyrillus hebraicae professionis homini contulit oppido valuit: qui enim Baptismum cupiebat, volens suscepit quia error quo detinebatur suscipiendi voluntatem adimere nequibat (2). Quamquam Cyrillus, infandae ignorantiae specimen, dignus fuit qui vapularet, etenim non Baptismo dediscuntur errores, sed recta doctrina ad quam instituendi sunt qui Christi Ecclesiae nomen dare cupiunt.

Gravius adhuc notandus Cyrillus quod Faustinum et Luciam matrimonio copulavit quos optime norat occulto impedimento detentos: namque si dirimens impedimentum aderat, nuptiae inter eos constare nequibant; si prohibens, illas inire ob Ecclesiae vetitum non licebat. Eius consilium profecto creandis periculis aptius fuit quam avertendis.

Renuentem nepotem inique prorsus ad sacros ordines suscipiendos adegit; immo excommunicationem nemini reservatam incidit ipso facto (3); et siquidem vis illata tanta fuit ut consensum adimeret, ordo irritus cessit, si vero voluntatis consensum minuit quin penitus auferret, valuit utique ordo sed corporis castimoniam vovisse non censetur qui vi compulsus recepit Sacramentum, nisi deinceps, excusso metu, libera voluntate in castimoniam consenserit (4). Ad rem canon 214 *Codicis iuris pontificii* § 1: *Clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit, nec postea, remoto metu, eandem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subiicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigatur, sine ullis caelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.*

(1) Concilium Tridentinum, sess. VI, c. VI; S. Thomas, III^a, q. LXVIII, a. IV; Suarez et Lugo, ll. cc.; Laymann, 5; S. Alphonsus, 83, 86.

(2) S. Thomas, III^a, q. LXVIII, a. VIII.

(3) *Codex iuris canonici,* can. 2352 quem n. 222 retulimus.

(4) Sporer, c. VI, 183; Benedictus XIV, *De Synodo dioec.* l. XII, c. IV, 2; S. Alphonsus, VI, 811; Lehmkuhl, II, 781; Tanquerey, *De Sacramentis,* 813.

Puerulo, siquidem doli nondum capaci, Poenitentiae et Unctionis Sacramenta Cyrillus incassum dedit; Eucharistiam vero non licet ex hodiernis Ecclesiae moribus puerulis cuiusvis aetatis tribuere. E contrario Poenitentiam et Unctionem doli capaci dare potuit, seu absolute, seu (re dubia) adiecta conditione; Eucharistiam quoque licite dedit, si puer id aetatis erat ut Eucharisticum panem a non sacro discernere et reverenter sumere valuit (1).

De dormiente quem tacite Cyrillus inunxit, intererit primum dispicere, qua de causa ipse Sacramentum respuerit. Si differre voluit quoad morbus ingravesceret, pro infecto Sacramentum habendum, quippe invito collatum, nisi morbus interim gravior reipsa factus fuerit. Si vero Sacramentum nullo unquam tempore recipere voluit, equidem non recepit; propterea expergefactus ad saniora consilia prius adducendus fuisset, subinde ex integro ungendus. Ad haec videndum, an *tacita* aegroti inunctio sine verborum ritualium prolatione fuerit a Cyrillo peracta, nam Sacramentum hoc sine verbis collatum infectum esse, nemo unús (Cyrillo forsan excepto) ignorat.

Ex his fit manifestum quam inepte Cyrillus noster usurpet atque ad usum deducat effatum illud: *Sacramenta propter homines sunt*, quo eatenus uti licet, quatenus gravi urgente necessitate iis etiam Sacramenta sunt tribuenda de quibus incertum est an ea omnia prae se ferant quae ad Sacramenta rite suscipienda requirantur, ne forte ii pereant qui poterant per Sacramenta salvari, non autem ut cuivis et inscio et imparato et invito Sacramenta a ministro pro ingenio tribuantur.

CXXV.

Demetrius parochus ad virorum admissa Poenitentiae Sacramento pianda tardo gradu, aegro animo, corrugata facie accedit; immo si alium sacerdotem in sui locum sufficere queat, laetus huic oneri se subducit. Contra ad feminas audiendas libens advolat, libentissime ad eas quae iunioris sunt aetatis vel opulentae fortunae. Hinc fit ut viri, ne tristi supercilio excipiantur aut forte repulsae notam sustineant, infrequentes eius ministerium exquirant; quae vero feminae provectioris sunt aetatis tenuisve fortunae, invidiola tactae mussitent, minusve sincero animo nonnunquam admissa sua confessori patefaciant. Haec omnia Demetrius non ignorat, qui tamen si forte conscio agitatur animo, angorem sedare captat haec secum revolvens: «Salebrosius est feminas, praesertim iuniores, audire et docere quam viros, proinde a parocho magis quam a ceteris id fieri praestat; impensius autem ad pietatem eas excolere quae opibus pollent sanctissimum opus est, exemplo enim suo plures ad virtutem incendent».

Quaeritur I°. An omnes officii sui partes Demetrius impleat?

Q. II°. Sintne aliquo habenda loco quae culpae derivandae causa Demetrius secum ipse revolvit?

(1) Vide dicta n. 80.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

496. — RESP. AD I Q. Iis qui curam animarum gerunt grave incumbit onus Poenitentiae Sacramentum tribuendi curialibus suis ex necessitatis vel utilitatis causa illud petentibus. Nam *praecepto divino* (ita Tridentina Synodus) *mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere ... et Sacramentorum administratione pascere* (1). Quocirca non caritatis modo sed et iustitiae violatores eos dixeris qui hoc Sacramentum rationabiliter petentibus abnuunt aut aegre concedunt, ideo enim beneficii fructus quasi stipendium percipiunt, ut spiritualibus suorum necessitatibus subveniant (2). Immo, si difficiles se praebeant, paschali praesertim tempore, iis qui deinceps facile non sunt redituri, gravis culpae reatum non effugient (3).

Quae cum ita se habeant, nemo non videt officii sui partes Demetrium non implere, qui non omnes curiales suos ea qua par est humanitate excipit et, viris posthabitis aut ad alium sacerdotem remissis, promptior audiendis feminis adest, promptissimus illis quae iuventute aut opibus praestant. Quandoquidem, si omnium votis satisfacere nequeat, feminis plerumque viros praeponere debet, tum quia hi negotiorum multitudine ac varietate distenti vix redibunt si semel irriti abire cogantur, tum quia diligentiori studio ad Sacramenta sunt alliciendi, cum ad ea minus proclivi quam feminae esse soleant. Iuniores autem e feminis atque opulentiores aucupari pium sacerdotem dedecet, quem idcirco maligna deprimet suspicio, perinde quasi frivolam auram captare velit, aut lucra quaeritare, aut genio suo indulgere. Nil mirum propterea si nec levia nec pauca exinde mala oriantur necesse est. Hinc enim viri Sacramenta deserere, feminae vetulae aut tenuioris fortunae invidia tangi, mussitare, minusque sincero animo sua crimina pandere; hinc sacerdotum fama valde onerari: quae omnia suis ipse oculis Demetrius conspiciens haud immeritus conscio animo fuit exagitatus.

497. — RESP. AD II Q. Nullo prorsus loco habenda sunt quae conscientiae stimulis retundendis Demetrius secum ipse revolvit. Re enim vera etsi salebrosius foret feminas praesertim iuniores audire et docere quam viros (quod ex rerum personarumque adiunctis aestimandum est), non ea tamen causa erat ob quam aegre eos exciperet aut dure, vel ad alios sacerdotes transmitteret. Item optimum factu est feminas opulentiores atque iuniores ad pietatem excolere, multo tamen melius earum curam suscipere quae forte Sacramento egent ut e vi-

(1) Sess. XXIII, *De reform.* c. I.

(2) SUAREZ, *De Sacram.* p. I, disp. XVI, sect. I; S. ALPHONSUS, VI, 58, 623; VOIT, I, 92; GOUSSET, II, 37; GAUME, *Manuel des confesseurs*, ch. I; LEHMKUHL, II, 48; TANQUEREY, *De Sacram. in genere*, 52, 53; GÉNICOT, II, 119.

(3) SEBASTIANI, *Summarium*, 398.

tiis emergant, quamvis tenuioris sint fortunae aut provectioris aetatis. Caveat, ergo Demetrius ne dum optima quaeque sectaturum se iactat, quae bona sunt negligat, namque proverbium est: *Bono optimum repugnare.*

Haec ad animum referant Christi sacerdotes, quo vigilantius enitantur ad ministerium suum aeque omnibus exhibendum: nam sicubi plebs christiana ac viri prae ceteris Sacramenta fastidiunt, haud levi culpa saepenumero sacerdotes tenentur qui eos industrie non alliciunt, aut virorum securi omne studium suum ad feminas, ad beatiores in primis, convertunt.

CXXVI.

Carneades in Sacramentis conficiendis sedulo ea omnia servat quae necessaria sunt ut constet Sacramentum; quae vero reverentiae et decoris gratia ab Ecclesia sunt constituta nihili prorsus facit. Hinc modo sine stola ac superpelliceo Baptismi, Poenitentiae, Eucharistiae, Unctionis Sacramenta ministrat; modo sine lumine, stola et superpelliceo sacrum Viaticum aegrotantibus defert.

Quaeritur I°. An Ecclesia potestatem habeat ritus aliquos instituendi in Sacramentorum administratione servandos?

Q. II°. An probata de causa hi ritus fuerint instituti?

Q. III°. An sine peccato omitti queant?

Q. IV°. Quid de Carneade?

Quaestionum solutio.

498. — Resp. ad I Q. Tridentinae Synodi doctrina est, potestatem in Ecclesia perpetuo fuisse ea constituendi quae in Sacramentis dispensandis (salva eorum substantia) religiose serventur oportet, cum ut suus Sacramentis honos constet, tum ut ea suscipientes largiorem capiant fructum (1). Hac autem potestate ab ipso rei christianae exordio Ecclesiam usam fuisse, innumeris fere argumentis eruditi demostrant (2).

499. — Resp. ad II Q. Plura profecto sunt quae horum rituum institutionem commendant. Hi enim decorem ac reverentiam Sacramentis conciliant; eorum vim et efficaciam uberius explanant, sicque vel rudioribus doctrinam de Sacramentis diserte eloquuntur, mentem ad caelestium rerum contemplationem attollunt, fidem alunt, pietatem fovent, caritatem incendunt. Quae commoda Tridentina Synodus, *Catechismus R.* et Benedictus XIV prae ceteris commemorant (3).

(1) Sess. XXI, c. I.

(2) Suarez, *De Sacram.* p. I, disp. XV, sect. III; Perrone, *De Sacram.* c. IV; Bouvier, *De Sacramentis in genere*, c. VII, a. I.

(3) Concilium Tridentinum, sess. XXII, c. V; *Catechismus R.* p. II, c. I, n. XVI; Benedetto XIV, *Del S. Sacrifizio della Messa*, sez. I. Quae quanta-

500. — Resp. ad III Q. Tridentina Synodus illum anathemate percellit qui dixerit, *receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiae pastorem mutari posse* (1). Huius autem peccati genus ex natura sua grave est atque in religionis virtutem offendens, etsi quandoque ob rei praeceptae levitatem leve fieri potest: quod prudentium est iudicare, ratione habita cum significationis cuiuscumque caeremoniae, tum finis seu causae ob quam ea instituta censetur (2). Immo, necessitate urgente, fas est nonnunquam ritus aliquos omittere ne quis Sacramento careat quo certo aut verisimiliter eget (3).

501. — Resp. ad IV Q. Laudandus Carneades quod in Sacramentis conficiendis ad amussim ea servet quae necessaria sunt ut constet Sacramentum; at maxime improbandus quod nihili prorsus faciat ea quae reverentiae et decoris gratia ab Ecclesia sunt instituta.

Rituale R. haec habet: *In omni Sacramentorum administratione (parochus) superpelliceo sit indutus, et desuper stola eius coloris quem Sacramenti ritus exposcit, nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeant* (4). Hinc I° peccat Carneades citra necessitatem stolam et superpelliceum non induens quum Baptismi, Eucharistiae et Unctionis Sacramenta ministrat; cumque ad Sacramenti decorem talium indumentorum usus multum conducere videatur, sine gravi piaculo ea omitti non posse arbitratur Suarez in Eucharistia et S. Alphonsus in Extrema Unctione dispensanda (5). Neque aliter de Baptismi collatione sentiendum videtur: attamen si urgeat Sacramenti necessitas, probabile est omnem exulare culpam (6). Hic obiter animadvertimus, nisi mortis instante periculo vel necessitate urgente, non licere parvulos domi Baptismate tingere; integrum tamen esse Ordinariis ob iustam et rationabilem

que sit sacrorum rituum praestantia et quantopere profanis excellant, per bene describit Rosminius in opere cui titulus *Della educazione cristiana*, l. III, c. XVII, *Delle cerimonie ecclesiastiche*; quam vero naviter a sacerdotibus divini cultus ministris sint addiscendi religioseque servandi, edisserit (*Conferenze sui doveri ecclesiastici*, Conf. V). De liturgia catholica plura, si cupis, videre potes apud Guillois (*Catechismo*, vol. IV, Lez. I et sequentibus) et apud Gaume (*Catechismo di perseveranza*, p. IV, Lez. I et sequentibus).

(1) Sess. VII, can.XIII.

(2) Suarez, l. c.; Laymann, l. V, tr. II, c. VIII, 4; Billuart, diss. VII, a. III; Voit, II, 86.

(3) Benedetto XIV, op. cit., n. LIV; Drouin, *De re sacrament.* l. I, q. VII.

(4) *Rituale R.. De iis quae in administratione Sacramentorum generaliter servanda sunt.*

(5) Suarez, disp. LXXII, sect. IV; S. Alphonsus, VI, 726.

(6) La Croix, l. VI, p. II, 2116; S. Alphonsus, l. c.

causam id permittere ex decreto S. Congregationis de Sacramentorum disciplina mense decembris anni 1912 edito (1), modo *Ritualis R.* caeremoniae omnes serventur ex S. Rituum Congregationis responso die 17 ianuarii anni 1914 dato (2). II° In Poenitentiae Sacramento stolae et superpellicei usus districte non praecipitur; optimum tamen factu est et decorum stolam deferre quum in templo Sacramentum hoc ministratur, et Episcopis integrum est stolae et superpellicei usum praecipere (3). Potuit ergo Carneades, si forte aderat Episcopi iussum, in illud peccare. III° Instante necessitate dumtaxat, et quovis offendiculo remoto, fas est sine lumine, stola et superpelliceo sacrum Viaticum deferre: quae communior sententia est et S. Alphonso satis probabilis (4). In regionibus autem infidelium, immo et catholicorum (sicubi propter hominum improbitatem periculum est ne irrogetur iniuria Sacramento), non modo licet sed debet secreto ac sine pompa Viaticum deferri. Immo ex responso S. Congregationis de disciplina Sacramentorum mense decembris anni 1912 dato, hodie Ordinariis ex iusta et rationabili causa fas est permittere, ut iis qui mala affecti valetudine domo egredi nequeunt et sacram Communionem ex devotione petunt (praesertim si plures in eadem paroecia petant, vel unus petat frequenter) S. Eucharistia privatim, seu non servatis *Rituàlis Romani* praescriptis, deferatur, modo saltem ritus servetur a Benedicto XIV Decreto *Inter omnigenas,* die 2 febr. anni 1744 propositus, videlicet: *Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur* (5). Quamobrem videndum utrum aliqua necessitate pressus necne Carneades superpelliceum et stolam non induerit, eaque ad amussim servaverit quae a Benedicto XIV scita sunt.

Ceterum abs re non erit animadvertere, valde timendum esse ne Carneades noster ex contemptu agens graviter in singulis delinquat: quippe cum caeremonias ab Ecclesia institutas ideo omittat quia nihili prorsus facit, leges ab Ecclesia latas videtur contemnere, auctore autem S. Bernardo, *elatio contemnentis in crimen gravis rebellionis convertit naevum satis levem simplicis transgressionis* (6).

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, an. IV, vol. IV, pag. 725.

(2) *Acta Apostolicae Sedis*, an. VI, vol. VI, pag. 32. At in *Codice iuris canonici*, can. 759, § 2, haec facultas coarctari videtur, nam citra mortis periculum tunc tantum Episcopo tribuitur cum agitur de haeretico adulto sub conditione baptizando; et si de Baptismo solemni agitur, in quibusdam extraordinariis personarum et rerum adiunctis, pro prudenti Ordinarii arbitrio et conscientia (can. 776).

(3) S. Rituum Congregatio, die 31 augusti 1837 in ambian.; D'Annibale II, 40.

(4) La Croix, l. VI, p. I, 603; S. Alphonsus, 241; D'Annibale, III, 265.

(5) *Acta Apostolicae Sedis*, an. IV, vol. IV, p. 725.

(6) *De praeceptis et dispensatione.*

IN TRACTATUM
DE BAPTISMO

CXXVII.

Iulius parochus gravi tenetur dubio an plures e curialibus suis Baptismum rite susceperint: etenim non pauci ab obstetrice sui muneris ignara abluti fuere, plures vero a decessore suo qui senio confectus desipuerat. Incertus quo se vertat, hanc demum agendi rationem sibi ineundam putat, qua tanto malo, quoad eius facere potest, remedium afferat: puerulos, prout fert occasio, digito aqua madefacto simulque ritualibus verbis prolatis, in fronte signat; grandiusculos identidem ad se vocat, dumque ludibus indulgent, frigidam e superiori domus ambulacro large in eos fundit, qua seu frontem, seu occiput, seu comam, seu manus, seu vestes illorum aspergit, atque interim submissa voce Baptismi formam usurpat. Quod vero ad adultos spectat, pro re nata suadet uxoribus ut viros, matribus ut filios, sororibus ut fratres dormientes abluant, sacramentalibus verbis recitatis. Ad haec, ne tam gravia mala deinceps contingant, si quem infantulum in necessitatis articulo ab obstetrice vel parentibus ablutum noverit, iterum sub conditione abluit, quippe vix fieri posse autumat ut talibus in adiunctis omnia rite serventur ad Baptismum necessaria.

Quaeritur I°. An et quando Baptismus sit iterandus?

Q. II°. Rectene Iulius in omnibus se gesserit?

Quaestionum solutio.

502. — Resp. ad I Q. Cum Baptismus sit Sacramentum characteristicum, valide semel collatus sine gravi piaculo iterari nequit, illumque absolute iterantes maculam illam antehac suscipiebant quam rerum divinarum scriptores *irregularitatem* vocant, ob quam ab ordinibus suscipiendis prohibentur, non autem a susceptis exercendis (1). Diximus *antehac*, cum enim in *Iuris pontificii Codice* inter irregularitates ex delicto illa iam non numeretur quae ex iterato Baptismo procedit, dehinc non contrahi censenda est (2). Verumtamen, etsi fugiunt posthac irregularitatis notam, graviter semper delinquunt qui temere etiam sub conditione rebaptizant. At quia de Sacramento agitur omnimodae necessitatis, propterea ubi prudens adsit dubium de Baptismo iam collato, sive dubium sit iuris sive facti, iterari potest et

(1) Concilium Tridentinum, sess. VII, *De Sacram.* can. IX; *Catechismus R.* p. II, c. II, n. LVI; S. Alphonsus, VII, 356; D'Annibale, I, 410.

(2) *Codex iuris canonici,* can. 985.

debet ne forte necessario destitutus auxilio quis pereat vel iis careat bonis quae nemo extra Ecclesiam percipere valet. Ut autem reverentiae Sacramenti consulatur, adiicienda conditio: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Ita *Rituale R.*, quod subdit: *Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter; et ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum* (1).

503. — Resp. ad II Q. Quo facilius de Iulii agendi ratione iudicium feramus, nonnulla animadvertere iuvabit. Ut formae sensus constet, proindeque vere quis baptizetur, necesse est ut aqua eius corpus *tangat* et *abluat. De necessitate Baptismi est* (ita S. Thomas) *quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum Baptismus sit quaedam ablutio* (2). Hinc si aqua in vestes cadat, irritus est Baptismus, non enim abluitur homo; si in capillos vel ungues, dubius; item si pes vel digitus vel alia minima corporis pars aqua tingatur: quapropter nisi in necessitate et sub conditione non licet Baptismum ita conferre (3). Quinimmo, citra necessitatem, nisi in capite conferre non licet, *in quo* (auctore S. Thoma) *integritas vitae consistit* (4); et quamvis communissime doceant theologi Baptismum valere in alia praecipua corporis parte collatum, ut puta in collo, pectore, scapulis, humeris, attamen nisi caput ablutum fuerit, sub conditione est iterandus (5). Et quia corpus nedum aqua tangendum sed abluendum, idcirco necesse est ea copia tundetur aqua, ut aliquomodo fluat; vel saltem baptizantis digito satis madefacto in baptizandum distendatur: quapropter una alterave aquae stilla non fluente, invalide aut saltem dubie baptizari communis sententia est (6). Hinc S. Officii Congregatio die 14 decembris an. 1898 iterare iussit sub conditione baptismum ad modum unctionis in fronte collatum cum pollice acqua baptismali madefacto (7).

Quibus positis, ad Iulium veniamus. Eius dubitatio oppido gravis erat, hinc optime egit curando ut dubie baptizati iterum sub condi-

(1) *De sacram. Baptismi*; Laymann, l. V, tr. II, c. V, 3: La Croix, l. VI, p. 1, 123; Lehmkuhl, II, 24, 25.

(2) III^{a}, q. LXVIII, a. IX; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. III, 13; La Croix, 265.

(3) S. Alphonsus, 107, q. 3 et ceteri.

(4) III^{a}, l. c.

(5) S. Thomas, l. c.; Reiffenstuel, 19, 20; Clericatus, *Erotemata*, c. CXV, n. 15; S. Alphonsus, q. 4; ceterique ex *Rituali R.*, *De baptizandis parvulis.* Consonat et *Codex iuris canonici*, can. 746, § 3.

(6) Laymann, c. III, 1; Reiffenstuel, 13; La Croix (cum Busembaum), 258; S. Alphonsus, q. 6; Génicot, II, 135; Sebastiani, *Summarium*, 423. Perutile summarium doctrinae de Baptismo et de ratione illum ministrandi concinnavit Ioannes Maria Pellagatta in opusculo cui titulus: *La levatrice istruita per l'amministrazione del S. Battesimo.*

(7) Vide Génicot, II, 135.

tione Baptismum reciperent; at remedium adhibitum partim opportunum, partim ineptum et fortasse dubiis augendis magis quam auferendis peraptum. Opportuna puerorum ablutio, modo eam peregerit digito satis madefacto, ita ut vere abluisse dici possit (1). Dubia saltem ex parte grandiusculorum aspersio, tum quia evenire potuit ut aliqui ex iis aqua non tangerentur, vel tangerentur quidem sed in vestibus, aut capillis, aut manibus, non autem in capite. Quod vero ad adultos spectat, laudanda Iulii industria, si uxores, matres, sorores rationem Baptismi conferendi sedulo edocuit et caute egit ad murmura, offensiones, dicteria vitanda. Neque officere videtur in dormientibus intentionis defectus: quippe habitualis intentio, immo et interpretativa, ad Baptismum sufficiunt, quae iure inesse censetur in homine qui, cum christianum se putet, profecto ea cupit quae ad sempiternam sui salutem sunt necessaria (2). Recole dicta n. 493, II°.

Ad extremum Iulium probare non possumus quod infantulos domi ab obstetrice vel parentibus baptizatos indiscriminatim novo Baptismo abluat. Quamvis enim nonnulli docuerint hos esse generatim denuo baptizandos, quia vel ob imperitiam, vel ob negligentiam, vel ob animi perturbationem, vel ob malam voluntatem baptizantium dubitari potest de vi collati Baptismi, et etiam quia pluribus in locis id in more positum est; attamen quia et obstetrices et parentes ritum baptizandi probe callere valent, et spectatae probitatis esse fideque digni, propterea si inquisitione facta nullum prudens dubium extet de valido Baptismo, nefas erit parocho Baptismum iterare. Et sicubi contrarius mos invaluit, exterminandus, quippe contra ius divinum nulla obtinet consuetudo (3).

CXXVIII.

Cum gemini infantes ad templum delati fuissent ut salutari lavacro a parocho mundarentur, en Metellus adest alterum suo, alterum Sisinnii nomine e sacro fonte levaturus. At simillima utriusque infantis specie deceptus, quem suo nomine levare constituerat, levavit alieno; quem vero alieno, levavit suo. Haec inter ecce defertur parocho puerulus ob mortis periculum domi ablutus, ut denuo sub conditione lustretur; cumque Aurelius, quem parentes patrinum designaverant, moram faceret, Metellus, rogatu parochi, eius vices libens implendas suscipit. At, vixdum Baptismi forma prolata, superveniens Aurelius puerulum Metelli manibus ereptum e fonte levat.

(1) Reiffenstuel, 14; Voit, II, 146; S. Alphonsus, q. 6; Gury, *Casus*, II, 190.

(2) Gury, *Casus*, II, 188.

(3) La Croix, 319-321; Laymann, c. V, 3; S. Alphonsus, 136; Gousset, II, 88; Gury, II, 259; Lehmkuhl, 25 in nota. Ut Sacramenta quae characterem imprimunt iterum sub conditione conferantur, *Codex iuris canonici* (can. 732, § 2) id requirit ut *prudens dubium existat num revera, vel num valide collata fuerint.*

Quaeritur I°. Quinam spiritualem cognationem in Baptismo contrahunt?

Q. II°. Quaenam requiruntur conditiones ad hanc cognationem contrahendam?

Q. III°. An illam Metellus in triplici Baptismo contraxerit?

Q. IV°. An in priore Sisinnius, an in postremo contraxerit Aurelius?

Quaestionum solutio.

504. — Resp. ad I Q. Spiritualis cognatio, ex qua impedimentum nuptias dirimens exsurgit, neque naturali, neque divino iure sed Ecclesiae praecepto constituta fuit. Tridentina Synodus, ut incommodis occurreret quae ex ignoratis nuptiarum impedimentis saepe saepius proficiscebantur, spiritualem cognationem ex Baptismo provenientem, quae latius antiquitus patebat, ita contraxit ut iam non existeret nisi inter baptistam et baptizatum eiusque parentes, et inter patrinos (idest e sacro fonte suscipientes) et susceptum et parentes eius (1). Qui, memoriae iuvandae causa, hisce claudicantibus versibus recenseri solent:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes;
Levans, levatus, levatique parentes.

Novissimus *Codex pontificii iuris* spiritualem cognationem hoc canone magis contraxit: *Ex Baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus* (2).

505. — Resp. ad II Q. Perspicuitatis ergo primum conditiones proferemus quae baptistae et patrinis communes sunt, dein illas quae sunt patrinorum propriae.

Baptizans et patrini I° baptizati sint oportet, nam impedimentum cognationis, ab Ecclesia constitutum, eos dumtaxat afficere potest qui ad Ecclesiam pertinent. Ob quam rationem et cum parentibus, qui non sint baptizati, cognatio non contrahitur (3). Oportet II° ut discretionis aetatem adepti sint, scilicet non sint septennio minores, secus neque scire neque velle possent quid agunt (4). III° Baptismus validus esse debet: quippe si irritus, Baptismus non est. Hinc si, Baptismo privatim collato, caeremoniae deinde suppleantur, neque minister qui supplet neque patrini cognationem contrahunt (5). Quod si

(1) Conc. Tridentinum, sess. XXIV, c. II, *De reform. matrim.*

(2) *Codex iuris canonici*, can. 768.

(3) Sporer, *Theol. sacram.* p. IV, c. I, 88; Laymann, l. V, tr. II, c. IX, 2; S. Alphonsus, l. VI, 146.

(4) Sanchez, *De matrim.* l. VII, disp. LXI, 3; La Croix, l. VI, p. I, 356; Laymann, l. c.

(5) Sanchez, disp. LXII, 1. Et pluries a RR. Congregationibus declaratum fuit. (Vide Zaninetti, 2643, VI).

Baptismus sub conditione conferatur, cum huius Baptismi vis sit incerta, theologi, rati et cognationem incertam manere, dispensationem saltem ab Episcopo obtinendam arbitrabantur, quam in dubio facti Episcopus tribuere valet (1). Hodie tamen hac in hypothesi cognationem non contrahi definitum est, nisi idem ipse fuerit in utroque Baptismo patrinus. En *Codicis pontificii iuris* statutum: *Iterato Baptismo sub conditione, neque patrinus qui priori Baptismo adfuit, neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque Baptismo adhibitus fuerit* (2).

Praeter haec patrini debent I° esse a baptizando eiusve parentibus vel tutoribus designati; aut ab Episcopo vel parocho, si neminem ineptumve illi elegerint. Quod si ultra designatos alii baptizandum levent e fonte, hi cognationem non contrahunt (3); contrahunt tamen non designati levantes qui ultro se ingerunt, si forte nemo designatus fuerit (4). II° Requiritur velint hoc munere defungi, nempe patrinum agere: et siquidem per se, scilicet suo nomine, cognationem contrahunt; si vero alieno nomine, quasi ex mandato, ille unus contrahit qui mandatum dedit (5). III° Re ipsa, seu facto, munere suo defungantur necesse est, nimirum baptizatum contrectent, aut e fonte levent, aut saltem e manu baptistae suscipiant, vel per se vel per procuratorem, nam qui per alium facit perinde est ac si per seipsum faciat (6). Quid si Baptismus privatim conferatur? — Communior hactenus sententia fuit, ex privato Baptismo cognationis impedimentum non exsurgere, nam Tridentina Synodus loquitur de *suscipientibus de sacro fonte*, fons autem in privato Baptismo non adest (7). Hodie tamen nullum exstat dubium et ex privato Baptismo impedimentum oriri: nam *Codex pontificii iuris* hoc statuit, ut patrinus, si facile haberi queat, et in privato Baptismo adhibeatur; ex Baptismo autem (nullo inter solemnem et privatum discrimine facto) cognationis impedimentum exsurgere docet (8).

(1) S. Alphonsus, 151, 902.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 763, § 2.

(3) Conc. Tridentinum, l. c.

(4) Navarrus, *Enchiridion*, c. XXII, 39; Laymann, 4; S. Alphonsus, 154; Sebastiani, *Summarium*, 552, 2°.

(5) Sporer, 93; Laymann, l. c.; S. Alphonsus, 146 et ceteri.

(6) Sanchez, disp. LVI; Sporer, 95; La Croix, 363. Quae ad patrini munus valide et licite gerendum, requiruntur diserte recensentur in *Codice iuris canonici*, canonibus 765 et 766, quos inferius (nn. 511, 512) referemus.

(7) Sanchez, disp. LXII; Sporer, 89; Ferraris, v. *Baptismus*, a. VII, 20; S. Alphonsus, 149; Gury, II, 806; D'Annibale, I, 66; De Varceno, *De matrimonio*, c. IV, a. II, § 4, punct. 27; Costantini, 673; Bucceroni, *De Baptismo*, III, 459.

(8) *Codex iuris canonici*, canonibus 762, 768, 1079. Vide Tanquerey, *Reformanda, De cognatione spirituali*; Cerato, *Matrimonium*, n. 74; Ferreres,

506. — Resp. ad III et IV Q. In primo et secundo Baptismo cognationem Metellus ob deficientem voluntatem non contraxit: nam quem suo volebat levare nomine, levavit alieno; quem volebat alieno, levavit suo. In tertio, si dubium de collati Baptismi vi elui potest, et vinci Baptismum valuisse, Metellus cognationem contraxit, quia puerum rogatu parochi levavit, cuius est supplere parentes: et etiam quia, absente designato, ille cognationem contrahit qui levat, quivis sit. At si dubium poni nequeat, ex dictis minime contraxisse certum est. Sisinnius cognationem non contraxit, quia voluntate caruit infantem illum levandi, qui ob errorem personae suo nomine levatus fuit; neque contraxit Aurelius, qui iam collato Baptismo pueroque a sacro fonte levato supervenit: immo nec contraxisset antea superveniens et levans, (agebatur enim de Baptismo sub conditione collato) nisi forte in Baptismo privatim collato patrini munus obiisset.

IN TRACTATUM

DE CONFIRMATIONE

CXXIX.

Quum Episcopus dioecesim suam pro potestate praesens viseret almoque Chrismate pueros confirmaret, Fabius, etsi Sacramenti cupidus, ob tenellam aetatem (vix enim erat quinque annos natus) illud recipere nequivit. Aliquot post annos, iterum Episcopo dioecesim lustrante, Fabius, qui gravis criminis sibi conscius erat quin sacerdos praesto esset cui illud confiteretur, consulto a Sacramento suscipiendo se sustinuit ne sacrilegii reatum incurreret. Subinde aetate procedens, plus semel occasionem neglexit se se roborandi christiano Sacramento. Demum annis gravis iamque morti proximus, monitus ut ab Episcopo sacram Chrismatis unctionem peteret, renuit quia verecundabatur senex puerorum Sacramento muniri.

Quaeritur 1°. An et quaenam sit obligatio Confirmationis Sacramentum recipiendi?

Q. II°. Quid requiritur ut valide ac licite Sacramentum hoc recipiatur?

Q. III°. Quid de Fabio sentiendum?

Epitome, 940; Sebastiani et Cerato, ll. cc. Censet Wermeersch (*Summa*, 298) non satis constare ex recitato *Codicis* canone an legislator controversiam dirimere voluerit; et Génicot (II, 507) adhuc *practice tutam* S. Alphonsi sententiam appellat: quibus autem rationum momentis opinationem suam *iuris Codici* repugnantem communire valeant, ignoramus.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

507. — RESP. AD I Q. Certa ab incertis dividere praestat.

Et I° quidem certissimum est, Confirmationem non esse necessitate medii necessariam, ita ut sine ea salvus quis esse non possit. Nam Ecclesia id perpetuo tenuit, infantes Baptismo tinctos, necdum confirmatos, morte praereptos aeternae beatitudinis consortes fieri. *In renatis* (verba sunt Tridentini Concilii) *nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem, . . . ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur* (1).

II°. Apud omnes convenit, posse Confirmationem *per accidens* necessariam esse necessitate praecepti etiam gravis, adeo ut quis lethalis culpae reus fiat eam omittendo. Quod contingere potest, quum quis Sacramento eget seu ad fidem in discrimine profitendam, seu ad tentationem superandam, vel si Sacramentum respuit quia contemnit, vel cum ceterorum scandalo (2).

III°. Utrum vero necessitate praecepti Confirmatio sit *per se* necessaria, in disceptationem venit. Negant plerique cum S. Thoma, quia grave praeceptum neque in SS. Literis expressum invenitur, neque aliquo universali Ecclesiae decreto unquam sancitum fuit (3). Quod autem Benedictus XIV constitutione *Etsi pastoralis* voluit, confirmatos invalide a presbyteris graeco-italis esse monendos *gravis peccati reatu teneri si, cum possint, ad Confirmationem accedere renuunt ac negligunt*, ob peculiarem causam pro graeco-italis dumtaxat constitutum fuisse contendunt, nempe ad removendum scandalum et eorum contumaciam et contemptum retundendum (4). Neque aliam R. Pontificis mentem fuisse, sat colligi posse rentur ex iis quae ipsemet in *Synodo dioecesana* constituit (5). Non pauci his contradicunt (6). Quamvis enim dent, in SS. Literis expressum praeceptum desiderari, satis tamen ex iis coniici posse rentur. Nam Christus Apostolis suis *prae-*

(1) Sess. V, *De peccato orig.* can. V in explicatione.

(2) S. ALPHONSUS, VI, 182 ceterique omnes.

(3) S. THOMAS, III^a, q. LXXII, a. I, ad 3^um; NAVARRUS, *Enchir.* c. XXII, 9; SUAREZ, *De Sacram.* p. 1, disp. XXXVIII, sect. I; LAYMANN, l. V, tr. III, c. V; REIFFENSTUEL, tr. XIV, dist. III, 47; LA CROIX, l. VI, p. I, 395; FERRARIS, *Bibliotheca*, v. *Confirmatio*, a. III, 1; *Compend. Salmanticense*, tr. *De confirm.*, 9; LEHMKUHL, II, 140, 142; SEBASTIANI, *Summarium*, 431; GÉNICOT, II, 164.

(4) D'ANNIBALE, III, 283, nota 17; LEHMKUHL, l. c.; SCAVINI, III, 97.

(5) *De Synodo dioecesana*, l. VII, c. X, n. 9.

(6) S. ANTONINUS, *Summa*, p. III, tit. XIV, 14; NATALIS ALEXANDER, *De Confirmatione*, c. IV, prop. II; HABERT, *De Confirmatione*, c. IX; COLLET, *De Confirm.*, c. VII; MANSI, *Epitome*, v. *Confirmatio*; S. ALPHONSUS, l. c.; BOUVIER, *De Confirm.*, c. VII, a. I; GOUSSET, II, 144; LANZONI, *De Confirm.*, c. II, a III, § II; VITASSE, *De Confirmatione*, p. IV, a. II, sect. II; GAZZANIGA, *De Confirm.*, c. postremum; GAUME, *Catechismo di perseveranza*, p. IV, Lez. XXXV; COSTANTINI, III, 675.

cepit ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, nempe Spiritum Sanctum (1); Apostoli autem omni studio satagebant ut recens baptizatis imponerentur manus, nempe ut per Confirmationis Sacramentum Spiritum Sanctum acciperent (2), quae Apostolorum sollicitudo persuasionem ingerit, in ipsa huius Sacramenti institutione Christum Apostolis praecepisse ut illud conferrent, fidelibus vero ut susciperent. Addunt Urbani Pontificis iussum: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut plane christiani inveniantur* (3). *Catechismus R.*, postquam asseruit Sacramentum hoc non esse necessitate medii necessarium, haec subdit: *A nemine tamen praetermitti debet, quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est* (4). In *Rituali R.* decretum insertum fuit S. Congregationis de Propaganda fide a Clemente XIV approbatum, in quo haec verba leguntur: *Etsi hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest aut negligi, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio* (5). Demum, nonne iubemur omnes in id contendere ut christiani hominis forma in nobis perfecte absolvatur, Christo dicente: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* (6)? Atqui ad hanc perfectionem consequendam Confirmatio, quasi medium ordinarium, instituta est: propterea eodem praecepto quo quis ad finem contendere debet, medium arripiat oportet quod ad illum obtinendum divinitus est institutum. Ad haec liceat nobis animadvertere, Tridentinum Concilium definivisse, novae legis Sacramenta esse necessaria, licet non omnia singulis (7): debet ergo Confirmatio aliquibus in re vel saltem in voto esse *per se* necessaria, non *per accidens* tantum, nam si per accidens tantum quandoque necessaria fieret, Concilii definitio superflua videretur, cum quodvis opus bonum, immo et indifferens, possit per accidens necessarium esse.

Oppositae sententiae, quarum hactenus momenta pensavimus, fortasse inter se conciliantur si dicamus, praeceptum Confirmationem suscipiendi non esse *per se* grave (plerique etiam prioris sententiae patroni fatentur, sine levi culpa Sacramentum hoc non respui aut

(1) *Act.*, I, 4.

(2) *Act.*, VIII, 14-17; XIX, 5-6. In Syllabo propositionum modernistarum quas Pius X per Decretum *Lamentabili* diris devovit haec censetur: *Nihil probat ritum sacramenti Confirmationis institutum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, Baptismi scilicet et Confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.*

(3) III p., Decreti, Dis. V, can. I.

(4) P. II, c. III, n. XIV.

(5) Appendix in usum Missionarium, *De Sacram. Confirmationis.*

(6) Matth. V, 48.

(7) Sess. VII, *De Sacram.*, can. IV.

praetermitti), attamen saepe posse per accidens gravem obligationem inducere: vix enim unquam in vitae curriculo Christi stipendia merenti, serius ocius, necessitas deerit fidem suam defensandi adversus hostes clam palamve insidias illi parantes; porro autem ad fidei praesidium Sacramentum hoc fuit institutum (1). Quod videtur et S. Thomas innuere, qui prolatis his verbis Hugonis a S. Victore: *Omnino periculosum esset, si ex hac vita sine Confirmatione migrare contingeret*, subdit: *Non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur* (2). Non abs re putamus *Codicis pontificii iuris* verba referre: *Quamquam hoc Sacramentum, non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere* (3).

508. — Resp. ad II Q. I° Ut valide quis confirmetur debet 1° baptizatus esse, nam nisi per Baptismum nemo fit idoneus ceteris Sacramentis suscipiendis; 2° nondum confirmatus, Confirmatio enim iterari nequit, cum sit Sacramentum characterem imprimens; 3° si adultus, intentionem saltem habitualem animo gerat oportet Sacramentum recipiendi, ut alias diximus (4).

II° Ut licite ministretur 1° non debet ex hodiernis Ecclesiae moribus plerumque ante aetatem discretionis, idest septennium, Sacramentum hoc conferri (5). *Ex hodiernis Ecclesiae moribus* nam olim illico post Baptismum infantes Chrismate signabantur. *Plerumque*, nam ob iustam causam fas est aetatem illam praevenire, ut puta si in vitae discrimine puer versetur, vel si ob futuram Episcopi absentiam praevideatur diutius Sacramento cariturus (6). 2° Cum Confirmatio sit Sacramentum vivorum, nisi in statu gratiae suscipi non debet: quocirca si lethalis peccati quis conscius est, illud per Poenitentiae Sacramentum vel per dolorem animi perfectum aboleat oportet (7). 3° Rudimenta fidei, ea potissimum quae Sacramentum suscipiendum respiciunt, pro sua aetate et intelligentia calleat necesse est (8). 4° Demum congruos afferat pietatis sensus eamque corporis munditiam ac decentiam quam postulat debita Sacramento reverentia (9). Ex antiquo probatoque Ecclesiae more confirmandus ieiunus Sacramentum suscipere iubebatur: qui mos passim obsolevit, praesertim

(1) Vide Lanzoni, *De Confirm.*, l. c.; Ferreres, *Epitome*, 694, et Génicot, II, 164.

(2) III^{a}, q. LXXII, a. VIII, ad 4^{um}.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 787.

(4) Ferraris, art. III, 31, 32, 39; S. Alphonsus, 176.

(5) *Catechismus R.*, n. XV.

(6) S. Thomas, l. c.; Ferraris, 38; Benedictus XIV, *De Syn.*, l. VII, c. X, 5, 6, 7; *Rituale R.*, appendix cit.; S. Alphonsus, 178.

(7) *Catechismus R.*, n. XVI; *Rituale R.*, append. cit.; S. Alphonsus, 179.

(8) Benedictus XIV, Constit. *Etsi minime*; *Rituale R.*, l. c.

(9) *Catechismus R.* et *Rituale R.*, ll. cc.

postquam vespertino tempore Confirmatio dari coepit. Attamen *Catechismus Tridentinus* Christi pastores monet, adultos Sacrum Chrisma suscepturos hortentur, incitent ad ieiunium servandum, studeantque laudabilem veteris Ecclesiae consuetudinem instaurare (1); propterea ut hoc fiat optandum est ac suadendum (2).

509. — Resp. ad III Q. Fabius, quinquennis adhuc, iure Confirmatione abstinuit. Bene etiam se gessit quum a Sacramento se sustinuit ne gravi sacrilegio se pollueret; potuisset tamen, confessario deficiente, per contritionis actum divinam gratiam recuperare. Quod autem plus semel occasionem neglexerit Sacramentum recipiendi, immo et instante morte respuerit, oppido culpandus: quamquam, si contemptus defuit aut scandalum ceterorum, aut grave sui detrimentum, lethalis culpae damnari nequit ob incertam praecepti gravitatem: quippe positivae legis dubiae obligatio non est urgenda.

CXXX.

Episcopus ad Emerentianam puellam domi aegrotantem accersitus ut eam sacri Chrismatis signaculo consignaret, cum neminem invenisset ad patrini munus obeundum a parentibus electum, iuvenem quemdam Martinum nomine, in eadem domo famulatus causa commorantem, ad hoc munus destinavit. Convaluit subinde puella, cumque ad aetatem nubilem pervenisset quin de spirituali cognatione cum Martino contracta a quopiam fuisset edocta, nuptias cum eo inire constituit. Pridie nuptiarum Aurelio sacerdoti se sistit exomologesim suam peractura. Aurelius, ea audita, statim animo reputans cognationis spiritualis impedimentum propositis nuptiis obesse, haeret incertus quid consilii capiat. Episcopus conveniri nequit ad dispensationem petendam, longius enim abest; nupturientes impedimentum ignorant: ignorat parochus, a quo in confirmatorum libro nupturientium nomina ex oblivione non fuerant descripta; ignorant et ceteri; si Emerentianae impedimentum detegat, timet a nuptiis recedere nolit et scandala excitentur; si tegat, timet ne infectum connubium tegendo cohonestet. Undique angustiae, ex quibus expedire se non valens, satius esse ducit silentio rem premere et sinere nuptiae ineantur.

Quaeritur I°. An in Confirmatione, etiam privatim conferenda, patrini sint advocandi?

Q. II°. Quae requiruntur ut patrini munus valide quis suscipiat?

Q. III°. Quae ut licite?

Q. IV°. An et cum quibus patrinus spiritualem cognationem contrahat?

Q. V°. Rectene Aurelius se gesserit?

(1) *Catechismus R.*, n. XVI, cui *Pontificale R.* concinit.

(2) Gousset, II, 146; Scavini, III, 96; Tanquerey, *De Confirmatione*, 114.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

510. — RESP. AD I Q. Vetustissimus in Ecclesia mos fuit, quemadmodum in Baptismo, ita et in Confirmatione conferenda patrinos advocandi. Hunc morem tridentina Synodus probavit et sanxit (1), eiusque rationem utilitatemque *Catechismus R.* hisce verbis belle tradit atque commendat: *Qui gladiatoriam dimicationem subeunt, alicuius indigent cuius arte et consilio doceantur, quibus ictibus ac petitionibus, salvis ipsis, conficere adversarium possint: quanto magis fideles, cum Sacramento Confirmationis, quasi firmissimis armis tecti ac muniti, in spirituale certamen cui aeterna salus proposita est descendunt, ducis ac monitoris indigebunt?* (2).

511. — RESP. AD II Q. In patrino [qui pro singulis confirmandis unus esse debet, ex sacrorum canonum institutis, quae a tridentina Synodo et iuris pontificii novissimo *Codice* firmantur (3)], ut munus suum obire valeat, haec requiruntur: 1° *Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;* 2° *nulli haereticae aut schismaticae sectae adscriptus, nec ulla ex poenis de quibus in can. 765 n. 2 per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam notatus* (scilicet non sit excommunicatus, aut infamis infamia iuris, aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus); 3° *non sit pater, mater, coniux confirmandi;* 4° *a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus;* 5° *confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat* (4).

512. — RESP. AD III Q. Ex eodem *Codice* ut quis licite ad patrini munus admittatur, oportet: 1° *sit alius a patrino Baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post Baptismum legitime confirmatio conferatur;* 2° *sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur;* 3° *serventur praeterea praescripta can. 766* (5). Haec autem sunt huius canonis praescripta: 1° *decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur;* 2° *non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti;* 3° *fidei rudimenta noverit;* 4° *in nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur*

(1) Sess. XIV, *De reformatione matrimonii*, c. 2.
(2) *Catechismus R.*
(3) Concilium Tridentinum, l. c.; *Codex iuris canonici*, can. 794, § 2.
(4) *Codex iuris canonici*, can. 795.
(5) *Codex iuris canonici*, can. 796.

venia Superioris saltem localis: 5° in sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia (1).

513. — Resp. ad IV Q. Tridentina Synodus spiritualem cognationem, quae latius ante patebat, ita contraxit, ut confirmatum et confirmantem eiusque parentes et tenentem non egrederetur, neque nuptiis impedimentum praestaret (2). Ex novissimo *Codice* ea tantum spiritualis cognatio nuptias dirimit quae ex Baptismo nascitur inter baptizatum et baptizantem ac patrinum (3). Impedimento tamen sublato, obligatio adhuc patrinum tenet, confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi (4).

514. Resp. ad V Q. Quamvis Emerentianam inter et Martinum spiritualis cognatio intercedat, post novum editum *Codicem* nuptiis coeundis iam nullum impedimentum creare quibat. Hinc neque opus erat Aurelio impedimentum (quod non aderat) Emerentianae aperire, neque ad Episcopum pro dispensatione confugere, neque angi animo ob scandali metum: immo potuisset forte, opportunitatem nactus, Emerentianam de sublato hodie impedimento docere, ne deinceps matrimonio contracto, illud irritum reputans propter cognationis impedimentum, angeretur animo, immo etiam ob erroneam conscientiam peccaret.

IN TRACTATUM

DE EUCHARISTIA

CXXXI.

Paulus sacerdos pyxidem consecrandam modo extra corporale relinquit, modo super corporali existentem ex oblivione non aperit, modo neque animadvertit a ministro super altare positam fuisse. Consummato Sacrificio, incertus an parvae hostiae consecratae sint vel minus, dubitat possitne adstantibus eas distribuere, vel iterum consecrare saltem sub conditione debeat, vel ipse sumere vel reponere altera die consecrandas.

Quaeritur I°. Quaenam materiae praesentia in Eucharistia conficienda requiritur, et quae in Sacerdote intentio?

Q. II°. Quid in singulis facti speciebus Paulo fuisset agendum?

(1) *Codex iuris canonici*, can. 766.
(2) Concilium Tridentinum, l. c.
(3) *Codex iuris canonici*, can. 1079 et 768.
(4) *Codex iuris canonici*, can. 797.

Quaestionum solutio.

515. — Resp. ad I Q. I° Ut formae Eucharistici Sacramenti suus sensus constet, omnino necessum est materia sit *praesens, certa et consecranti proxima*, nam pronomina *hoc*, *hic* materiam absentem, incertam, procul positam significare nequeunt. 1° *Praesens* ea dicitur, seu physice seu moraliter, quae percipitur vel percipi potest visu, tactu, aliove sensu, sive in seipsa sive in alio, puta in vase quo continetur, vel in cumulo cui substat. 2° *Certa*, hoc est per consecrantis voluntatem definita: quapropter si ex decem hostiis quinque consecrare velis quin eas designes, nullam consecrabis. 3° *Consecranti proxima*, quae proximitas communi prudentium iudicio aestimanda est: si ultra quinquaginta passus materia distet, invalida consecratio censetur; si citra viginti, valida; si inter hos et illos, dubia. Ceterum et materia inspicienda, quanta sit; nam modica et quae sensibus percipi vix potest, propius sit oportet ut valeat consecratio (1).

516. — II° Ad intentionem quod spectat, actualis non requiritur (ut alias diximus); virtualis sufficit, quae tunc adest quum sacerdos altare accedit eo animo ut illud omne consecret quod in corporali consecrandum prostat: propterea, nisi quidquam expressa voluntate excludat, quidquid sibi consecrandum offertur, consecratum habebitur. Diximus *in corporali prostat*, nam quia materiam extra corporale sitam consecrare vetitum est, neque sacerdos praesumendus illicitum patrare velle, propterea materia haec consecrata non erit, nisi sacerdos illam expresse consecrare voluerit (2). Id nobis probabilius; quia tamen sunt qui non improbabiliter secus opinantur, idcirco dubia saltem censenda consecratio et in alia Missa sub conditione renovanda (3).

517. — Resp. ad II Q. In prima facti specie controvertitur utrum pyxis tanquam consecrata sit habenda: nam ex uno capite, aderat consecrandi voluntas et materia praesens, ex altero consecratio materiae extra corporale positae illicita est (4). Quapropter si Pauli voluntas fuit nil consecrandi extra corporale, vel nil peragendi quod sine gravi piaculo fieri nequit, irrita erit consecratio; si haec voluntas defuit, erit consecratio dubia. Tali autem dubio extante, parvae ho-

(1) Laymann, l. V, tr. IV, c. II, 10-14; Sporer, *Theol. Sacram.*, p. II, c. III, 166-178; Busembaum apud La Croix, l. VI, p. I, 442 et S. Alphonsum, VI, 211-217; Benedetto XIV, *Del S. Sacrifizio della Messa*, sez. II, nn. CLIV-CLIX. Sebastiani (in *Summario*, 439 nota) haud immerito dubitat, an materia ad viginti passus posita praesens censeri queat, quippe ex communi dicendi usu res a nobis ita distans per pronomina *hic, hoc* iam designari non solet.

(2) Sporer, 169; La Croix, 448; Habert, *De Eucharistia*, c. IV, q. 9; S. Alphonsus, 217.

(3) Mansi, *Epitome*, v. *Missa*; Tanquerey, *De Eucharistia*, 135; Génicot, 174; Sebastiani, l. c.

(4) Vide S. Alphonsum, 217; Lehmkuhl, II, 168.

stiae sub conditione in alio Missae Sacrificio consecrandae fuissent (1); vel melius (auctore S. Alphonso) statim a sacerdote sumendae post ablutionem calicis, si commode ab eo sumi poterant (2). In secunda facti specie consecratio valuit, praesens enim aderat materia ratione vasis eam continentis, aderat et virtualis consecrandi intentio. In tertia specie consecratio non valuit, quia voluntas in id non fertur quod ignoratur: excipe si antea Paulus destinasset id omne consecrare quod sibi fuisset in corporali propositum. Ex his facile resolves, quando Paulus hostias in pyxide contentas distribuere potuisset, quando vero debuisset ipse sumere vel reponere altera die consecrandas; certe autem eas sub conditione iterum consecrare, consummatione Sacrificii iam peracta, sacrilegum esset, quia nunquam licet unam speciem ab altera seorsum consecrare, nisi fiat ad Sacrificium perficiendum; neque fas esset eas adstantibus distribuere, deciperentur enim et *materialis*, quam vocant, idololatriae occasio illis praeberetur (3).

CXXXII.

Delphinus sacerdos, dum sacris operatur, saepe apud se non est: hinc modo parem vini et aquae quantitatem in calicem infundit, modo vinum sine aqua, modo aquam sine vino, semel omphacium adhibuit, semel vinum acetosum, semel faeculentum.

Quaeritur: Quid Delphino fuisset agendum, errore detecto?

Quaestionis solutio.

518. — Resp. ad Q. Ex antiquo Ecclesiae praecepto in Eucharistiae confectione aliquantula aqua vino permiscenda est, ob mysticam significationem: quod praeceptum, fatentibus omnibus, sine gravi culpa frangi nequit (4). Ad praeceptum implendum una vel altera aquae gutta sufficit, nam in decreto Eugenii IV dicitur *paululum aquae, aqua modicissima*. At si quaeras, quanta aqua infundi possit quin vinum depravetur et consecratio irrita fiat, non una omnium sententia est. Convenit per dimidiam aquae partem vinum corrumpi (5); at infra

(1) Benedetto XIV, op. cit. n. CLVII.

(2) S. Alphonsus, l. c.

(3) D'Annibale, III, 391; Gury, *Casus*, II, 263; Tanquerey, l. c.; Génicot, II, 179, Scholion.

(4) Eugenius IV, *Decr. ad Armenos*; Conc. Tridentinum, sess. XXII, *De sacrif. Missae*, c. VII; Laymann, l. V, tr. IV, c. II, 7; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. III, 29-31; La Croix, l. VI, p. I, 438; S. Alphonsus, VI, 208; Benedetto XIV, *Del S. Sacrifizio della Messa*, sez. I, n. CLXVI; Génicot, II, 172. Rationes ob quas vino est acqua miscenda effert S. Thomas, III^{a}, q. LXXIV, a. VI; easdemque commemorant Florentina Synodus in *Decreto pro Armenis*, et Tridentina, sess. XXII *De Sacrificio Missae*, c. VII.

(5) Theologi infra citandi.

dimidiam quaenam pars admisceri queat, disconvenit. Alii namque opinantur octavam aut decimam vini partem excedere non oportere (1); alii quintam vel sextam (2); alii tertiam (3); in quam postremam opinionem aegre concedere valemus, etiamsi vinum generosum esset, quamobrem saltem dubiam putamus habendam esse consecrationem (4). Nunc ad Delphinum eiusque errores corrigendos.

Et I° si ante sacratae Hostiae sumptionem Delphinus animadvertit parem aquae et vini quantitatem in calicem infudisse, ne Sacrificium imperfectum evaderet, debuisset aliud vinum in calicem infundere et consecrare, incipiens a verbis *Simili modo* etc. (5). Quod si sumpta iam Hostia errorem detexit, sunt qui putant nihil amplius esse faciendum vel satis esse vini speciem afferre et consecrare: nam si denuo utraque species afferatur et consecretur, novum Sacrificium perficitur, priore imperfecto relicto (6). At ex *Rubricis Missalis* aliae species efferendae sunt et consecrandae: vel saltem species vini, si forte scandali periculum adsit: et quia eiusmodi *Rubricae* praeceptum includere censentur (7), ab iis non esse recedendum putamus (8).

II°. Si ante consecrationem calicis animadvertit aquam vino non miscuisse, paululum aquae debuisset in calicem fundere, quia praeceptum tam grave est ut nunquam liceat sine aquae mixtione vinum consecrare; quod si errorem detexit calicis consecratione peracta, nihil agendum, quia aqua est adiungenda necessitate praecepti non Sacramenti, et vino miscenda, non Sanguini Christi.

III°. Aqua sine vino cum sit materia inepta, consecratio irrita cessit; propterea debuisset Delphinus ad errorem corrigendum ita se gerere quemadmodum de primo eius errore superius dictum est (9).

(1) Laymann, 9.

(2) Lugo, disp. IV, 38; La Croix, 439; Tanquerey, 132; Ferreres, *Epitome*, 700.

(3) Busembaum (apud S. Alph. 208); Alasia, *De Eucharistia*, c. IV, a. II, 16; Bouvier, *De Euch.* p. I, c. II, a. III.

(4) S. Alphonsus, 210; Lehmkuhl, II, 165.

(5) *Rubricae Missalis*, *De defectibus in celebr. Missae*, IV, 3, 6.

(6) Suarez cum Soto, *De Eucharistia*, disp. LXXXV, sect. I.

(7) S. Alphonsus, *Praxis*, 112. Non eadem rubricarum omnium obligatio est, aliae quippe sub gravi sunt servandae (eiusmodi censentur quae vetant sine dispensatione Missam operto capite celebrare, sive pileolo sive adscititia coma caput tegatur), aliae sub levi (eiusmodi sunt quae vocis modulationem, capitis vel genu flexiones praecipiunt, a quibus servandis nonnunquam excusare potest senectus, infirmitas virium aliave probata causa. Hac de re plura videre potes apud S. Alphonsum, l. VI, nn. 397-416 et Lehmkuhl, II, 330-339.

(8) Gury, *Casus*, II, 360; D'Annibale, III, 392.

(9) *Rubricae Missalis*, 4, 5.

IV°. Omphacium, liquor nempe ex uvis immaturis expressus, vini naturam nondum induit sed *est in via generationis*, ut ait S. Thomas; propterea Sacramentum ex eo confici nequit (1).

V°. Vinum acetosum, nempe quod nondum in acetum transiit, quamvis plus minus acescat, materia valida vel dubia esse potest pro diverso acoris gradu: propterea si prudenter dubitaverit de valida consecratione, debuisset Delphinus aliud vinum sub conditione consecrare. Ceterum non licet acescens adhibere vinum, nisi acrimonia sit levis aliudque vinum ad sacrum peragendum deficiat (2).

VI°. Demum, quamvis ob Sacramenti reverentiam sit illicitum non defaecatum vinum consecrare, consecratio tamen valida est, quippe faeculentum vinum vere vinum est (3). *Prohibetur ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur* (ita Doctor Angelicus), *quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri, dicitur enim a Iulio Papa:* **si necesse fuerit, botrus in calice comprimatur** (4).

CXXXIII.

Sylvius sacerdos, quum Christi Corpus et Sanguinem consecrat, haec tantum verba usurpare solet: *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei;* et si quando ob errorem aliquem consecrationem instaurare necesse habet, omissis verbis *Qui pridie* etc., ac *Simili modo* etc., illam de more absolvit. Praeterea tam submisse consecratoria verba profert ut nec ipse ea percipiat.

Quaeritur I°. An valide et licite Sylvius Sacramentum conficiat?

Q. II°. An accepta Missarum stipendia retinere valeat?

Quaestionum solutio.

519. — Resp. ad I Q. Forma in conficiendo Christi Corpore et Sanguine servanda hisce verbis continetur: *Hoc est enim corpus meum, Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (5). Verba *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei* vel *sanguis meus*, ad essentiam formae omnia et singula pertinere, nemo (Catharino excepto) inficiatus est: quippe si vel unum demas, formae sensus non constat et Sacramentum ad irritum cedit. Convenit etiam, voculam *enim* ad formae essentiam non pertinere, nam etsi eam praetermittis, formae sensus integer perseverat: omitti tamen

(1) S. Thomas, III^{a}, q. LXXIV, a. V, ad 3^{um}; Voit, II, 280: D'Annibale, III, 385. Vide dicta superius, n. 457.

(2) S. Alphonsus, 206; Costantini, 688.

(3) Clericatus, *Erotemata*, c. CXVII, n. 9; S. Alphonsus, 131; Génicot, 171.

(4) III^{a}, q. LXXIV, a. V, ad 3^{um}.

(5) *Rubricae Missalis, De Defectibus*, V, 1.

nequit sine peccato, quod plerique veniale putant, si contemptus desit (1), nonnulli lethale (2). De ceteris verbis *Novi et aeterni testamenti* etc., disceptatum fuit. Pauculi ad formae essentiam ea pertinere arbitrati sunt, praesertim ob auctoritatem S. Thomae scribentis: *Dicendum, quod omnia praedicta verba sunt de substantia formae, sed per prima verba cum dicitur:* **Hic est calix sanguinis mei,** *significatur ipsa conversio vini in sanguinem; per verba autem sequentia, designatur virtus sanguinis effusi in passione, quae operatur in hoc Sacramento* (3). Verum communissima ac fere certa sententia est, ea verba ad Sacramenti vim non requiri, tum quia, iis etiam detractis, formae sensus plane constat; tum quia in graecis liturgiis et in quibusdam ab Ecclesia latina approbatis illa verba desiderantur, tum ex analogia cum forma consecrationis panis, in qua verba *Quod pro vobis tradetur* ad essentiam formae non pertinere in omnium confesso est. Quid? quod et in SS. Literis Eucharistiae institutionem referentibus verba haec *mysterium fidei* et *aeterni* non leguntur? Hoc ipsum ratione theologica suadetur: nempe illa verba ad essentiam huius Sacramenti necessaria sunt quae Sacramenti effectum, videlicet conversionem panis et vini in Christi Corpus et Sanguinem significant; atqui significatio haec in prioribus verbis tantum inest: ergo cetera non sunt necessaria (4). Hac ratione utitur et *Catechismus R.* (5). At quia prior sententia non omni probabilitate destituitur, propterea si posteriora verba omitti contigerit, docet S. Alphonsus integram formam sub conditione repetendam esse (6). Demum verba *Qui pridie* et *Simili modo* certo certiús historice proferuntur et consecratoria non sunt; neque ex eo quod *Rubricae Missalis* praeci-

(1) Sporer, *Theol. sacram.*, p. II, c. III, 190; Bonacina, *De Eucharistia*, disp. IV, q. III, p. I, 9; Voit, II, 298; Lehmkuhl, II, 170; Ferreres, *Epitome*, 704.

(2) S. Alphonsus, VI, 220 cum Concina et Roncaglia.

(3) III^{a}, q. LXXVIII, a. III. Ceterum de S. Doctoris mente inter eius discipulos disceptatur: sunt enim qui cum Caietano et Dominico Soto censent posteriora formae verba ad eius *perfectionem* potius quam ad *substantiam* pertinere ex Magistri sententia. Vide Natalem Alexandrum, *De Eucharistia*, c. I, a. IV, Regula III.

(4) S. Bonaventura, in IV *Sent.*, dist. VIII, p. II, a. I, q. II; Laymann, l. V, tr. IV, c. III, 1; Sporer, 182, 183; Lugo, *De Eucharistia*, disp. XI, sect. IV; Bonacina, p. II, 1; Alasia, *De Eucharistia*, diss. I, c. VI; Voit, II, 260; Benedetto XIV, *Del S. Sacrifizio della Messa*, sez. I, nn. CCLI-CCLIII; Tanquerey, *De Euchar.*, 141; Lehmkuhl, II, 171; Lanzoni, *De Euch.*, p. II, sect. III, *De Eucharistiae forma*; Sebastiani, *Summarium*, 438.

(5) P. II, c. IV, 19, 22.

(6) S. Alphonsus, 223. Putat Lehmkuhl ob aliquam omissionem vel errorem in posterioribus formae verbis non esse consecrationem, ne sub conditione quidem iterandam, quia tanquam moraliter certa habenda est; verum a communiore et tutiore sententia recedendum non putamus.

piunt dubitanti de consecratione verba resumere incipiendo a *Qui pridie* et *Simili modo*, iure videtur inferri horum verborum necessitas ut consecratio valeat, non enim omnia quae per Rubricas praecipiuntur tamquam necessaria ad validam consecrationem sunt praecepta (1). Ceterum sine gravi peccato haec quoque verba praetermitti non posse, nemo est qui ambigat.

520. — Cum Sacramentum sit signum sensibile, eius partes (materia nempe ac forma) sensibus obnoxiae sint oportet: quocirca verba consecratoria ita sunt proferenda ut a sacerdote consecrante percipiantur, vel (quovis exteriori strepitu auriumve vitio quo forte ipse laboret remoto) percipi queant. Hinc si tam submissa voce quis ea proferat ut neque a se ipso audiri possint, invalida vel saltem dubia erit consecratio (2).

521. — Post dicta facile est de Sylvio iudicare. Qui, quamvis omittens verba *Novi et aeterni testamenti* etc., probabilius valide consecret, attamen quia probabilitate, licet tenui, contraria sententia non caret, propterea consecratio dubia evadet, ideoque sub conditione est iteranda. Item dubia censenda, quum ad errorem corrigendum consecrationem resumit, non equidem ob omissa verba *Qui pridie* et *Simili modo*, sed quia *de more* (nempe omissis ceteris formae verbis) consecrationem instaurat. Demum et submissa voce formam proferens, ita ut seipsum non audiat, Sylvius dubie conficit Sacramentum. In his autem omnibus eum graviter peccare (nisi forte ob omissam voculam *enim*) manifesta res est.

522. — Resp. ad II Q. Missae stipendium pro valida Sacrificii oblatione sacerdoti tribuitur, quapropter stipendium accipiens ex iustitia validum Sacrificium offerre debet. Cum autem Sylvius dubie consecret, obligationi suae non satisfacit, non enim solvitur obligatio certa per satisfactionem dubiam. Neque dicas, ob damni periculum hinc inde existens fas esse Sylvio pro rata dubii parte Missarum stipendia retinere: etenim cum ipse culpabilis auctor fuerit ut dubium oriretur, debet ex integro alterius damnum reparare, quippe culpa suum tenere debet auctorem (3). Sylvius ergo accepta stipendia iis reddat opertet qui dederunt, vel Sacrificiis dubie validis certa sufficiat, vel a S. Sede indultum obtineat.

(1) Lugo, *De Euch.*, disp. XI, 39; Alasia, l. c., 10; Lehmkuhl, 173; Gousset, II, 182. In quo a S. Alphonso (222) nobis liceat dissentire, qui quamvis *communiorem* et *probabilissimam* vocet sententiam nostram, contrariam tamen, quae Soti est, *non improbabilem* retur: cum enim *Rubricae Missalis* (l. c.) consecrationis formam in verbis *Hoc est enim* etc., *Hic est enim* etc. expresse constituant, certa erit consecratio etiamsi *Qui pridie* et *Simili modo* omittantur.

(2) S. Alphonsus, 414; Lehmkuhl, 333.

(3) Vide opusculum, *De regulis conscientiae*, 40.

CXXXIV.

Aurelius nocte Nativitatis Domini Sacrum faciens, sumpto Christi sanguine, inconsiderate ablutionem calicis sumit et ieiunium frangit; cum autem nullus sit in paroecia sacerdos, ne plures in tam solemni festo priventur Sacro et murmura in populo cieantur, iterum in die Sacrificium offert. Alias cum post mediam noctem potaverit, audiens aegrotum quemdam sacro Viatico muniendum esse, neque ullam extare Hostiam consecratam, Missam celebrat ne sine Viatico aegrotus decedat.

Sabinus, utraque ablutione suscepta, modo ante modo post reditum in sacrarium, immo quandoque sacerdotalibus indumentis iam positis, fragmenta consecrata sumit, semel etiam integram Hostiam in corporali repertam. Alias vini guttulas calici per gyrum adhaerentes, sive ante sive post sacri Sanguinis sumptionem, purificatorio abstergit.

Quaeritur I°. Quandonam sacerdoti non ieiuno liceat sacris operari?

Q. II°. Rectene uterque sacerdos se gesserit?

Quaestionum solutio.

523. — Resp. ad I Q. Cum praeceptum servandi ieiunium ante Eucharistiae sumptionem neque naturale sit neque divinum, quippe quod ab Ecclesia constitutum fuit, in aperto est eius vim relaxari posse si quando cum praecepto superioris ordinis, divino scilicet vel naturali, in conflictationem veniat. Quod multifariam contingere potest.

I°. Ob reverentiam Sacramenti; nempe si periculum sit ne consecratae species in incendio pereant, vel in hostium, infidelium, impiorumve manus incidant et male tractentur, vel decenter servari nequeant (1).

II°. Ob grave damnum imminens, veluti si mors, infamia, scandalum et his similia mala ex omissa Sacrificii celebratione sacerdoti obventura timeantur (2). Latere tamen debet ceteros, sacerdotem fregisse ieiunium, secus nedum vitaretur scandalum, praeberetur magis.

III°. Ob necessitatem Sacrificii perficiendi: nam humano praecepto ieiunium servandi divinum praestare debet integrandi Sacrificium (3). Hinc fas est sacerdoti qui, altera vel utraque specie consecrata, me-

(1) Laymann, l. V, tr. IV, c. VI, 22; Bonacina, disp. IV, q. VI, p. II, 17, 18; Sporer, *Theol. sacram.*, p. II, c. VI, 477; Alasia, *De Euch.*, diss. I, c. XI, a. II, 20; S. Alphonsus, VI, 287; Lehmkuhl, II, 223. Vide et *Codicem iuris canonici*, can. 858.

(2) Laymann, 22; Sporer, 479, 480; Alasia, 21; S. Alphonsus, 287; *Homo apost.*, tr. XV, 35; Sebastiani, *Summarium*, 448.

(3) Navarrus, *Enchiridion*, c. XXV, 86; Laymann, 21; Bonacina, 19, 20; La Croix, l. VI, p. II, 544, 547, 548; Sporer, 476; S. Alphonsus, 288; Sebastiani, l. c.

minerit se non esse ieiunum, pergere ne Sacrificium inchoatum mutilum fiat. Item si, absumpto calice, aquam vini loco animadvertat in calice positam fuisse. Hoc ipsum obtinet si de alieno Sacrificio integrando agatur, puta si ob subitam mortem, deliquium animi, aliumve repentinum morbum sacerdos post consecrationem unius vel utriusque speciei, vel post unius sumptionem, Sacrificium abrumpere cogatur. Demum, si reliquiae superfuerint proprii Sacrificii, potest sacerdos non ieiunus eas consumere, etiam Sacrificio peracto et sacrarium ingressus, modo sacras vestes non exuerit: et si alieni Sacrificii fuerint, vel a sacerdote ieiuno consumi nequeant, aut reponi et in alteram diem decenter servari, adhuc a non ieiuno sumi possunt, quia ieiunium humana lege constitutum divinae ac naturali legi cedat oportet quae Sacramenti reverentiam sartam tectam volunt (1). De his vix ulla quaestio: duo autem sunt de quibus quaestio movetur, nimirum an sacerdos ante consecrationem memor fracti ieiunii a Sacrificio peragendo sustinere se debeat, et an possit ad infirmum sacro Viatico roborandum Missae Sacrificium celebrare. De utraque quaestione pauca.

524. — Priori quaestioni respondet S. Thomas: *Si ante consecrationem sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis, quod Missam incoeptam desereret, nisi grave scandalum timeretur* (2). Et quia si Missa privatim celebretur vix scandali periculum timeri potest, hoc in ea servandum. At si publice Missa celebretur, raro accidere potest ut Missae abruptio admirationem, suspiciones, dicteria, murmura, scandala non excitet, praesertim si festo die Sacrificium offeratur et populus intersit praecepto satisfacturus. Excipe si sacerdos adeo sit vitae integer et famae, ut, monito populo de innoxia ieiunii fractione, eiusmodi incommoda nullatenus sint timenda (3). Attamen, si festo die plebis christianae expectatio frustretur, incommoda haec vix unquam aberunt. Immo sunt qui non immerito opinantur, a Missae Sacrificio celebrando nunquam esse desistendum, quovis die etiam non festo Sacrificium publice peragatur, quia memorata incommoda semper sunt pertimescenda (4).

Alteri quaestioni communius et probabiliter theologi respondent, non licere sacerdoti qui ieiunium fregit Sacrum facere ut aegroto Viaticum tribuat, tum quia non agitur de Sacramento omnimodae necessitatis; tum quia, quando sine reverentia confici nequit, obligatio illud sumendi cessat, tum quia communis consuetudo ita fert. Excipiunt

(1) *Rubricae Missalis, De Defectibus*, etc., VII, 2, 3; Laymann, 22; Sporer, 477; S. Alphonsus, 288; Benedetto XIV, *Del S. Sacrifizio della Messa*, sez. II, nn.CXLVI,CXLV; Lehmkuhl,II, 192; Génicot, II, 202bis; Ferreres, *Epitome*, 730.

(2) III^{a}, q. LXXXVII, a. VI, ad 2^{um}.

(3) Laymann, 21; Sporer, 476; S. Alphonsus, 287; Voit, II, 378; Gousset, II, 195; Ballerini-Palmieri, tr. *De Euchar.*, 172; Tanquerey, *De Euchar.*, 165.

(4) Génicot, II, 202bis cum Ballerinio.

nonnulli, si aegrotus Poenitentiam et Extremam Unctionem recipere nequeat, in quo eventu Eucharistia per accidens Sacramentum necessitatis evaderet, quo iuvante aegrotus ex attrito contritus fieret (1). At, si quid videmus, vix talia rerum adiuncta fingi queunt in quibus Eucharistiam quisquam suscipere valeat non autem poeniteri et absolvi. Ceterum sunt qui valde probabiliter in universum affirmant, sacerdoti non ieiuno fas esse Sacrum facere ad aegrotum in proximo vitae periculo positum Viatico reficiendum. Sane eucharistici ieiunii lex ab Ecclesia constituta fuit, ut sive in Eucharistia conficienda sive in ea sumenda servaretur Sacramento reverentia. Iamvero, quemadmodum Ecclesia legem suam solvit, indulgens aegroto ut sine irreverentia Sacramentum non ieiunus accipiat, ita aequum est et Ecclesiae benignitati maxime congruens legem suam solvat, sacerdoti indulgens ut non ieiunus Sacramentum conficiat ad subveniendum christiano homini ut divinum impleat praeceptum, ad dimicandum contra daemonem eiusque impetus frangendos roboretur, solamen et auxilium recipiat ad animi angores doloresque corporis perferendos ac vitae curriculum feliciter perficiendum (2).

525. — Resp. ad II Q. Si nemine animadvertente Aurelius calicis lotionem sumpserat (quod vix credibile est si in publico templo coram populo Sacrum fecit), potuit iterum in die Sacrificium peragere, tum ne plures e populo Missae beneficio privarentur, tum ad dicteria, suspiciones, murmura et scandala vitanda. Si vero ceteris conspicientibus ieiunium fregerat, a Sacrificio iterando sustinere se debuit, ne scandalum praeberet, monito tamen populo, eos a praecepto Missam audiendi eximi qui nondum audissent. Sunt etiam nonnulli qui sat probabiliter putant, scandalum sat removeri posse si doceatur populus, in tali eventu Ecclesiam permittere sacerdoti non ieiuno sacris operari (3). Quod autem Aurelius, probabilem secutus sententiam, fracto ieiunio Sacrum fecerit ne sineret aegrotum sine Viatico decedere, non ei succensebimus. Quippe Ecclesiae lex ieiunium sacerdoti praecipiens non tam severe urgenda videtur ut ad eam servandam periculo nos committamus privandi hominem Sacramento maxime salutari, forte etiam ei necessario. Talibus in adiunctis putamus humanae legis vim saltem incertam effici, proindeque legis obligationem deficere.

(1) Navarrus, *Enchir.*, XXV, 87; Laymann, 21; Sporer, 478; Bonacina, 24; S. Alphonsus, 286; Benedetto XIV, op. cit. n. XCIX; Lehmkuhl, II, 222; Gousset, 196.

(2) Hanc sententiam probabilem habuere, Lugo, disp. XV, 67; Collet, *De Euch.*, p. I, c. VI; S. Alphonsus, 285; Gousset, l. c.; Lehmkuhl, 222; Sebastiani, l. c.; Génicot, 202bis; Ferreres, l. c. D'Annibale (III, 411) hanc sententiam tuto posse teneri docet, si lateat sacerdotem non esse ieiunum; secus minime, propter scandalum.

(3) Gobat, apud La Croix, l. VI, p. I, 572; Voit, II, 377; Lehmkuhl, *Casus*, II, 171.

Fragmenta sui Sacrificii etiam in sacrario, necdum sacerdotalibus indumentis positis, Sabino consumere licet, quippe quae ad Sacrificium perficiendum pertinent; alterius vero Sacrificii fragmenta et integram Hostiam in ciborium reponere et servare debet a ieiuno sacerdote consumenda. In utraque tamen facti specie licebit ea sumere, si reverenter nequeant servari. Vini guttulae calici extrinsecus adhaerentes non censentur consecratae, propterea abstergi possunt; de iis vero quae intra calicem sunt, disceptatur. Alii proximiores liquori consecratas autumant, alii omnes, alii nullas: ex mente consecrantis tota res pendet, et si de ea non constat, dubia erit habenda consecratio; propterea vel cum sacro Sanguine vel cum prima ablutione sumenda erunt (1). Ceterum, tum ut Sacramenti reverentiae caveatur, tum ut anxietates eximantur et scrupuli, expedit nolle consecrare nisi compactam vini massam in calice positam, guttulis exclusis.

IN TRACTATUM
DE POENITENTIA

CXXXV.

Macrobius senex, Eusebio sacerdoti suam exomologesim faciens, confitetur se plura eaque gravia patrasse peccata, sed ob fluxam memoriam aliquorum species, aliquorum et genus sibi prorsus excidisse. Eidem sacerdoti confitetur Faustina, puerili aetate se plura peccasse quorum deinceps turpitudinem cognovit; ancipitem esse an pravis cogitationibus quandoque consenserit; interioribus Dei vocibus identidem pronam aurem non praebuisse. Eusebius, ratus sufficientem Sacramento materiam deesse utrumque dimisit.

Quaeritur I°. Quaenam sit materia remota necessaria Sacramenti Poenitentiae, quae vero sufficiens?

Q. II°. An materia necessaria vel sufficiens sint peccata dubia, peccata secundum genericam peccati rationem cognita, peccata iam dimissa ac morales defectus qui imperfectiones vocantur?

Q. III°. Rectene Eusebius se gesserit?

Quaestionum solutio.

526. — Resp. ad I Q. Cuiusvis Sacramenti natura (ut monuimus alias) singularis est: Poenitentiae autem Sacramentum hoc singulare habet, ut instar iudicii sit institutum. Porro materia remota, circa

(1) S. Alphonsus, 215; Benedetto XIV, op. cit., n. CXVIII; Gury, II, 284; Gousset, II, 278; Tanquerey, *De Sacram.*, 135; Génicot, 174; Lehmkuhl, 166.

quam sacramentale iudicium versatur, sunt peccata virtute Sacramenti delenda: *ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quae vi ignis consumuntur* (ad rem *Catechismus Romanus*), *ita peccata quae poenitentia delentur, recte huius Sacramenti materia vocari possunt* (1). Ex peccatis autem quaedam necessariam materiam Sacramenti constituunt, quippe quae nisi per Sacramentum deleri non possunt: quaedam vero materia sufficiens sed libera sunt, quia eorum venia etiam sine Sacramento potest obtineri.

I°. Materia necessaria sunt omnia peccata mortalia post Baptismum admissa, necdum directe per Sacramentum remissa. Dicimus 1° *omnia peccata mortalia*, quod conficitur auctoritate Concilii Tridentini definientis, *in Sacramento Poenitentiae necessarium esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia*; et docentis, *Christum Dominum sacerdotes sui vicarios constituisse tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quae Christifideles ceciderint* (2). Re enim vera, cum Christus Ecclesiae potestatem clavium contulerit, scilicet potestatem aperiendi caelum vel claudendi, ligando vel solvendo, remittendo peccata vel eadem retinendo (3); peccata autem mortalia ea sint quae caeli ingressum obstruunt, in aperto est nisi per huiusmodi potestatem mortalia remitti non posse. 2° *Post Baptismum admissa*; nam peccatum originis et actualia ante Baptismum patrata vi Baptismatis delentur, quod *in remissionem peccatorum* institutum fuit, secundum illud: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum* (4); cumque ante susceptum Baptismum homo nondum in Ecclesiam sit cooptatus, eius potestati non subditur, dicente Apostolo: *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* (5). Quaestio moveri potest de peccato in ipsa Baptismi susceptione admisso, nimirum, utrum peccatum illud, obice per attritionem remoto, vi suscepti Baptismi deleatur, an per absolutionem sacramentalem deinceps sit remittendum. Quam quaestionem aliter atque aliter theologi expediunt (6); nobis dicendum videtur, tale peccatum clavibus subiiciendum si post Baptismum susceptum prava peccantis voluntas perduravit, quippe quod hominis christiani peccatum est; secus, peccatis dubiis accensendum esse. 3° *Necdum directe per Sacramentum remissa*: cum enim Christus voluerit ut peccata omnia Ecclesiae cla-

(1) *Catechismus R.*, p. II, c. V, 13.
(2) Sess. XIV, can. VII et can. V.
(3) Matth. XVI, 19; XVIII, 18; Ioan. XX, 23.
(4) *Act.* II, 38. Vide et Symbolum Nicaenum.
(5) I *Cor.* V, 12.
(6) Videndi S. Thomas, III^a, q. LXIX, a. X; S. Bonaventura, in IV *Sent.*, dist. IV, p. I, a. I, q. 1; Suarez, *De poenit.*, disp. XXVIII, sect. V; Lugo, disp. XVI, sect. 1; S. Alphonsus, VI, 426; D'Annibale, III, 301; Tanquerey, *De Poenit.*, 351; Génicot, II, 260.

vibus subiicerentur. *Poenitentiae Sacramentum lapsis post Baptismum ad salutem necessarium est, ut nondum regeneratis ipse Baptismus,* quemadmodum Tridentina Synodus definivit (1). Quapropter peccata quae vi Sacramenti non fuere directe remissa, vi Sacramenti necesse est remittantur. Merito proinde ab Alexandro VII haec thesis n. XI proscripta fuit: *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans vitae periculum, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

II°. Materia sufficiens sed libera sunt peccata venialia et quae iam directe in Sacramento remissa fuerunt. 1° *Peccata venialia*, quae, Tridentino Concilio docente, *recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicuntur..., taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt* (2). Sane Christi verba *quaecumque solveritis, quorum remiseritis peccata*, omne genus vincula et peccata complectuntur, propterea et peccata venialia. Et quamquam venialia caelum in perpetuum non claudunt, claudunt tamen ad tempus, quatenus ingressum retardant in regnum caelorum, in quod nihil coinquinatum intrabit: quocirca et venialia virtute clavium removeri possunt (3). 2° *Quae iam directe in Sacramento remissa fuerunt*: quod conficitur tum ex communi doctorum consensu, tum ex perpetuo piorum usu tanquam saluberrimo ab Ecclesia probato (4). Quemadmodum enim peccatum dimissum iterum iterumque aversari possumus, de eo admisso tristari, pro eoque copiosiorem satisfactionem praebere, ita fas nobis est illud denuo clavibus supponere, ut eius remissio quodammodo firmetur uberiorque e Sacramento gratia hauriatur (5).

527. — Resp. ad II Q. I°. Peccatum trifariam potest dubium esse: nimirum vel quia, etsi certo illud admiseris, dubitas an illud confessus fueris; vel quia dubitas an fuerit mortale; vel quia dubitas an illud reipsa patraveris. Peccatum certe admissum et dubie vi Sacramenti remissum, materiam sufficientem Sacramento praebet; item peccatum certe admissum de cuius gravitate dubitatur; peccatum vero de quo incertum est an patratum fuerit, dubiam materiam constituit. Haec plana sunt. Quaestio autem est (quam alibi expendemus) an peccata eiusmodi necessario sint clavibus per confessionem subiicienda.

II°. Peccata sub generica peccati ratione cognita sufficientem Sacramento materiam, et quandoque necessariam praebent. Sane contingere potest, ut peccator in mortis discrimine positus, etsi gravis sceleris

(1) Sess. XIV, c. II.

(2) Sess. XIV, c. V.

(3) Suarez, disp. XVII, sect. II; disp. XVIII, sect. I; S. Alphonsus, VI, 425 et ceteri.

(4) Benedictus XI, decret. *Inter cunctas*, I, *De privilegiis*.

(5) Suarez, disp. XVIII, sect. I; Lugo, disp. XIII, 73; S. Alphonsus, 427.

conscius, eius speciem non recordetur vel declarare non valeat: in quo eventu, nemine dubitante, peccati genus confiteatur necesse est, vel saltem se peccasse. Potest ergo peccatum sub generica peccati ratione cognitum esse necessaria Poenitentiae materia, ideoque et sufficiens (1). Quod apertissime traditur in *Rituali R.* dicente: *Quod si confitendo, vel antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiat (confessarius) nutibus et signis conetur, quoad eius fieri potuerit, peccata poenitentis cognoscere; quibus vel* **in genere**, *vel in specie cognitis, vel* **etiam si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit,** *absolvendus* (2). Sunt equidem pauculi qui venialium confessionem generice factam nunquam licere contendunt, tum quia citra necessitatem certa materia Sacramento est praebenda, eiusmodi autem non sunt venialia generice tantum patefacta; tum quia ab Ecclesiae usu id prorsus alienum est (3). Verum, etsi damus, non esse certum an venialia generice patefacta sint materia sufficiens, nonne fas erit interdum, saltem sub conditione, pium poenitentem absolvere qui nequeat venialium species declarare, ut Sacramenti gratia roboretur?

III°. Peccata extra Sacramentum remissa per contritionem perfectam, item indirecte in Sacramento remissa quia oblita vel reticita fuere iusta de causa, Sacramento subiicienda sunt tanquam necessaria materia; illa vero quae semel directe remissa fuerunt, ad liberam materiam spectant, ut ex supra dictis palam est.

IV°. Morales defectus, vulgo *imperfectiones*, quippe qui consiliis adversantur non praeceptis, peccata non sunt; propterea neque necessariam neque sufficientem materiam Sacramento praestant. Per accidens tamen fieri potest ut imperfectiones aliquo peccato non careant, sive ob acediam, sive ob divinae vocis neglectum vel contemptum, sive ob malum exemplum ceteris praebitum; immo hoc etiam contingere potest, ut quod alteri nudum consilium est, alteri ex rerum adiunctis praeceptum importet (4). Idque Christus ipse innuisse videtur quum, adolescente pecunioso consilium perfectiorem vitae rationem

(1) Suarez, disp. XXIII, sect. I; Lugo, disp. XVIII, 8; La Croix, l. VI, p. II, 620; Laymann, l. V, tr. VI, c. II, 2; S. Alphonsus, 480; Voit, II, 542; D'Annibale, III, 302; Génicot, II, 262; Sebastiani, *Summarium*, 458.

(2) *De Sacram Poenitentiae.*

(3) Noldin et Lehmkuhl, II, 363, qui tamen titubanti, ac pene dixerim hiulco, loquitur sermone.

(4) Lugo, disp. XVI, 102; La Croix, 586; Lambertini, *Casus*, an. MDCCXXXIV, mense iunii; S. Alphonsus, 425; Voit, II, 540; Lehmkuhl, II, 360. Vide etiam Rosmini, *Epistolario ascetico*, vol. II, lett. 506 et 559. *Divina consilia* (ad rem S. Alphonsus, l. IV, 78, de religiosa vocatione loquens) *per se non obligant ad culpam; id tamen, ratione periculi aeternae salutis, cui se committet electionem status faciens non iuxta divinum beneplacitum, non potest ab aliqua culpa excusari.* Haec culpa quandoque gravis esse potest, quandoque levis, pro periculi ratione. Vide Génicot, II, 76 et 262.

ineundi detrectante, gravem hanc protulit sententiam: *quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt!* (1).

528.— Resp. ad III Q. Imprudenter Eusebius se gessit utrumque poenitentem dimittens, ratus Sacramento sufficientem deesse materiam. Nam si Macrobius certo cognoscit se gravia admisisse peccata, necdum ea fuisse confessum, etsi ob fluxam memoriam species eorum et genus oblitus fuerit, confiteri tamen debet se graviter peccasse, quippe gravia peccata (quamvis sub generica peccati ratione cognita) necessariam Poenitentiae materiam constituunt. Faustina autem interroganda fuisset, num peccatorum pueritiae turpitudinem penitus ignoraverit, vel tantum minus aperte calluerit; item an eius ignorantia omni culpa, vel gravi saltem, vacaverit. De consensu pravis cogitationibus praestito dubium oportuisset expendere, an scilicet inane et despiciendum vel probabile et solidum: dubio autem manente, vel sub conditione absolvenda fuisset, vel curandum ut certum aliquod peccatum confiteretur. Demum de interioribus Dei vocibus quibus Faustina non commodavit aurem, explorandum in primis fuisset, utrum illis vocibus ad consilium aliquod vel ad praeceptum servandum impellebatur; et si ad consilium tantum, an forte alio nomine ob neglectum consilium fuisset culpanda. Hisce inquisitionibus factis, sufficientem Sacramento materiam, sin minus necessariam, et in Faustina Eusebius forsitan deprehendisset.

CXXXVI.

Quirinus, audita de poenis aeternis concione, ad Poenitentiae tribunal perterritus confugit, ingenueque fatetur se ob gehennae metum Sacramentum accedere constituisse; praeterea et superiori tempore Sacramentum hoc suscepisse, modo ad conscientiae angores sedandos, modo ad inopinatae mortis metum pellendum ex frequentibus terrae motibus excitatum, modo ob peccati horrorem ex eius turpitudine vehementer animo concepta, quin ad Dei amorem respiceret deque vita in posterum emendanda quidquam decerneret. Confessarius, ratus anteactas confessiones ob doloris propositique defectum irritas fuisse, atque dolorem supernaturalem et in praesentia desiderari, Quirinum dimittit ut ad universorum criminum confessionem peragendam se praeparet.

Quaeritur I°. Quaenam sit proxima Poenitentiae Sacramenti materia?

Q. II°. An sola attritio cum Sacramento ad iustificationem sufficiat, quibusque dotibus praedita sit oportet?

Q. III°. An propositum novae vitae instituendae requiratur et cuiusmodi esse debeat?

Q. IV°. Quid de confessarii sententia iudicandum?

(1) Luc. XVIII, 24.

Quaestionum solutio.

529. — Resp. ad I Q. De proxima Poenitentiae Sacramenti materia diu multumque olim disceptatum fuit; non vacat nobis harum disceptationum historiam texere, cum hodie communis evaserit sententia docens, proximam huius Sacramenti materiam in poenitentis actibus constituendam esse, nimirum in contritione, confessione et satisfactione, ita tamen ut contritio et confessio ad essentiam, satisfactio vero ad Sacramenti integritatem pertineant (1). Quae doctrina in Florentini et Tridentini Conciliorum auctoritate potissime nititur. Nam Florentinum haec habet: *Quartum Sacramentum est Poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres partes distinguuntur, quarum prima est cordis contritio, secunda est oris confessio, tertia satisfactio pro peccatis* (2). Et Tridentinum: *Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres partes Sacramenti dicuntur, anathema sit* (3). Iamvero Sacramenta omnia materia et forma tanquam suis partibus constant; cum autem utrumque Concilium expresse doceat Poenitentiae formam in absolutionis verbis esse ponendam (4), reliquum est ut in poenitentis actibus, quos *partes* Sacramenti vocat, eius materiam constituat. Neque nos movet quod ab utroque Concilio *quasi materia* hi actus dicantur: *non enim ita appellantur quia verae materiae rationem non habeant* (ita *Catechismus Romanus*), *sed quia eius generis materia non sint quae extrinsecus adhibetur ut aqua in Baptismo* (5); tridentini autem Patres consulto ea dictione usi sunt ne dissidentium theologorum opinationem damnare viderentur (6). Quaestionis est, an satisfactio *in voto* sit necessaria. Cum satisfactio in re deficere possit quin Sacramentum deficiat, putamus eam absolute in voto necessariam non esse, sed eatenus tan-

(1) S. Thomas, III^{a}, q. XC, a. I, II, III; Canus, *Relect. de Poenit.*, p. V; Bellarminus, l. I, *De Poenit.*, cc. XV et XVII; Suarez, *De Sacram.*, p. II, disp. XVIII, sect. II; Lugo, *De Poenit.*, disp. XII, sect. II; Laymann, l. V, tr. VI, c. III, 6; Natalis Alexander, *De Poenitentia*, c. III, prop. II; Alasia, *De Poenit.*, c. III, 6; S. Alphonsus (cum Busembaum), VI, 425; Lehmkuhl, II, 351, 352; Tanquerey, *De Poenit.*, 260; Lanzoni, *De Poenit.*, c. I, a. I, § I. E recentioribus Ballerinius (*Op. theol. mor.*, tr. *De Poenitentia*, 2-15) cum Berardi (*Praxis Confess.* 990) communem sententiam omni nisu evertere et oppositam vix non obsoletam instaurare conatur.

(2) In *Decreto ad Armenos.*

(3) Sess. XIV, can. V.

(4) *Decret. ad Armenos*; Trid. Conc., sess. XIV, c. III.

(5) *Catechismus R.*, p. II, c. V, 13.

(6) Pallavicini, *Historia Conc. Tridentini*, l. XII, c. XII.

tum quatenus in praecepto continetur ea omnia peragendi quae ad integritatem pertinent Sacramenti (1).

530. — Resp. ad II Q. Sententia hodie communis, quam Suarez et Lugo *veram* appellant, S. Alphonsus *certam*, ea est quae contritionem perfectam ad iustificationem in Sacramento obtinendam non requiri et attritionem sufficere contendit (2). Quae sententia non uno argumento suadetur. 1° Auctoritas venit Tridentini Concilii, quod de attritione ait: *Quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit* (3). Haec verba de dispositione proxima ac sufficienti intelligenda esse ex eo liquet, quod de attritione sine Sacramento Concilium affirmat, eam *ad iustitiam parare viam*, hoc est remote disponere; quapropter, si et in Sacramento remote tantum disponeret, iam nullum posuisset discrimen inter attritionem in Sacramento et extra Sacramentum spectatam. Ad hoc, nisi dicere velis Concilium incongrue, inepte, tautologice locutum fuisse, de proxima et sufficienti dispositione eius verba intelligas necesse est, nam secus ita fere sonarent: *Quamvis attritio sine Sacramento proxime ad iustificationem hominem non disponat, in Sacramento tamen proxime non disponit.* 2° Id ipsum conficitur ex fine quem Christus in hoc Sacramento instituendo sibi praestituit, planiorem scilicet salutis viam hominibus efficiendi (4): qui finis frustraretur si peccator perfecte contritus Sacramentum accedere deberet, nam Christus in eadem qua antea necessitate hominem reliquisset, immo novum ei superaddidisset onus recipiendi Sacramentum. 3° Fatentibus omnibus, Poenitentia Sacramentum mortuorum est; Sacramenta autem mortuorum ad primam gratiam conferendam potissime sunt instituta. Iam vero, nisi attritio cum Sacramento ad iustificationem sufficeret, Poenitentia nunquam primam gratiam conferret, quandoquidem peccatorem per contritionem perfectam semper iustificatum inveniret.

531. — Valde in scholis disputatum fuit, an et quodnam amoris Dei initium oporteat in attritione inesse ut peccator vi Sacramenti iustificetur. Aliquod amoris initium requiri vix ullus inficiatur, cum Tridentinum Concilium inter actus peccatoris iustificationi praevios hoc requirit ut *illum (Deum) tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiat* (5). At hoc amoris initium in supernaturali gehennae metu veniaeque obtinendae spe contineri arbitramur: nam *timor Dei initium dilectionis eius* (6); ab eo autem qui de peccato tristatur illudque

(1) Suarez, disp. XXXVIII, sect. I.
(2) Suarez, disp. XX, sect. I; Lugo, disp. V, sect. IX, 137; S. Alphonsus, VI, 440.
(3) Sess. XIV, c. IV.
(4) *Catechismus R.*, p. II, c. V, 14 et 46.
(5) Sess. VI, *De iustific.*, c. VI.
(6) *Eccli.* XXV, 16.

abhorret, optatque reconciliari Deo, aliquantulus amor abesse nequit, etenim *ex hoc quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona* (ita Angelicus Doctor), *movemur in ipsum sicut in bonum nostrum, et sic incipimus ipsum amare* (1).

532. — II°. En praecipuae attritionis dotes. Attritio 1° debet esse *vera*, namque animi dolor cum esse debeat, iam talis non esset si existimata vel ficta. 2° *Supernaturalis*, tam ratione *principii* quam *motivi*: nimirum eius principium esse oportet divinam gratiam quae in voluntatem agit, quippe sine gratia Dei nequit peccator salutariter conteri Deoque reconciliari, quemadmodum Arausicanum et Tridentinum Concilium definiverunt (2); motivum autem seu ratio movens intellectum, lumine fidei concipiatur necesse est, ut peccatorem ad Deum supernaturalem hominis finem convertat, quod constat ex propositione n. LVII ab Innocentio XI damnata: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Duplex attritionis motivum Tridentina Synodus exhibet, scilicet *gehennae et poenarum metum* (sive tristitiam de amissa aeterna beatitudine) et *peccati turpitudinem* (3). Cum Tridentina Synodus *gehennae* metum a metu *poenarum* distinguat, hinc recte theologi communissime inferunt, et metum temporalium poenarum (ut puta mortis, infirmitatis, iacturae bonorum) ad attritionem supernaturalem excitandam sufficere, modo eiusmodi poenae a Deo tanquam peccatorum vindice inflictae fidei lumine inspiciantur (4). 3°. *Formalis*, idest non in alio contenta sed explicita: nam contritio, etiam imperfecta, quatenus est Sacramenti pars, a Tridentina Synodo definitur *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* (5). 4° *Universalis*, qua nempe universa crimina peccator aversetur quae patravit; et si quidem ex gehennae metu eliciatur attritio, eo ipso ad universa crimina pertingit, quippe omne lethale peccatum gehennam meretur; si vero ex peccati turpitudine, ex illa peculiari quae in admissis inest turpitudine eliciatur necesse est. 5° *Summa*, non quatenus ex motivo dilectionis Dei super omnia sit concipienda (quod contritionis perfectae proprium est), sed quatenus ad detestationem peccati super omnia mala inducat.

(1) I^{a} II^{ae}, q. XL, a. VII; S. Alphonsus, 442; Voit, II, 492, 493; Gury, II, 453; Lanzoni, l. c.; Lehmkuhl, II, 390, 391; Tanquerey, *De Poenitentia*, 292; Costantini, n. 741; Bucceroni, *De Poenitentia*, 693; Sebastiani, *Summarium*, 463. Hoc amoris initium ex Tridentini Concilii verbis perperam inferri contendit Génicot, II, 271.

(2) Arausicanum Concilium, can. IV; Tridentinum, sess. VI, can. III.

(3) Sess. XIV, c. IV.

(4) Lugo, disp. V, 137; Sporer, *Theol. Sacram.* p. III, 242; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VI, 42; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XV Alexandri VIII, 12; S. Alphonsus, 443; Gury, II, 452; Lehmkuhl, II, 388; Tanquerey, 303; Génicot, 273, 274; Sebastiani, l. c.

(5) Loc. cit.

533. — Resp. ad III Q. Propositum novae vitae instaurandae requiri expresse docet Tridentinum Concilium in ea quam modo retulimus contritionis definitione: qui enim fieri potest ut de admissis peccatis sincere quis doleat eaque detestetur, nisi deinceps pro viribus ea fugere velit? Propositum autem, ne sit umbratile, debet esse 1° *absolutum* quoad tempus, nempe ut peccandi voluntatem in perpetuum excludat; 2° *universale* quoad obiectum, scilicet ut omnia prorsus lethalia peccata poenitens vitare constituat; 3° *efficax*, ita ut poenitens paratus sit ea omnia praestare quae ad peccatum vitandum sunt necessaria. Utrum vero *formale* seu explicitum sit oportet, an *virtuale* seu implicitum sufficiat, quod in ipsa peccati detestatione continetur, in scholis disceptatur. Nobis dicendum videtur, generatim ac per se loquendo formale requiri, posse tamen quandoque virtuale sufficere. Per se loquendo formale requiri, ex Concilii Tridentini verbis evincitur, quae propositum a dolore et detestatione distinctum videntur exposcere; quandoque vero virtuale sufficere, ex eo liquet quod ad contritionis essentiam propositum non pertinet; nemo enim dixerit peccatorem qui in eo totus est ut peccatum detestetur quin de futuro cogitet, in aeternum damnatum iri, si forte mors eum ante eripiat quam explicitum novae vitae ineundae propositum eliciat (1). Quia tamen res non est omnino certa et explorata, ante Sacramenti susceptionem omni studio curandum formale propositum; post Sacramentum vero sine tali proposito susceptum non est poenitens adigendus ad confessionem iterandam, agitur enim de positivo praecepto quod probabilius impletum fuit (2).

534. — Resp. ad IV Q. Rationes quibus permotus Quirinus ad Poenitentiae tribunal etiam anteacto tempore accessit, naturales aut supernaturales esse potuerunt, quod confessario prius dispiciendum erat quam illum dimitteret. Et si naturales eas esse compertum habuit, recte se gessit universorum criminum confessionem illi praecipiens; re autem dubia manente, eiusmodi confessio saltem peropportune suaderi potuisset. Quod si formale propositum Quirini confessionibus dumtaxat defuisset, ad confessiones praeteritas iterandas cogendus non erat.

(1) Navarrus, *Enchiridion*, c. I, 12; Suarez, disp. IV, sect. III; Lugo, disp. XIV, sect. V; La Croix, l. VI, p. II, 893; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VI, 49; Laymann, c. IV, 6; Billuart, diss. XIV, a. I; S. Alphonsus, 450; *Compendium Salmant.* tr. *De Poenitentia*, 79; Voit, II, 511; Costantini, 752. Immo D'Annibale (III, 313) hanc sententiam hodie *certam* dici posse retur ex *Instructione pro pueris* a Benedicto XIII anno 1725 in Concilio Romano data, et Génicot (II, 280) *moraliter certam* appellat proindeque *practice tutam*.

(2) S. Alphonsus, l. c.; Lehmkuhl, II, 400; Tanquerey, 328; D'Annibale, l. c.; Gury, *Casus*, II, 418. Vide opusc. *De regulis conscientiae*, 56.

CXXXVII.

Terentius, ut uxori pientissimae morem gerat, Poenitentiae tribunal accedit suaque crimina sacerdoti pandit, quin tamen ullo doloris sensu afficiatur: confessione peracta, sacerdotis hortationibus commotus, de admissis dolet ex animo et absolvitur. Alias, aeterna supplicia quae peccatorem post mortem manent secum ipse rependens, de malefactis suis vehementer tristatur constituitque novam vitae rationem inire, quin tamen cogitet de exomologesi peragenda; postera die templum ingressus, visoque sacerdote, ad eius pedes proruit sincere confitens peccata sua, ab iisque absolvitur. Ante vero quam a sacerdote discedat, memor peccati ex oblivione reticiti, illud manifestat quin doloris actum instauret, et iterum absolutione donatur. Post paulo, audita concione de ratione qua peccatores se parare debent ut rite Poenitentiae Sacramentum accipiant, timet ne suscepta Sacramenta irrita cesserint.

Quaeritur I°. An doloris actus ante confessionem necessario sit eliciendus?

Q. II°. An ad Sacramentum sit referendus?

Q. III°. Quamdiu durare censetur?

Q. IV°. An idem doloris actus pluries Sacramento recipiendo sufficiat?

Q. V°. An confessiones a Terentio peractae sint iterandae?

Quaestionum solutio.

535. — Resp. ad I Q. Dolorem absolutioni anteire oportere, vel saltem cum ea consistere, nemo est qui ambigat: namque natura huius Sacramenti, quod iudicium forense imitatur, hoc postulat ut essentialis materia formae prolationem praecedat, cum iudex sententiam suam dicere nequeat incognita causa; ad causae autem cognitionem doloris manifestatio maxime pertinet (1). An vero dolorem confessioni praeire necesse sit, affirmant pauci, quia secus confessio dolorosa non esset, deficeretque Sacramento sensibilis materia, dolor enim per confessionem exprimitur (2). Communis tamen sententia negat, quam fidelium et confessariorum usus commendat et *Rituale R.* confirmat. Nempe fideles, quum bis terve ad sacerdotem accedunt generalem suorum criminum confessionem acturi, postrema vice doloris actum elicere solent quin accusationem antea factam repetant. Item confessarii, si forte peccatorem incidunt suorum criminum non poenitentem, post-

(1) Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VI, 58; Sporer, *Theol. sacram.* p. III, c. II, 297; La Croix, l. VI, p. II, 697; Collet, *De Poenit.* c. V, § III; Alasia, *De Poenit.* c. IV, a. III, 31; D'Annibale, III, 315; Sebastiani, *Summarium*, 464.

(2) Laymann, l. V, tr. VI, c. IV, 4.

quam ad dolorem excitaverint, de accusatione renovanda solliciti non sunt. Idque cohaeret huic *Ritualis R.* monito: *Audita confessione (confessarius) ad dolorem efficacibus verbis (poenitentem) adducere conabitur* (1). Confessio autem (non ad historicae narrationis modum sed animo Sacramentum suscipiendi facta) dolorem sive praeteritum, sive praesentem, sive mox futurum satis ostendit. Equidem tutius est ac suadendum ut confessionem contritionis actus praecedat; post factum tamen confessio non est iteranda, nam moraliter certum est eam validam fuisse (2).

536. — Resp. ad II Q. Ad confessionem dolorem referri oportere nonnulli probabiliter contendunt, quia dolor proxima est Sacramenti materia, ideoque aliqua ratione ad Sacramentum referatur necesse est (3). Probabilius tamen, haec necessitas non adest. Id conficitur 1° ex eo quod, Tridentino Concilio docente, dolor cum fiducia divinae misericordiae, et voto ea praestandi quae ad Sacramentum requiruntur, hominem lapsum ad iustificationem praeparat; item attritio voluntatem peccandi excludens et cum spe veniae coniuncta donum Dei est hominem disponens ad gratiam in Sacramento obtinendam (4): haec autem omnia haberi possunt etsi dolor ad Sacramentum non referatur. 2° Firmatur usu Christifidelium, qui si forte de peccatis doluerint sine animo ea confitendi, subinde vero gratiae recuperandae desiderio Sacramentum quaesierint, de sufficientia doloris praehabiti nullo dubio tenentur. 3° Hoc ipsum suadet huius Sacramenti natura, cui magis consentaneum est ut ex peccati poenitudine desiderium confessionis oriatur, quam ut ex confessionis desiderio oriatur peccati poenitudo; purior etiam est dolor qui ex Dei offensa proficiscitur, quam qui ex gratiae recuperandae desiderio. Gratis autem asseritur necessitas referendi explicite dolorem ad Sacramentum, ut Sacramenti pars existat (5). Quia tamen prior sententia probabilis est, idcirco ante Sacramenti susceptionem tenenda, post factum vero non est urgenda confessionis iteratio (6).

(1) *De Sacram. Poenitentiae.*

(2) Suarez, disp. XX, sect. IV; Lugo, disp. XIV, sect. III; Sporer, 292-296; La Croix, 698; Collet, l. c.; Alasia, 32; S. Alphonsus, 445, *Homo apost.* tr. XVI, 22; Gousset, II, 400; Tanquerey, 312; Génicot, II, 278.

(3) Bonacina, *De Poenit.* disp. V, q. III, p. III, 17; La Croix, 687; Collet, l. c.; Alasia, 34.

(4) Sess. XIV, c. IV.

(5) Reginaldus, *Praxis,* l. V, c, IV, 54; Lugo, disp. XIV, sect. IV; S. Alphonsus, 447. Huic sententiae cum aliquo temperamento accedunt Sporer, 285, 289; Lehmkuhl, II, 379; D'Annibale, 315; Tanquerey, 217; Ballerini-Palmieri, tr. *De Poenit.* 121; Génicot et Sebastiani, ll. cc. Hanc sententiam *moraliter certam* existimat Génicot, II, 278, propterea etiam ante Sacramenti susceptionem ad praxim posse deduci.

(6) S. Alphonsus, l. c.

537. — Resp. ad III Q. Convenit, doloris actum per aliquod temporis spatium durare posse, adeo ut moraliter cum confessione deinceps facienda coniungatur: itidem ac in iudicio forensi, in quo causae discussio et iudicis sententia, etsi aliquo intervallo dividuntur, attamen iudicii unitatem non frangunt. Hoc tamen cum mica salis accipias velim, tum quia inter forense iudicium et sacramentale analogia quidem, non perfecta intercedit aequiparatio; tum quia Poenitentia non iudicium dumtaxat sed est et Sacramentum. In definienda autem temporis duratione discrepant theologi quam maxime: alii quippe per annos, alii per mensem, alii per plures dies, alii per horas tantum doloris actum perseverare opinantur; communius uno alterove die durare posse receptum est (1). Ex rerum adiunctis potissime hoc aestimandum putamus: diutius enim durare censetur actus intensior quam remissior, item qui virtualiter in alio permanente continetur, veluti in occasionum fuga, in corporis afflictatione, in proposito melioris vitae, etc. (2).

538. — Resp. ad IV Q. Non pauci negant, quia, perfecto per absolutionem iudicio et Sacramento, nova opus est materia qua novum iudicium et Sacramentum perficiatur. Idque eo magis si dolor ad Sacramentum sit referendus, quemadmodum plures opinantur. Haec sententia probabilis est, et S. Alphonso probabilior, tametsi communiorem et ipse fatetur oppositam (3). Cuius sententiae fundamentum est, quia dolor, si universalis fuerit, ad omnia peccata se porrigit quae quis admisit, et quoad moraliter durat, confessioni iungi potest eamque dolorosam efficere. Neque necesse est ut dolor ad confessionem in antecessum referatur, sed satis est (ut probabilius diximus) eidem coniungatur simulque existat (4). Quamvis haec sententia plerisque probabilior priore videatur, quia tamen ceu moraliter certa haberi nequit, consultius est ac tutius poenitentem ad renovandum dolorem ante excitare quam absolutio renovetur; post factum vero nihil ultra agendum.

539. — Resp. ad V Q. Cum Terentii confessiones probabilissime validae fuerint, ideoque positivo confessionis praecepto probabilissime ipse satisfecerit, ad confessiones iterandas nullatenus adigi potest. De positivi praecepti obligatione haec dicta volumus; secus enim dicendum, si forte quempiam vel in vitae discrimine positum, vel aliam ob causam, naturale praeceptum urgeret tutiori ratione sibi prospiciendi.

(1) Sporer, 287; La Croix, 702-706; S. Alphonsus, 446; Lehmkuhl, 380; D'Annibale, l. c.; Gury, II, 447; Tanquerey, 320; Génicot, 279.

(2) S. Alphonsus, l. c.

(3) Bonacina, q. IV, p. IV, 1; S. Alphonsus, 448.

(4) Lugo, disp. XIV, sect. III; Reiffenstuel, 62; Sporer, 298-300; Illsung, tr. VI, disp. VI, a. V; La Croix, 707; Billuart, diss. IV, a. VIII; Voit, II, 508; Gury, II, 448; Tanquerey, 322; Ballerini-Palmieri, 129-134; Génicot, 279, qui nedum probabiliorem sed *moraliter certam* eam vocat; Sebastiani, l. c.

CXXXVIII.

Lucillus, etsi septennio maior, quia mortiferi peccati sibi conscius non est, renuit Poenitentiae Sacramentum accipere. Marsilius, gravis sceleris reus, confessionem usque ad Paschatis tempus differt, ratus confessionis praeceptum non statim a patrato scelere urgere. Eusebius, chirurgi scalprum periculose toleraturus, confessionem detrectat quia nondum paschale tempus advenit. Iulius quia ob gutturis morbum aegerrime loqui potest; Marcus, in nosocomio degens, quia timet ne a proximioribus audiatur; Plautilla, quia ob verecundiam vix vocem promere valet, peccata sua scripto credita sacerdoti legenda tradunt ut ab eodem absolutionem recipiant; Severinus, graviter aegrotans, per telephonium sacerdoti absenti peccata sua confitetur, a quo per telephonium absolutionem accipit.

Quaeritur I°. An peccatorum confessio divino praecepto sit facienda?

Q. II°. Quinam hoc praecepto teneantur?

Q. III°. Quo tempore praeceptum hoc sit implendum?

Q. IV°. An confessio publice vel secreto, voce vel aliter vi divini praecepti fieri debeat?

Q. V°. Quid de singulis factis propositis sit iudicandum?

Quaestionum solutio.

540. — Resp. ad I Q. Confessionem iure divino praeceptam esse docuit Tridentina Synodus atque hoc canone sanxit: *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnis et singula peccata mortalia..., anathema sit* (1). Huius doctrinae veritas SS. Literarum testimoniis facile evincitur. Nam Christus potestatem clavium primum Petro ceu Ecclesiae capiti, dein Apostolis omnibus pollicitus est; demum eisdem contulit, quum a mortuis excitatus ait: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (2). Iamvero huiusce potestatis vi Apostoli eorumque in sacerdotio successores iudices necessarii constituti sunt, quorum nempe iudicio peccata necessario deferenda essent ad eorum remissionem obtinendam: etenim vi potestatis sibi a Christo collatae nedum remittere peccata possunt sed et retinere, nedum solvere sed et ligare, nedum aperire caelum sed et claudere; si autem iudices necessarii non essent, inanis prorsus clavium potestas evaderet, quandoquidem qui gravi peccato tenentur eorum iudicium fallere possent, alia ratione se ipsos a criminum vinculis solventes, caelumque sibi reserantes. Quod si iudices necessarii constituti sunt, ne temere et inscite sed

(1) Sess. XIV, can. VII.

(2) Matth. XVI et XVIII; Ioan. XXII.

prudenter et iuste sententiam proferant modumque in poenis iniungendis servent, peccata omnia quae quis admisit, etiam occulta, cognita ac plane perspecta habeant necesse est; cognita autem et perspecta habere nequeunt, nisi ab eo sibi pandantur qui admisit. Quo iure ergo Apostolis eorumque successoribus clavium potestas collata fuit, eodem peccatores ad suorum criminum confessionem peragendam adstringi dicendi sunt.

541. — Resp. ad II Q. Ii omnes et soli hoc praecepto tenentur qui post susceptum Baptismum in mortale peccatum sunt lapsi: etenim Ecclesiae clavibus nemo subditur nisi per Baptismum Ecclesiam ingressus fuerit; peccata autem quae caeli aditum claudunt non alia sunt quam mortalia. Hinc inferre est, neque infideles, neque catechumenos, neque pueros qui aetatem nondum attigerint in qua dolus cadere potest, neque hebetes aut perpetuo amentes, neque adultos gravis criminis puros, hoc praecepto ligari (1).

542. — Resp. ad III Q. I°. Etsi tutius agit qui gravis culpae vulnere saucius ad confessionis remedium protinus confugit (ob multa quae impendunt vitae pericula) sententia tamen theologorum communis est, divinum praeceptum ad confessionem illico post peccatum peragendam non obligare. Id probat Angelicus Doctor, quia hoc praeceptum affirmativum est: nam *praecepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum: non quidem ex hoc quod tunc commode impleri possunt, sed ex hoc quod tempus necessitatem urgentem adducit* (2). Firmatur ex eo quod, si poenitendi praeceptum (quod naturale est) ex probabiliori sententia statim a culpa admissa non obligat, eo minus obligare dicendum positivum confessionis praeceptum. Demum ex eo etiam confici potest, quod Ecclesia lapsis in grave peccatum annuam dumtaxat confessionem indixit: porro si divinum praeceptum statim obligaret, ansam eis praebuisset illud frangendi, dilata per anni spatium confessione (3).

II°. Certum est hoc praeceptum *per se* in articulo vel probabili mortis periculo obligare: qui enim gravis criminis reus in tanto discrimine Sacramentum non recipit, in periculum se coniicit illud nunquam recipiendi. Hinc obligantur aegroti mortis signis adventantibus, milites instante praelio, periculosam navigationem suscepturi, damnati capitis, mulieres pariturae quae laboriosum puerperium alias

(1) Suarez, disp. XXXV, sect. II; Lugo, disp. XV, sect. III; Laymann, l. V, tr. VI, c. V, 1; Sporer, *Theol. Sacram.* p. III, c. III, 518; Alasia, *De Poenit.* c. I, a. I, 1-3; S. Alphonsus, VII, 662-665.

(2) *Supplem.* III^{ae} p., q. VI, a. V.

(3) Navarrus, *Enchiridion*, c. II, 9; *Summa Sylvestr.*, v. *Confessio*, I, 3; Suarez, sect. III; Lugo, l. c.; Laymann, 4; Reiffenstuel, tr. X, dist. X, 5; Natalis Alexander, *De Poenitentia*, c. V, a. V, Regula VI: Alasia, 6; S. Alphonsus, 663; Bucceroni, *De Poenitentia*, 697.

expertae sunt, quique sciunt confessarii copiam deinceps se non amplius habituros esse (1). An vero hac obligatione ille adstringatur qui veretur ne confessionem differendo admissorum oblivione capiatur, pauculi affirmarunt quibus *Catechismus R.* favere videtur (2); communius tamen haec opinio reiicitur, quia durum esset atque ab usu et sensu prudentium remotum homini oblivioso tam grave onus imponere ut materialis confessionis integritas servetur (3). Quaeri etiam solet, an citra mortis periculum quandoque obliget *per se* divinum confessionis praeceptum. Sunt qui rentur, vix demonstrari posse hanc obligationem adesse, tum quia Christus nullum suo praecepto praefinivit tempus, tum quia per contritionem peccator in Dei gratiam redire potest (4). Probabilius tamen est, singulo saltem anno divinum praeceptum obligare, nam Christus temporis definitionem Ecclesiae reliquit, Ecclesia autem annuam confessionem ab omnibus peragendam decrevit (5).

III°. *Per accidens* obligat: 1° quum Eucharistia conficienda vel sumenda est: etenim, Tridentino Concilio docente, quilibet gravis peccati conscius, quamvis contritus sibi videatur, confessione debet illud eluere antequam eucharistico pane seipsum reficiat vel Sacris operetur; et si forte sacerdos, necessitate impellente, sine praevia confessione Sacrum peregerit, quamprimum confiteri iubetur (6); 2° quum quis gravis culpae reus Sacramentum administrare, vel vivorum suscipere vult, neque contritionis perfectae actum elicere valet; 3° quum gravi tentatione vexatur, quam, nisi Poenitentiae Sacramento roboretur, nequit superare. Sunt equidem qui vix unquam contingere posse autumant, ut tentationibus alia ratione occurri nequeat quam per Sacramentum, propterea nemini hac de re scrupulum iniiciendum esse (7). Verum a communiori sententia non putamus esse recedendum: si enim quispiam expertus noverit ad vitanda peccata Sacramenti auxilio se prorsus indigere, profecto ex caritate erga seipsum

(1) Navarrus, 9, 10; Laymann, 5; Sporer, 519; S. Alphonsus, 665; Tanquerey, *De Poenit.* 335; Génicot, II, 321.

(2) *Catechismus R.* p. II, c. V, 59; Alasia, 7; Collet, *De Poenitent.* c. VI, § 1.

(3) Navarrus, c. XXI, 35; Suarez, sect. III; Reginaldus, *Praxis*, l. VI, c. II, 31; Lugo, disp. XV, 41; Laymann, 4; Sporer, 510; Reiffenstuel, tr. X, dist. III, 6; S. Alphonsus, 665; Gousset, II, 403.

(4) Laymann, 5; Lugo, 39; Sporer, 510; Génicot, l. c.

(5) Reginaldus, 10; Canus, *Relect. de Poenit.* p. VI; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XIV Alexandri VII, 3; La Croix, l. VI, p. II, 2020; Reiffenstuel, 11; Alasia, 4; S. Alphonsus, 663.

(6) *Rituale R.*, *De Eucharistia*; Conc. Tridentinum, sess. XII, c. VII; *Codex iuris canonici*, can. 807.

(7) Suarez, sect. III; D'Annibale, III, 380; Zaninetti, 2163; Génicot, 322, 206, et Ferreres, *Epitome*, 773, qui practice hoc nunquam accidere affirmat.

ad Sacramentum se recipiat oportet, quippe tralatitium est, *eum qui tenetur ad finem, ad ea quoque teneri quae ad finem sunt necessaria* (1).

543. — Resp. ad IV Q. I°. Iure divino confessionem esse necessariam ostendimus; ut autem publice fiat vel secreto, nullo iure sancitum est. Etenim Sacramenti natura id unum postulat ut peccata sacerdoti aperiantur, attamen vetitum non est id palam facere, neque praeceptum fiat secreto. Assertum nostrum Tridentini Concilii auctoritate confirmare lubet. *Quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensae aedificationem delicta sua publice confiteri possit: non est tamen hoc divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, publica essent confessione aperienda* (2).

II°. Aliquo sensibili signo peccatorum confessio oppido fieri debet: secus materia sensibilis Sacramento deesset, nec posset sacerdos peccata cognoscere de iisque iudicium ferre. Signum omnium aptissimum esse confitentis vocem nemo non videt; attamen neque institutio et natura Sacramenti, neque iussum aliquod necessario exposcit ut confessio voce fiat: hinc, omnibus consentientibus, quandoque licet scripto, nutibus, per interpretem peccata sua confiteri. Quamquam perpetuus Ecclesiae usus multisque nominibus commendandus (a quo propterea sine causa recedere nefas est) id tert ut confessio ore fiat. *Sine causa*, inquimus; causa autem esse potest physica vel moralis impotentia: *physica*, ut puta si mutus sit poenitens, vel surdo confiteatur; *moralis*, ut puta si ob gutturis morbum aegre loqui valeat, vel nequeat vocem promere quin a circumstantibus audiatur, vel tanta teneatur verecundia ut vox faucibus haereat, quod feminis praesertim evenire solet. In quibus eventibus fas est peccata scripto tradere eaque legenda sacerdoti exhibere, ut absolutio obtineatur (3). Demum animadvertisse iuvabit, confessionem absenti factam irritam cedere, nam absolutionis verba praesentem requirunt; adempto autem formae sensu, Sacramentum non fit. Hinc Clemens VIII propositionem hanc ceu falsam, temerariam et scandalosam diris devovit: *Licere per literas seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Sufficit tamen ut quis valide possit absolvi moralis eius praesentia, cuiusmodi ea censetur in qua alter cum altero communi voce, licet elatiori, colloqui solet. Hinc

(1) Reginaldus, 6; Laymann, 6; Sporer, 521; La Croix, 2022; Alasia, 5; Collet, l. c.; Gury, II, 466; Tanquerey, *De Poenit.* 335; Gousset, 402; Sebastiani, *Summarium*, 456; Ferreres, *Epitome*, 721.

(2) Sess. XIV, c. V.

(3) Canus, *Relect. de Poenit.*, p. VI; Suarez, disp. XXI, sect. III; Lugo, disp. XV, sect. V; S. Alphonsus, 479, 493; Tanquerey, 344; Génicot, II, 304.

e cubiculi ianua valide aegrotus absolvitur peste aliove contagioso infectus morbo. Hinc etiam poenitens qui non ultra viginti passus a confessario distet, quamvis oculis iam non conspiciatur (ut puta si non absolutus a sacro tribunali discessit et ab eo non procul consistat), valide potest absolvi. Quod si longius distet, quamvis a confessarii conspectu nondum sit egressus, nisi in necessitate et sub conditione absolvendus, quia de morali eius praesentia dubitatur. Eadem ratione hominem absolves quem procul a te conspicatus fueris a tecto ruentem vel in pelago naufragantem (1).

544. — Resp. ad V Q. Non peccat Lucillus contra divinum confessionis praeceptum, quia mortiferi peccati sibi conscius non est. Neque peccat Marsilius ob dilatam ad paschale tempus confessionem, nisi in probabili mortis periculo vel non amplius confitendi sit constitutus, aut per accidens (ob aliud nempe praeceptum) Poenitentiae Sacramento sit mundandus. Contra graviter peccat Eusebius in probabili vitae periculo Sacramentum detrectans. Iulius, Marcus et Plautilla ob physicam vel moralem impotentiam a confessione per vocem peragenda excusantur. Facile negotium non est definire valeatne et liceat confessio a Severino per telephonium facta; quaestionis punctum in eo est an eiusmodi confessio ceu absenti vel praesenti facta sit habenda. Ex altero capite qui per telephonium sibi invicem colloquuntur absentes videntur, quia artificialis eorum praesentia est et collocutio: quapropter sunt quibus certo certius est vel saltem probabilius, eiusmodi confessionem neutiquam valere posse, ideoque numquam licere (2). Ex altero capite ita per telephonium alter alteri appropinquari videtur, ut coram loqui vocesque dare et reddere censeatur: propterea sunt alii quibus incertum est an confessio hac ratione peracta irrita prorsus sit habenda; quocirca in extrema saltem necessitate, adiectaque conditione, absolutionem tribuendam esse arbitrantur (3). S. Poenitentiaria hac de re interrogata respondit die 1 iulii 1884: *Nihil esse respondendum*. Cum ergo valde sit incertum an valeat Sacramentum hac ratione collatum, iam fit perspicuum illud conferre non licere, nisi sub conditione et in extrema necessitate, quum nempe poenitens aut nequeat aut nolit aliter suam confessionem perficere (4). Hinc vides quid de Severino iudicandum.

(1) S. Alphonsus, 429; Alasia, *De Poenit.*, c. V, a. II, § II, 26; Voit, II, 676; D'Annibale, III, 327; Tanquerey, 269, 270; Costantini, 790; Génicot, II, 267; Sebastiani, 487.

(2) Lehmkuhl, II, 369, 1122; *Casus*, II, 301; Bucceroni, *De Poenitentia*, 748; Génicot, 267.

(3) Ballerini-Palmieri, 1155; Génicot, l. c.

(4) Tanquerey, 272; Ferreres, *Epitome*, 764; Génicot, l. c.

CXXXIX.

Cum ob poenitentium multitudinem et sacerdotum inopiam tempus ad paschale praeceptum Eucharistiae sumendae modo anticipari soleat, modo produci, Cornelius ineunte mense maio suam exomologesim fecit, quam anno proxime superiore ineunte martio peregerat: dubitat an utriusque anni praeceptum impleverit.

Laelius, paschali tempore transacto, ad proximiorem paroeciam se contulit, in qua paschale tempus adhuc perdurabat, peccata sua ibi confessurus, etsi probe noverat Episcopum vetasse, ne quis hanc ob causam alienam curiam adiret: dubitat an praecepto fecerit satis.

Tulliola paschali tempore venialia peccata ac mortale dubium confessa est; prius vero quam paschale tempus desineret, lethale peccatum admisit: quamobrem anceps haeret, debeatne ad confessionem iterum accedere.

Eusebius annuam confessionem sincero animo sacerdoti fecit, quem subinde iurisdictione carentem agnovit: dubitat an praecepto satisfacerit.

Aurelius decem abhinc annis ad Poenitentiae tribunal non accessit: dubitat an una confessione munere suo defungi queat.

Quaeritur I°. Adsitne Ecclesiae praeceptum, a divino distinctum, annuam confessionem peragendi?

Q. II°. Quinam hoc praecepto ligantur?

Q. III°. Quomodo anni spatium sit computandum?

Q. IV°. An semel confessus iterum confiteri debeat si, eodem anno currente, in mortale peccatum labatur?

Q. V°. Cui confessio fieri debet?

Q. VI°. Quid de propositis factis iudicandum?

Quaestionum solutio.

545. — Resp. ad I Q. Extat annuae confessionis praeceptum, a divino distinctum, his verbis a Lateranensi IV Concilio statutum: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam pro viribus studeat adimplere...; alioquin vivus ab ingressu Ecclesiae arceatur et mortuus christiana careat sepultura* (1). Praeceptum hoc in divino radices figit; cum autem Christus nullum praecepto suo designaverit tempus, Ecclesia illud definivit. *Neque enim* (ad rem Tridentina Synodus) *per Lateranense Concilium Ecclesia statuit ut Christifideles confiterentur, quod iure divino necessarium et institutum esse intellexerat, sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis*

(1) Can. XXI.

cum ad annos discretionis pervenissent impleretur (1). Huius praecepti obligationem gravem esse, cum ex ipsa rei natura colligimus, tum ex poenis a Lateranensi Concilio decretis, quae, licet ferendae sententiae, ex gravioribus sunt. Lateranense praeceptum *Codex pontificii iuris*, reticita poena, instauravit hoc canone: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri* (2).

546. — Resp. ad II Q. Ex Lateranensi canone obligantur *omnes Christi fideles*. Hinc 1° nedum catholicae professionis homines sed etiam haeretici, quippe per Baptismum Ecclesiam sunt ingressi eiusque iurisdictioni subduntur (3). 2° Nedum adulti sed et pueri discretionis aetatem adepti, etsi nondum septennes; non enim septennium sed *discretionis aetas* a Concilio requiritur (4). 3° Lethalis peccati sibi conscii, ut communis hodie sententia pro comperto habet, tum quia Concilium fideles *omnia* peccata confiteri iubet, omnia autem venialia confiteri absurde iuberet, cum vix hoc fieri possit; tum quia Ecclesia novum non condidit praeceptum, sed divino tempus definivit, quod mortalium dumtaxat confessionem respicit. Adde, apertissime hoc Tridentinam Synodum tradidisse: *Constat nihil aliud in Ecclesia a poenitentibus exigi quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum et Deum suum* **mortaliter** *offendisse meminerit* (5). De stricta obligatione praecepti loquimur: nam cum christiani sine ullo gravi peccato integrum annum transigentes nisi pii ac religionis operibus addicti esse non soleant, vix ullum ex eis reperies, qui semel in anno Poenitentiae Sacramentum accedere detrectet (6).

547. — Resp. ad III Q. Ecclesia confessionem semel in anno praecipiens nullam anni partem designavit in qua praeceptum esset implendum: hinc Tridentina Synodus *tanquam pium et merito retinendum* morem commendat quadragesimali tempore confitendi, quin tamen doceat necessario servandum (7). Anni autem computandi ratio non una omnibus semper probata fuit: alii quippe ab admisso peccato, alii a ianuario ad decembrem, alii a Paschate ad Pascha annum computandum voluere. Quae postrema ratio hodie ubique obtinet ac

(1) Sess. XIV, c. V.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 906.

(3) Lugo, disp. XV, sect. VII; Sporer, *Theol. sacram.*, p. III, c. III, 523; S. Alphonsus, VI, 665.

(4) Suarez, disp. XXXVI, sect. II; Lugo, l. c.; Laymann, l. V, tr. VI, c. V, 6, 7; Sporer, 525; S. Alphonsus, l. c.

(5) Sess. XIV, c. V.

(6) Suarez, l. c.; Lugo, sect. VI; Laymann, 12; Sporer, 527; S. Alphonsus, 667.

(7) Sess. et c. cit.

consuetudine (quae optima legum interpres existit) firmatur. Neque illud officit, quod plures intersint quam duodecim menses inter initium paschalis temporis elapsi anni et terminum paschalis temporis anni currentis, nam non astronomico sed Ecclesiae more computandus est annus (1).

548. — Resp. ad IV Q. Cum *semel* in anno peccatorum confessio praecipiatur, qui mortale peccatum confessus est, praeceptum implevit; propterea si rursum in mortale peccatum labatur, nulla tenetur obligatione confessionem iterandi. Quod si venialia tantum confessus fuerit, deinde eodem anno vertente lethaliter deliquit, ad confessionem denuo accedat oportet, peccatum suum expiaturus, non enim praeceptum implevit quo mortalium confessio iubetur (2). Sunt equidem pauci qui per venialium confessionem legem solvi contendunt, et confessionem differri posse usquedum Communionis paschalis praeceptum iterum urgeat (3); at quomodo lex solvi potest quae nondum ligabat? Ceterum fieri potest, ut quis bona fide putet per venialium confessionem praecepto satis fecisse, propterea confessionem ad proximum annum differens omni vacet culpa.

549. — Resp. ad V Q. Vi Lateranensis decreti *proprio sacerdoti* annua confessio est facienda: quo nomine primitus poenitentium parochus intelligebatur, immo et Episcopus et R. Pontifex; uno verbo omnes ordinaria iurisdictione in poenitentes praediti. At passim consuetudo invaluit ut cuivis sacerdoti approbato annua confessio fieret, quae consuetudo, cum hodie in universa Ecclesia obtineat, iam infirmari nequit; propterea qui sacerdoti approbato peccata sua confitetur, parocho etiam et Episcopo invitis, satisfacit praecepto (4). Idque confirmat *Codex pontificii iuris* canone 906 superius relato, a quo verba illa *proprio sacerdoti* expuncta fuere.

550. — Resp. ad VI Q. Quamvis a priore confessione ad alteram quatuordecim fluxerint menses, Cornelius certo certius praeceptum implevit, cum a Paschate ad Pascha (producto etiam vel anticipato paschali tempore, ut moris est) computetur annus.

Laelius violati Ecclesiae praecepti reus est, non quia Episcopi iussum fregit (in quo, quippe iniusto, nihil roboris inerat), sed quia tempore praefinito peccata sua non est confessus. At quia elapso anno obligatio praecepti non extinguitur (quod innuunt verba lateranensis decreti **saltem** *semel in anno*), ideoque anni terminus ad urgendum

(1) Suarez, l. c.; Reginaldus, l. VI, c. II, 36; Laymann, 8; Sporer, 534; Reiffenstuel, tr. X, dist. IV, 19; S. Alphonsus, 662.

(2) Reginaldus, 39; Lugo, 164; Sporer, 529; Laymann, 10; Lambertini, *Casus*, an. mdccxli, mens. novembris; S. Alphonsus, 669; D'Annibale, III, 378; Tanquerey, 337; Costantini, 747.

(3) Lehmkuhl, I, 1450 cum Ballerini et Génicot, II, 323.

(4) Benedictus XIV, *De Synodo dioec.*, l. VII, c. LXIV; S. Alphonsus, 564.

praecepti implementum, non ad finiendum constitutus fuit, obligationi suae confitendi quamprimum satisfecit (1).

Nunc de Tulliola. Peccatum aliter atque aliter dubium esse potest: nimirum dubitare potes an peccatum admiseris necne, an admissum mortiferum sit, an certo mortiferum in confessione declaratum iam fuerit et remissum. Videndum propterea quo sensu Tulliolae peccatum dubium fuit, et siquidem materiam necessariam constituebat, Tulliola praeceptum implevit; secus si liberam vel dubiam. Ceterum quaestionem de peccatis dubiis propediem data opera expendemus.

Eusebius praecepto non satisfecit, nisi iis is adiunctis in quibus Ecclesia iurisdictionem supplere censetur. Sane confessio sacerdoti iurisdictione carenti facta irrita est; cum autem Christus et Ecclesia confessionem praecipiant qua peccata remittantur, palam est per confessionem irritam non impleri praeceptum.

Probabilius una confessione Aurelius munere suo defunctus est, modo tam labentis anni quam praeteritorum mortalia peccata confessus fuerit; praecepti enim finem obtinuit, qui est reconciliatio Deo. Ad haec ridiculum foret asserere, eum toties ad Poenitentiae Sacramentum accedere oportere, quot sunt anni quibus a Sacramento se sustinuit. Diximus, *modo tam labentis anni quam praeteritorum mortalia confessus fuerit* namque si nondum anno currenti graviter peccaverat cum confessus est, peccavit autem postea, currentis anni praecepto non satisfecit; propterea iterum confiteatur oportet (2).

CXL.

Merulus peccata sua hac ratione confitetur: « Malas cogitationes saepe mente revolvi; cum sociis plus semel rixatus sum; inimico meo pluries mortem sum precatus: decem blasphemias protuli: decies ad ebrietatem vinum potavi ». Subinde animadvertit, duodecim protulisse blasphemias, et in ebrietatem quinquies dumtaxat incidisse.

Quaeritur I°. Quid sit confessionis integritas et an necessaria?

Q. II°. Quaenam ad confessionis integritatem pertinent?

Q. III°. Quid de Meruli confessione et quomodo reparanda?

Quaestionum solutio.

551. — Resp. ad I Q. Confessionis integritas in eo sita est, ut quis peccata omnia sacerdoti aperiat quibus graviter in Deum deliquit, quaeque nondum per Ecclesiae claves remissa fuere; vel omnia prorsus, quae *materialis* integritas dicitur, vel quae in praesentiarum

(1) Suarez, sect. IV; Lugo, 177; Reiffenstuel, 17; Laymann, 9; Sporer, 536; S. Alphonsus, 668; Gury, I, 478; D'Annibale, III, 379.

(2) Lugo, 180; Sporer, 536; S. Alphonsus, 669; Bouvier, *De Poenitentia*, c. IV, a. I; Costantini, l. c.

quis confiteri potest et debet, quae *formalis* appellatur. Integritatem ad confessionem requiri, auctoritate et ratione facile conficitur. Sane Lateranense Concilium, cui Florentinum et Tridentinum concinunt, *peccata omnia, omnia mortalia, integraliter confiteri* iubent (1). Ratio autem est, tum quia sacerdos iudicis necessarii in hoc Sacramento munere fungitur, propterea omnium peccatorum notitia ei deferatur oportet ut rectum iudicium instituat; tum quia aequam delictis poenam iniungere nequit, nisi ea omnia perspecta habeat: tum quia cum Poenitentiae Sacramentum ad medelam animae a peccatis sauciae fuerit institutum, nullum tegendum est vulnus congrua medicina sanandum (2). Formalis integritas omnino est necessaria; materialis vero, etsi curanda quoad eius fieri potest, non semper requiritur, tum quia nonnumquam admissa peccata nos fugiunt, tum quia naturale praeceptum (quod positivo de confessione praestat) quaedam crimina revelare quandoque non sinit (3).

552. — Resp. ad II Q. Ad confessionis integritatem pertinet ut peccatorum species, et circumstantiae speciem mutantes vel novam inducentes, et numerus declarentur. Quae conclusio in hoc Tridentini Concilii canone continetur: *Si quis dixerit in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur..., et circumstantias quae peccati speciem mutant, anathema sit* (4). Addimus, ad confessionis integritatem satis non esse interiorem actum (seu malam voluntatem peccandi) fateri, exteriori reticito, quamvis enim exterior actus pravitatem suam ab interiori mutuetur, illum tamen complet et perficit: quapropter eius confessio necessaria est ut confessarius pro veritate de poenitentis statu iudicium ferre valeat, aliud namque fertur iudicium de eo qui ait: *Hominem interimere volui,* aliud de eo qui se accusat: *Hominem interemi.* Quae doctrina, universim recepta, in iugi Ecclesiae sensu nititur et consuetudine firmatur (5). Ne nos praetereat, distinctis Decalogi praeceptis vetitum esse furtum facere et aliena concupiscere, moechari et proximi uxorem desiderare (6).

(1) Concilium Lateranense, cap. *Omnis*, Florentinum in *Decr. ad Armenos*; Tridentinum, sess. XIV, can. V et can. VII.

(2) S. Thomas, III[a] p., *Supplem.*, q. IX, a. II; Suarez, disp. XXII, sect. I.

(3) Laymann, l. V, tr, VI, c. VIII, 1-3; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VII, 28, 29; Lugo, disp. XVI; Sporer, *Theol. sacram.*, p. III, c. III, 353 et seq.; S. Alphonsus, VI, 465.

(4) Sess. XIV, can. VII. Consonat *Codex iuris canonici*, can. 901.

(5) Gury, II, 489; Scavini, *De poenit.*, 302; D'Annibale, III, 303; Lehmkuhl, II, 410; Costantini, 756, VI; Bucceroni, *De poenit.*, 702; Ferreres, *Epitome*, 779.

(6) *Exod.* XX.

553. — I°. Itaque peccatorum species sunt declarandae: quod innuit Concilium relatis verbis, *omnia et singula peccata*: et apertius dicens, non posse sacerdotes scite et recte iudicium suum proferre et aequitatem in poenis iniungendis servare, *si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim peccata* a fidelibus declarentur (1). Nec sufficit supremam peccati speciem declarare, sed infima (quoad potest) patefacienda est: specifica enim peccati pravitas non ex virtute tantum sumitur cui adversatur actus, sed et ex praeceptis eiusdem virtutis diversis. Aliud sane iudicium fertur de eo qui blasphemias in Deum protulit, aliud de eo qui votum fregit, etsi uterque in religionem offendit,; aliud de eo qui furatus est, aliud de eo qui hominem interemit, etsi uterque iustitiam laesit. Equidem contingere potest ut in discernendis vel declarandis infimis peccatorum speciebus nonnulli, praesertim rudes, deficiant: in quo eventu sacerdotis erit eis opportunis interrogationibus praesto esse, et si quando materiali integritati quidquam inculpate deerit, formalis integritas sufficiet (2).

554. — II°. Circumstantiae speciem mutantes, vel novam addentes, necessario sunt declarandae: his enim nova turpitudo specifice diversa in actum inducitur, quae si reticeatur, iam confessio integra non erit. Exemplum priorum circumstantiarum in eo habes qui stipem largitur ut inanem captet gloriam vel puellam seducat. Exemplum posteriorum in peccato luxuriae, quod cum soluta patratum fornicatio erit, cum coniugata adulterium, cum consanguinea incestus, cum virgine Deo devota sacrilegium (3). An circumstantiae peccatum in eadem specie insigniter aggravantes ad confessionis integritatem pertineant quaestio est, si qua alia, a doctoribus vexatissima: quippe magni ponderis cum auctoritatis tum rationum momenta hinc inde efferuntur, quae singillatim pensare longa res esset (4). Cum de lege positiva agatur, de cuius obligatione valde ambigitur, iure merito principium illud obtinere dicendum est: *Lex dubia non obligat*. Quocirca hortandi quidem sunt Christi fideles ut circumstantias eiusmodi sincere pandant pro sua cuiusque tranquillitate et bono, non autem

(1) Sess. cit., V.

(2) Theologi supra citati ceterique communiter.

(3) S. Alphonsus, 667 cum communi doctorum sententia.

(4) Sat nobis hic erit praecipuorum theologorum nomina exscribere qui utrique sententiae suum calculum addiderunt. Necessitatem has circumstantias pandendi propugnarunt Soto, Sanchez, Suarez, Canus, La Croix, Estius, Natalis Alexander, Habert, Billuart, Alasia, Collet, quibus favere videntur S. Carolus (*Avvertenze per i confessori*, 38), *Rituale R.* et *Catechismus R.* In contrariam locuti sunt sententiam S. Thomas, S. Bonaventura, Navarrus, Vasquez, Lugo, Sporer, Clericatus, Bonacina, Illsung, Voit, S. Alphonsus, Gousset, Lehmkuhl, Gury, D'Annibale, Tanquerey, Costantini, Génicot, Sebastiani.

ad hoc in universum cogendi, nisi forte cum confessor eos pro munere suo interrogaverit, sive ut cognoscat an facultate polleat eos absolvendi, sive ad explorandum an ita animo sint parati ut absolutionem recipere valeant, sive ut ea quae officii sui sunt doceantur (1). Ceterum doctrinam hanc de circumstantiis aggravantibus non necessario confitendis caveant concionatores ne in publicum indiscriminatim tradant et imprudenter, ne indoctis ac male moratis facilem ansam praebeant plura reticendi quae ad sinceram integramque suorum criminum confessionem possent conferre. *Utile est* (ad rem S. Augustinus) *ut taceatur aliquod verum propter incapaces... Causas verum tacendi longum est quaerere, quarum tamen est et haec una, ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores* (2).

555. — III°. Peccatorum numerum ad confessionis integritatem spectare, relata Conciliorum decreta luculenter ostendunt, quae *omnia et singula mortalia peccata* declarare iubent. Nempe in aperto est, aliud de eo iudicium ferri qui semel, aliud de eo qui decies furatus est, decies alienam concupivit uxorem, decies homicidium patravit. Si peccatorum numerus poenitenti plane perspectus est, omnino declarandus; si autem non satis exploratus, numerus ille significandus qui vero propius accedere putatur, addita particula *fere, circiter, plus minus*. Quod si numerus adeo sit incertus ut neque hac ratione significari queat (ut in iis usuvenit qui ex habitu peccant), sat erit criminum frequentiam, quo melius fieri potest, explanare, v. c. quoties in die, vel hebdomada, vel mense, vel anno deliquisti. Confessione autem peracta, si forte peccatorum numerum noveris illum excedere quem declaraveras, errorem corrigas necesse est verum numerum aut verisimiliorem aperiendo, ut ea clavibus directe subiiciantur quorum numerus reticitus fuit. — Quaeres quinam iis vocabulis, *circiter, plus minus*, numerus inclusus censeatur. – Certa regula hoc definiri facile nequit: ea nobis placet quam exhibet Gury, quaeque ab illa vix latum unguem differt quam Sporer, S. Alphonsus, D'Annibale, Tanquerey aliique tradunt. Nempe, si te accuses quinquies *circiter* peccasse, unum infra vel supra quinque (quatuor scilicet vel sex peccata) ea vocula continentur; si decies circiter, duo; si vicies, tria vel quatuor; si quadragies, quatuor vel quinque; si centies, quinque vel sex, et ita porro (3).

556. — Resp. ad III Q. Merulus pravarum cogitationum neque species neque numerum patefecit. Neque satis aperuit quoties rixatus est et

(1) Lugo, 119; Reiffenstuel, 52, 53; Sporer, 408; S. Alphonsus, 468; Tanquerey, *De Poenit.*, 376.

(2) *De bono perseverantiae*, c. XVI.

(3) Sporer, 446; S. Alphonsus, 446; Gury, II, 472; D'Annibale, III, 304; Tanquerey, 366.

inimico suo precatus est mortem, nam verba *plus semel* et *pluries* nimis indefinita sunt. Neque blasphemiarum numerum integrum prodidit, quippe decem confessus est cum duodecim protulerit: secus dicendum si decem *circiter* confessus esset, hac enim particula etiam duodecim continebantur. Ad extremum quum animadvertit non decies sed quinquies tantum ebrietati indulsisse, errorem corrigere opus ei non fuit, nisi mala fide egerit, nempe sciens mentitus fuerit ad confessorem decipiendum, nam minor numerus maiore continebatur, propterea confessionis integritati nihil defuit sed supereffluit magis. Ex his perspicies ex quo capite Meruli confessio vitiosa fuerit et qua ratione sit instauranda.

CXLI.

Nonnullis Rupertus premitur dubiis. Dubitat 1° an aliquot ante annos lethale peccatum contra castitatem admiserit; 2° an peccatum, quo in caritatem offendit, mortale fuerit, non enim de materiae gravitate perfectoque consensu satis sibi constat; 3° an peccatum grave contra fidem admissum sacerdoti confessus fuerit. Quid faciet?

Quaeritur I°. An sit obligatio peccatum ex se grave confitendi, quod dubie commissum fuit?

Q. II°. An sit obligatio peccatum confitendi, de cuius gravitate dubitatur ob materiae vel consensus defectum?

Q. III°. An sit obligatio peccatum certe commissum confitendi, de quo dubium est an iam fuerit in confessione declaratum?

Q. IV°. Qua ratione Ruperti dubitationes sunt expediendae?

Quaestionum solutio.

557. — Resp. ad I Q. Quo planiora fiant quae sumus dicturi, iuverit pauca praefari. 1° Ne nobis excidat, divinam peccata confitendi legem positivam esse; propterea quaestiones nostras circa legem positivam versari. 2° De dubio gravi dumtaxat quaestio nobis tractanda, de dubio nempe quod probabili aliquo nititur fundamento, nam dubium inane despiciendum. 3° Si probabilitas quae stat pro confessionis peragendae lege tanta sit ut moralem certitudinem pariat, omne dubium evanescit neque iam licet vinculo legis se subducere. 4° Per accidens evenire potest ut quis peccatum dubium confiteri debeat, ut puta si in mortis articulo constitutus, vel in necessitate Sacramentum vivorum suscipiendi, de statu gratiae incertus esset, quin contritionis actum elicere valeret aut certum aliquod confiteri peccatum: hisce enim in adiunctis, cum salus aeterna in periculo versetur, tutior via tenenda. Quibus constitutis, ad propositas quaestiones accedamus, iis innixi principiis quibus in tractatu *De conscientia* inhaesimus (1).

(1) Si praedicta monita prae oculis habeantur, omitti posse putamus distinctionem quam inter dubium positivum et negativum hic solet a theologis in medium proferri.

558. — Prima quaestio in dubio *facti* vertitur: nimirum dubitatur an grave peccatum admissum fuerit. Hoc in dubio obligatio non adest illud confitendi. Sane Tridentinum Concilium decrevit omnium mortalium peccatorum confessionem esse faciendam, *quorum quis post diligentem sui discussionem conscientiam habet*, vel *quibus se Deum suum mortaliter offendisse meminerit* (1). Iamvero qui de admisso peccato anceps est, neque *memor illius* neque *conscientiam habere* dici potest. Quapropter peccata dubie admissa inter ea censenda sunt de quibus Concilium subdit: *Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur pro quibus fideliter cum Propheta dicimus:* **Ab occultis meis munda me, Domine.** Idque ratio confirmat: cum enim de voluntate Christi eiusmodi peccatorum confessionem praecipientis nullatenus constet, incerta lex est; legis autem incertae obligatio urgeri nequit ex vulgato axiomate: *Lex dubia non obligat* (2).

559. — Resp. ad II Q. Quaestio haec partim de dubio *iuris* est, partim de dubio *facti:* si enim dubites an praecepti quod fregisti materia sit gravis, dubium erit iuris; si vero dubites an gravi peccato perfectum consensum praestiteris, dubium erit facti. Utcumque, quaestio haec in eam recidit quam modo diluimus: nam qui dubitat an peccatum quod admisit grave fuerit seu ratione materiae, seu ratione consensus, eo ipso dubitat an grave peccatum admiserit; cumque ex dictis lex confitendi peccata dubie admissa sit incerta, certam obligationem parere nequit (3). Ceterum duo ad praxim maxime spectantia nobis praesto sint. 1° Cum de gravitate materiae ambigitur, rudes et rerum divinarum incuriosi, mortalia a venialibus saepe distinguere non valentes, praestat, immo quandoque necesse est, ut eiusmodi dubia sacerdoti ingenue pandant, cuius est hisce de causis iudicium ferre. Quo sensu haec S. Thomae sententia intelligenda videtur: *Periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri: non tamen debet asserere illud esse mortale, sed dubitative loqui, et iudicium sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram et lepram* (4). 2° Cum de consensu dubitatur, an plenus fuerit vel deficiens, ex communiter contingentibus plerumque dubium excuti potest: ex his enim praesumptio conficitur, ex qua moralis certitudo vel saltem summa probabilitas exsurgit. Nempe si dubitans vir probus est ac pius, qui

(1) Sess. XIV, c. V.

(2) Suarez, disp. XXII, sect. IX; Lugo, disp. XVI, 58; La Croix, l. VI, p. II, 600; Voit, II, 547; S. Alphonsus, VI, 473; Gury, II, 477; D'Annibale, III, 306; Lehmkuhl, II, 419; Tanquerey, *De Poenit.*, 378; Costantini, 756, VII; Ferreres, *Epitome*, 777; Génicot, II, 290; Sebastiani, *Summarium*, 458.

(3) La Croix, 601; S. Alphonsus, 476; Gury, 478; Costantini, Ferreres, Sebastiani, Génicot, ll. cc.

(4) In IV, dist. XXI, q. II, a. III, ad 3^{um}.

tentationibus ingruentibus obfirmato animo repugnare solet, vel nisi post diuturnam luctam raroque non consentit, is iure praesumitur non consensisse, vix enim fieri potest ut plene consenserit quin animadverteret. Contra si dubitans vir sit parum pius pravisque habitibus implicatus, prona voluntate obsecundare tentationibus assuetus, is merito perfecte consensisse praesumitur, namque vix fieri potest ut fortiter restiterit quin renixus oppositi conscius sit. Demum, si dubitans vir sit neque multum pietati deditus, neque multum a pietate alienus, qui interdum pravis tentationibus obsistere, interdum concedere soleat, nullus praesumptioni fit locus. Itaque prior a peccati dubie gravis confessione eximendus, alter ad eam adigendus, tertius hortamento adducendus quin tamen cogi possit. De eo non loquimur qui scrupulis graviter torquetur, is enim a peccatis dubiis declarandis omnino prohibendus (1).

560. — Resp. ad III Q. Quaestio haec dubium *declarationis* respicit, scilicet dubium an grave peccatum certo admissum confessario declaratum iam fuerit. Plures sunt qui docent, tali dubio manente, obligationem adesse peccatum confitendi, quia lex possidet quae certa est, legi autem certae non satisfit per satisfactionem dubiam (2). Verum, si peractae confessionis probabilia argumenta non desint, legis obligatio in dubium vocatur, propterea iam dici nequit lex certa esse et possidere. Hinc e probabilistis non pauci obligationem eiusmodi inficiantur (3). Illis inhaerentes principiis quae alias propugnavimus, quum non ex aliquo legis vitio sed ex ignorantia nostra dubium exoritur, rationi et aequitati magis consonum esse ducimus ut illud teneatur quod est verisimilius: nimirum, si probabilius admissi criminis confessio peracta fuerit, non iteretur; si probabilius nondum fuit peracta, fiat; in pari autem probabilitate obsequium legi servetur (4). Ad extremum animadvertimus (quidquid sit de speculativis hisce quaestionibus), ad animi quietem plerumque conferre ut dubia peccata sacerdoti aperiantur, nisi de poenitentibus sermo sit qui scrupulis anguntur: hi non sunt audiendi, nisi iurati asserere valeant grave quidquam se patrasse, vel illud numquam se confessos fuisse (5).

(1) La Croix, 611, 612; S. Alphonsus, 476; Gury et D'Annibale, ll. cc.; Tanquerey, 379; Lehmkuhl, 421; Costantini, 816, VII; Génicot, 291; Sebastiani, l. c.

(2) Voit, 547; S. Alphonsus, 477 (qui tamen quandoque in dubio an lex impleta fuerit ab hac sententia discessisse videtur, I, 99; IV, 150; *Homo apost.* tr. I, 17); D'Annibale, l. c.

(3) Suarez, l. c.; Lugo, 58, 59; La Croix, 602; Sporer, *Theol. sacram.* p. III, c. III, 389; Lehmkuhl, 423; Costantini, 756, VIII; Sebastiani, l. c. Vide opusc. *De regulis conscientiae*, 56.

(4) Vide opusc. *De regulis conscientiae*, l. c.; Rosmini, *Coscienza*, 724, *Compendio di Etica*, 250.

(5) S. Alphonsus *Praxis confessarii*, 97; Gousset, II, 600; Bucceroni, *De conscientia*, VI, 163. De scrupulorum natura, causis et curatione vide sis Ro-

561. — Resp. ad IV Q. Nunc ad Ruperti dubitationes. 1° Si postquam diligenter se excusserit, Rupertus in incerto est an grave peccatum admiserit, ad eius confessionem cogi nequit, de hac enim legis positivae obligatione non constat. 2° Ad secundam Ruperti dubitationem theoretice eadem responsio facienda: namque dubitare an peccatum admissum grave fuerit, idem prorsus est ac dubitare an grave peccatum fuerit admissum. At pro praxi personae adiuncta inspicere magni refert: nempe an Rupertus sit vir rectus, pietatis cultor deque rebus divinis satis instructus, vel pravis moribus, rudis, pietatis osor vel saltem rerum divinarum incuriosus; ex his enim praesumptio oriri potest seu de materiae gravitate, seu de praestito consensu. 3° De postremo Ruperti dubio videndum, utrum nullo prorsus argumento, vel probabili de iam peracta confessione suadere sibi queat; si primum, urgenda confessio; si alterum, pro maiore probabilitatis gradu se gerat oportet; et si par utrinque extet probabilitas, legi obsequatur.

CXLII.

Sulpitius lethale peccatum confessus est quasi dubie commissum: deinde, re diligentius expensa, certo certius se illud patrasse cognoscit. Quaeritur. Sitne denuo tanquam certum aperiendum peccatum antea in confessione quasi dubium prolatum?

Quaestionis solutio.

562. — Resp. ad Q. Communis veterum praesertim sententia fuit, eum qui crimen aliquod tanquam dubie patratum confessus est, si dein forte comperiat a se fuisse certe commissum, debere illud iterum confiteri. Namque (ita ipsi) ex Tridentini Concilii decreto poenitentes omnia peccata confiteantur oportet *quorum conscientiam habent;* iamvero qui certi criminis conscius est, quoad illud confessus fuerit, dici nequit praecepto obtemperasse. Praeterea per confessionem peccati dubii tota peccati pravitas patefacta non fuit; restat ergo ut subinde patefiat. Demum pro peccato dubie commisso minor iniungi solet poena quam pro certo; quamobrem ut poena crimini coaequetur, peccatum ut certum aperiatur necesse est (1). Hisce non obstantibus, contraria sententia, quam Lugo prae ceteris strenue patrocinatus est, intrinsecis

smini, *Coscienza*, 397-405, *Epistolario ascetico*, vol. II, lettere 382, 384, 391, 409, vol. III, lettere 892, 1263. Qua ratione confessarius se gerere debet cum poenitentibus qui scrupulis torquentur, sive circa confessiones praeteritas, sive circa consensum pravis cogitationibus praestitum, sive circa agenda, diserte sciteque docet Gaume (*Manuel des confesseurs,* chap. V, a. II, nn. 233-237) sanctorum Bernardi, Antonini, Francisci Salesii, Philippi Nerii vestigiis potissime inhaerens.

(1) S. Alphonsus, VI, 478; *Vindiciae alphonsianae,* p. V, q. VII; Voit, II, 553; Collet, *De Poenit.* c. VI, § III.

spectatis rationibus, probabilior nobis apparet. Et 1° una omnium doctrina est, non esse ab eo confessionem iterandam qui decies circiter perierasse confessus est, dein vero comperit undecies vel duodecies fecisse; is tamen duodecimum et undecimum periurium, immo et decimum, tanquam dubium patefecerat. Aut ergo a communi doctrina et usu recedendum, aut fatendum necessarium non esse peccatum tanquam certum declarare, quod tanquam dubium declaratum fuerat. 2° Receptissima sententia est, pueros ac rusticos, qui confuse peccatorum suorum numerum confessi sunt, non esse cogendos ad confessionem instaurandam postquam distinctius illorum numerum perceperunt, si verus numerus satis ea confusa narratione continebatur (1). Manifestum est autem in ea confusa narratione plura peccata tanquam dubia inclusa fuisse. 3° Ratio potissima haec est, quia ideo peccata confiteri iubemur, ut eorum remissionem directe consequamur; peccatum autem quod tanquam dubium Ecclesiae clavibus semel subiecimus, iam fuit vi clavium remissum (quamvis sub tacita conditione, *Si reipsa admissum fuit*); nulla ergo superest obligatio illud denuo confitendi. Neque illud officit quod ex tridentino iussu peccata omnia confiteri oporteat quorum quis conscientiam habet: qui enim peccatum suum eo modo confessus est quo sibi innotescebat, tridentino decreto obtemperavit. Neque inter poenam et culpam omnimoda quaerenda est aequalitas: et si forte aequalitas haec quadantenus deficiat, ad eam obtinendam nimis grave onus iterandi confessionem peccati iam remissi non est iniungendum (2). Ad extremum nonne saltem dubia lex est, qua confessio iteranda praecipitur? non ergo urgeri potest tanquam certa.

Suadeatur itaque, si placet, nova peccati confessio, quin tamen illis succenseatur qui aliter sentiunt, suamque sententiam tute posse ad usum deduci arbitrantur.

CXLIII.

Faustus, bonae frugis vir, peccatorum suorum numerum et pravitatem exaggerare solet, ne forte Sacramenti integritati quidquam deficiat.

Aurelius, a confessario de anteactae vitae peccatis interrogatus, dissimulat aut etiam negat se illa perpetrasse, ratus nullam obligationem esse posse ea denuo confitendi quae iam remissa fuere, sibique a confessario haec sciscitanti iniuriam fieri.

(1) Ita Suarez, Vasquez, Lugo, Viva, quorum testimonia afferemus inferius, n. 593.

(2) Lugo, disp. XVI, sect. II, § 4, sect. IX, 583 et seq.; Sporer, p. III, c. III, 397; Ballerini-Palmieri, tr. *De Poenit.*, 380-387; D'Annibale, III, 350; Lehmkuhl, 422; Sebastiani, *Summarium*, 458, Costantini, 756, VIII; Ferreres, *Epitome*, 777. Huius sententiae momenta *omnino solida* vocat Tanquerey (*De Poenit.*, 381) etsi priorem sententiam *probabiliorem* retur; et Génicot, quamvis *communem* hanc vocet, *probabilem* contrariam appellat (II, 291).

Macrina, in grave crimen prolapsa, cum ob verecundiam, tum ob famae amittendae timorem, consueto confessario relicto, ignotum convenit, crimen ei confitetur; dein, absolutione recepta, ad priorem confessarium revertitur levia peccata confessura.

Basilius generalem peccatorum suorum confessionem instituens, recentia crimina nondum sacerdoti declarata ita praeteritis iam declaratis commiscet, ut haec ab illis confessarius internoscere non valeat.

Quaeritur I°. An et quatenus confessionis integritati mendacium officiat?

Q. II°. An graviter semper peccet qui in confessione mentitur?

Q. III°. An lethalium peccatorum manifestatio alteri facta, venialium autem alteri, obsit confessionis integritati ac veritati?

Q. IV°. An in generali confessione recentia peccata veteribus commisceri sit mendacium?

Q. V°. Quid de singulis facti speciebus expositis?

Quaestionum solutio.

563. — Resp. ad I Q. Bifariam potest quispiam in confessione mentiri, scilicet aliquid falsi asserendo vel aliquid veri negando. Utrumque autem mendacii genus versari potest circa rem quae confessionis materiam constituit, vel circa rem quae ad confessionem non pertinet. Mendacium de re ad confessionem non pertinente, sive affirmativum sive negativum sit, confessionis integritati non officit. Neque officit mendacium affirmativum, quo quis de crimine se accusat quod non admisit, is enim veritati detrahit non integritati. Contra negativum mendacium, quo quis peccatum aliquot negat aut tegit, sive lethale sive veniale fuerit, perfectae confessionis integritati adversatur.

564. — Resp. ad II Q. Convenit, mendacium in confessione sacrilegii pravitate semper imbui, quippe quod sine irreverentia Sacramenti proferri nequit: attamen sacrilegium hoc in re levi leve esse potest (1). Hoc praenotasse iuvat.

I°. Mendacium de re non gravi ad confessionem non spectante leve peccatum est: neque enim confessionis integritatem inficit, neque confessarii iudicium mutat, neque damnum cuipiam infert, neque gravem Sacramento iniuriam irrogat.

II°. Mendacium negativum de re ad Sacramentum pertinente sed non necessaria, veluti si neges veniale peccatum vel mortale iam directe remissum, grave peccatum non est: cum enim libera sit horum confessio, non decipitur in re gravi confessarius, neque eius iudicium subvertitur, neque irritum fit Sacramentum. Excipe si eiusmodi

(1) Suarez, disp. XXII, sect. X; Sporer, *Theol. sacram.* p. III, tr. III, 482; Habert, *De Poenitentia*, c. IX, § IV; La Croix, l. VI, p. II, 1175; S. Alphonsus, VI, 495; D'Annibale, III, 309; Gousset, II, 437; Sebastiani, *Summarium*, 467.

notitia confessario sit necessaria, atque eo magis si ipse interroget ad poenitentis statum explorandum riteque Sacramentum conficiendum, ut puta si de habituato, recidivo, occasionario agitur, de quo confessarius dubitat an Sacramento sit paratus. Idem dic de mendacio affirmativo, nempe si de veniali peccato quis se accusat quod non patravit, modo aliam idoneam Sacramenti materiam exhibeat.

III°. Quodlibet mendacium de materia confessionis necessaria, sive neges grave peccatum quod fecisti aut callide tegas, sive confitearis quod non fecisti, lethale sacrilegium est, etenim eo decipitur in re gravi confessarius qui Christi vicem gerit, eius iudicium fallitur irritumque fit Sacramentum (1).

565. — Resp. ad III Q. Mortalia peccata prius alteri sacerdoti confiteri, venialia dein alteri, per se loquendo neque confessionis integritati obest neque veritati: nam prior confessio, etiam venialibus reticitis, valida fuit; secunda quoque, reticitis mortalibus iam dimissis, fuit valida; posteriori autem confessario nulla fit iniuria cum non decipiatur a poenitente, sed ad summum decipi sinatur. Hinc, tametsi plerumque non est laudandus qui confessarii sui iudicium declinat (quae hypocrisis quaedam videtur), si tamen ob nimiam verecundiam id agat ad sacrilegii periculum vitandum, vel ob aliam iustam causam, improbari nequit (2). *Per se loquendo* inquimus, namque si ad extorquendam a sacerdote ignaro absolutionem quispiam dolose hoc faceret, celans ei pravam peccandi consuetudinem, aut relapsus in eadem crimina, aut malas in quibus versatur occasiones, is profecto ob deficientem bonam voluntatem sacerdotem deciperet et periniurius esset Sacramento (3).

566. — Resp. ad IV Q. Valde communis ac probabilis S. Alphonso sententia est, in generali confessione opus non esse vetera et iam remissa peccata a recentibus nondum remissis distinguere. Nam (ita huiusce sententiae patroni ratiocinantur) circumstantia temporis quo quis deliquit neque peccati speciem neque confessarii iudicium mutat, cui tota peccati nequitia fit manifesta, sive recens sive vetus fuerit. Neque confessarius a poenitente decipitur, qui, quum generalem confessionem instituere velle se dicat, eo ipso omnia peccata sua tam nova quam vetera se velle confiteri demonstrat: propterea confessarius ipse

(1) Suarez, l. c.; Laymann, l. V, tr. VI, c. VIII, 15; Navarrus, *Enchir.* c. XXI, 37; Sporer, 476-479; Lugo, disp. XVI, sect. II; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VII, 15-18; Habert, l. c.; S. Alphonsus, 496, 497; D'Annibale, l. c.; Lehmkuhl, II, 417; Sebastiani, l. c.

(2) Idem fere de eo dicito qui aliam vocem simulat ne a confessario agnoscatur.

(3) Reginaldus, *Praxis*, l. VI, 98; Navarrus, *Enchir.* c. XXI, 40; Suarez, disp. XXII, sect. I; Laymann, 14; La Croix, 1186; S. Alphonsus, 471; Ballerini-Palmieri (*De Poenit.*, 18-23), cui Bucceroni (*De Poenit.*, 704), Tanquerey, 386 et Génicot (II, 304) novissime adhaeserunt.

se decipit, quin tamen eius error validae absolutioni obsit (1). Haec sententia difficultate non caret; quapropter nobis cum Collet distinguendum videtur (2): si poenitens ideo generalem confessionem peragendam constituit quia anteactae confessiones irritae fuere, vetera peccata a recentibus secernere non est necesse, quippe cum nondum Sacramento expiata fuerint, utraque tanquam materia necessaria clavibus adaeque sunt subiicienda; si vero poenitens sponte ac pietatis sensu tantummodo permotus confessionem suam se agere velle profiteatur, confessarium decipit ea peccata quasi materiam liberam perhibendo quae necessariam constituunt; ex quo fit ut confessarius deceptus rectum iudicium instituere ac parem delictis poenam iniungere nequeat. Quae cum ita sint, a mendacio in re gravi ad confessionem pertinente non videtur facile excusari posse poenitens hac ratione se gerens. Hinc La Croix docet, *ordinarie semper expedire confessa a non confessis distinguere*; et Busembaum, cui S. Alphonsus consentit, *tutius esse nova ab antiquis secernere*; et Gury, *in praxi semper suadendum esse ut fiat discrimen illud*; et Tanquerey contrariam agendi rationem reprobandam putat tanquam *perfectae sinceritati repugnantem ac viam facile parantem sacrilegio*; et *Compendium Salmanticense* in universum affirmat, illicitam esse, quippe quae *variat* confessarii iudicium (3).

567. — Resp. ad V Q. Profecto Faustinus mentitur de rebus ad confessionem pertinentibus: at quia vir bonae frugis dicitur, fortasse ob rudem simplicitatem dignus est qui excusetur, nam sua crimina augere magis quam minuere rudium ac simplicium est, putantium confessionis integritati suaeque tranquillitati hac ratione se melius consulturos (4).

De Aurelio videndum, iure an iniuria a confessario interrogetur: si iure, pro veritate respondeat oportet, graviterque peccare posset sive dissimulando sive mentiendo; sin autem iniuria, dissimulare ei licitum est, aut responsum evadere, restrictione mentali etiam adhibita, non tamen aperte negare, quia mentiri semper malum est. Ceterum, quia mendacium non esset de re ad confessionem necessario spectante, mortaliter non peccaret (5).

Quamquam maxime expedit consueto confessario animum suum candide aperire, attamen neque confessionis integritati neque veritati

(1) Lugo, disp. XVI, 46; La Croix, 1182; Sporer, 370; Bonacina, Sanchez aliique apud S. Alphonsum, 425; D'Annibale, III, 309, nota 60.

(2) Collet, *De Poenit.* c. VII, § III.

(3) La Croix, 1182; S. Alphonsus, l. c.; Gury, *Casus*, II, 433; Tanquerey, 383; *Compend. Salmanticense*, tr. *De Poenit.* 108. Vide etiam Lambertini, *Casus*, an. mdcclviii, mense aprilis; et Génicot, 288.

(4) Sporer, 479; S. Alphonsus, 497; Gousset, II, 437.

(5) Lugo, disp. XVI, sect. II, § 6; Sporer, 478; Clericatus, *Erotemata*, c. CXXI, n. 39; S. Alphonsus, 497; Lehmkuhl, II, 417.

Macrina quidquam detraxit alteri sacerdoti gravia peccata sua ob verecundiam vel timorem amittendae famae manifestans, dumne dolose egerit ut confessario suo fucum faceret atque ab alio immerita absolutionem carperet.

Si generalem confessionem Basilius instituit ut irritis confessionibus remedium afferret, non ei succensebimus quod vetera recentibus sceleribus commiscuit; sin vero id praestitit nulla necessitate coactus confessiones instaurandi, confessarium in gravem errorem induxit, propterea animae suae bono non satis consuluisse putamus.

CXLIV.

Clelia, obliviosa femina, apud Eusebium sacerdotem exomologesi peracta, ad eum protinus revertitur grave crimen confessura cuius oblita fuerat; quam dure increpans Eusebius hisce verbis repellit: « Peccatum tuum, una cum ceteris a Deo remissum, iam non obest Eucharistiae suscipiendae neque nova absolutione est expiandum; ad summum poteris, cum praesto tibi erit occasio, illud sacerdoti pro tua pace aperire ».

Alias, cum peccatum ex oblivione reticitum Clelia per mensem distulisset confiteri, atque interim pluries eucharistico Pane se refecisset, ab Anselmo sacerdote quasi sacrilega vehementer obiurgatur, docente enim Paulo, nisi ante se ipsum probaverit homo quam sacram mensam accedat, iudicium sibi manducat et bibit.

Alias, cum e paroeciae suae finibus egressa esset quo liberius apud sacerdotem externum confessiones irritas instauraret, vixdum domum reversa gravis criminis reminiscitur quod sibi exciderat. Quid aget? haeret primo, sacerdotibus sui loci illud aperire erubescens; dein, rata illud iam fuisse confessione deletum, rem silentio premit donec occasionem nanciscatur ad externum sacerdotem redeundi, interim tamen neque Poenitentiae neque Eucharistiae Sacramenta sibimet interdicit.

Quaeritur I°. An gravis sit obligatio reticita propter oblivionem peccata confitendi?

Q. II°. An quamprimum, vel ante Eucharistiae sumptionem, vel saltem in proxima confessione sint declaranda?

Q. III°. An per sacramentalem absolutionem directe sint remittenda?

Q. IV°. Quid de utriusque confessarii doctrina et agendi ratione, quidque de Clelia sentiendum?

Quaestionum solutio.

568. — Resp. ad I Q. Peccata ob inculpatam oblivionem a poenitente reticita per sacerdotis absolutionem indirecte remittuntur: repugnat enim alterum mortale peccatum remitti altero remanente. *Reliqua peccata* (Tridentinae Synodi verba sunt) *quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione inclusa esse*

intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: **Ab occultis meis munda me, Domine** (1). Verum, cum vi divini praecepti peccata omnia sacerdotibus tanquam iudicibus necessariis sint deferenda, ut per potestatem clavium solvantur; propterea obligatio superest reticita confitendi, ut per absolutionem directe solvantur. Contrariam doctrinam Alexander VII reprobavit prop. XI. quam alibi retulimus n. 78).

569. — Resp. ad II Q. I°. Communissima sententia est, obligationem non adesse confitendi quamprimum peccata in confessione per oblivionem omissa, sed satis esse ea opportuno tempore confiteri, quum nempe vel per se vel per accidens novae confessionis praecepto quis obstringitur. *Si poenitens nonnulla crimina oblitus fuerit* (ad rem *Catechismus Romanus*), *nihil ei opus erit confessionem iterare: satis autem habebit, si quando peccata quae oblitus erit in memoriam reduxerit, ea sacerdoti alio tempore confiteri* (2). Sane, per confessionem omnium peccatorum quae diligenter cogitanti memoriae occurrunt, poenitens eorum remissionem obtinuit (illis etiam inclusis quorum est oblitus), Deique gratiam est consecutus; cumque ex dilata confessione peccati reticiti nullum eius animae detrimentum obveniat, ratio non adest cur sit adigendus ad declaranda quamprimum peccata iam sibi indirecte remissa (3).

II°. An saltem ante Eucharistiae sumptionem peccata reticita sint declaranda, affirmant plures illud Pauli praetendentes: *Probet seipsum homo* (4). Hodie tamen non pauci in contrariam sententiam concedunt, quae potioribus argumentis suffulta videtur. Nam qui postquam se ipsum accurate perquisivit omnesque animi sui latebras sincere sacerdoti aperuit, atque in Dei gratiam per absolutionem rediit, is profecto seipsum probavit et Apostoli iussum implevit; propterea quum sacram mensam nullo exitiali peccato contaminatus accedat, nullam Christo iniuriam infert; id unum restat, ut divino praecepto satis faciat subiiciendi Ecclesiae clavibus, ut directe remittatur, peccatum omissum; hoc autem non illico praestandum esse, vix ullus est qui inficiatur (5). Ad extremum, nonne saltem dubia lex est?

(1) Sess. XIV, c. V.

(2) *Catechismus R.*, p. II, c. V, 49.

(3) Navarrus, *Enchir.* c. II, 10; Reginaldus, *Praxis*, l. VI, 40; *Summa Sylv.* v. *Confessio*, I, 3; Suarez, disp. XXXV, sect. IV; Lugo, disp. XV, sect. VII; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VII, 44, 45; Laymann, l. V, tr. VI, c. VIII, 13; Bonacina, disp. V, q. V, sect. II, p. II, 32; Viva, *Damnatae theses*, in prop. cit., n. XIII; Génicot, II, 296; Ferreres, *Epitome*, 780.

(4) Navarrus, c. XXI, 49; Reiffenstuel, dist. II, 36-39; Bonacina, l. c.; La Croix, l. VI, p. I, 529, aliique multi.

(5) Collet, *De Euchar.* p. I, c. VI, § III, aliique pauci quos ipse citat; S. Alphonsus, l. VI, 257, *qui omnino rationi consentaneam* hanc sententiam appellat; et post ipsum Gury, II, 495; D'Annibale, III, 401, nota 1; Lehmkuhl, II, 429; Tanquerey, *De Euch.* 160; Génicot et Ferreres, ll. cc.

III°. At si non illico neque ante Eucharistiae sumptionem, certum et exploratum est in confessione proxime facienda hoc esse praestandum: nam ex divino praecepto, ut integra sit confessio, omnia peccata manifestentur oportet quorum quis conscientiam habet; quapropter huic praecepto ille non satisfacit, qui reticiti peccati conscius illud iterum reticet (1). Ex quo sequitur, ut si forte poenitens, confessione iam peracta et absolutione obtenta, de mortali peccato se accuset quod per oblivionem reticuerat, illico sit nova absolutione donandus (2).

570. — Resp. ad III Q. Pauculi sunt qui rentur, peccata ex oblivione reticita, quippe quae iam deleta fuere, non esse per absolutionem directe remittenda, sed sacerdoti dumtaxat declaranda ut divinum de confessionis integritate praeceptum impleatur (3). Verum a communi sententia recedendum non putamus. Nam sacerdotes in Poenitentiae Sacramento necessarii iudices a Christo sunt constituti, neque alia de causa peccata iis deferantur oportet, nisi ut de illis iudicium instituant congruamque poenam decernant: iudicium autem nisi per sententiam non absolvitur (4).

571. — Resp. ad IV Q. Eusebii obiurgatio pauxillum effert veri, plus tamen falsi. Quippe verum est peccatum indirecte remissum Eucharistiae sumendae interim non obesse; falsum est autem nova absolutione non esse expiandum, sed tantum ad animi pacem posse, oblata occasione, sacerdoti aperiri. Male prorsus locutus est Anselmus quasi sacrilegam Cleliam exprobrando ac Pauli Apostoli iussum violantem, nam per confessionem formaliter integram antea factam ipsa se probaverat. Demum Clelia eucharistico Pane potuit interea se reficere, donec confessionis peragendae urgeret praeceptum; debuisset tamen, quum primum ad Poenitentiae tribunal se sistitit, grave crimen fateri cuius oblita fuerat, ut suae confessionis integritati consuleret.

CXLV.

Lentulus sacerdos, quum ad aegrotos gravi laborantes morbo arcessitur, uno alterove audito peccato, eos absolvit; immo si quando mors immineat, sat esse putat si moribundus generice confiteatur se peccasse, nam ad integram confessionem moribundi non sunt obligandi. Et si forte aegrotos inveniat vi morbi extra se raptos, eos sub conditione absolvit, sive Sacramentum ante petierint, sive minus, sive etiam recusaverint; sive aliquod poenitudinis signum adstantibus

(1) Viva, Gury, Génicot, l. c.; Ferreres, *Epitome*, l. c.; Lehmkuhl, 430.
(2) Génicot, 297.
(3) Collet, *De Poenit.* c. VI, § III cum Pontas.
(4) Suarez, disp. XXII, sect. I; Sporer, *Theol. sacram.* p. III, c. V, 627; Gury, 496; Lehmkuhl, 429; Génicot, 297; Ferreres, l. c.

praebuerint, sive nullum. Ad haec, cum semel hominem ebrium sensibus destitutum incidisset, alias vero militem lethali vulnere in duello sauciatum iamque agentem animam, utrique sub conditione absolutionem tribuit, ratus utrumque potuisse Sacramentum avere. Cum autem in ea qua degit regione etiam haeretici incolent, si forte ignotae sibi religionis homines aut etiam haereticos morti proximos sensibusque destitutos nanciscatur, eos sub conditione absolvere non abnuit: non enim fieri potest ut et ipsi Sacramentum aveant? vel saltem aveant quidquid ex divino instituto sibi ad salutem aeternam necessarium foret?

Quaeritur I°. Sintne causae a confessionis integritate excusantes?

Q. II°. Possitne valide et licite moribundus absolvi qui integram confessionem facere nequit, vel tantum generice se peccasse confitetur?

Q. III°. Possitne absolvi moribundus sensibus destitutus, sive ante petierit Sacramentum, sive non, sive detrectaverit, sive poenitudinis signa praebuerit, sive minus, etsi in actu peccandi sensus amiserit?

Q. IV°. An de moribundo religionis ignotae aut haereticae sectae idem dici queat?

Q. V°. Quid de Lentulo eiusque agendi ratione?

Quaestionum solutio.

572. — Resp. ad I Q. Causae a confessionis integritate excusantes ad impotentiam revocantur, cuius duplex genus est: alia *physica* dicitur, quae integrae confessionis peragendae facultatem penitus adimit, nam impossibilium nulla est obligatio; alia *moralis*, qua praecepti implementum valde onerosum efficitur ob grave damnum quod poenitens prudenter timet sibi vel confessario vel alteri extrinsecus obventurum, nam ob grave incommodum positivi praecepti obligatio solvitur. Diximus *ob grave damnum quod prudenter quis timet*, levis enim damni ineptique timoris ratio non habenda, secus vix ulla lex firma consisteret. Diximus etiam *damnum extrinsecus obventurum*; etenim, si difficultates et incommoda ipsi rei praeceptae sint inhaerentia, ideoque praevisa a legislatore fuerint, legis vinculum non relaxatur: hinc merito *confessionis difficultas ac peccati detegendi verecundia* Tridentinae Synodo gravis causa non est integritatis non servandae (1). Ceterum, impotentia seu physica seu morali cessante, integrandae confessionis obligatio reviviscit.

573. — Resp. ad II Q. I°. A materiali confessionis integritate excusatur moribundus ob physicam vel moralem impotentiam pro eiusdem impotentiae modo, et quamdiu ea duraverit: propterea et valide et licite potest absolvi. Diximus *pro impotentiae modo*, scilicet eatenus excusatur quatenus impos, nam et materialis integritas, quoad eius

(1) Sess. XIV, c. V.

fieri potest, curanda. Item *quamdiu impotentia duraverit*, nam si corpori animoque vires redeant tempusque suppetat, explenda dein est confessio. Haec perspicua sunt et apud omnes rata.

II°. Si nullum peccatum moribundus in sua specie declarare queat sed generice tantum se peccasse confiteatur, communis doctorum sententia est valide et licite eum absolvi posse. Ei enim qui alia ratione peccata sua promere non valet, eiusmodi generica confessio est necessaria ad praeceptum implendum; si autem necessaria, sufficiens quoque dicenda est. Et si sufficiens, iam non erit absolutio sub conditione impertienda sed absolute. Hanc doctrinam *Rituale R.* hisce verbis disertissime tradit: *Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficiat, nutibus et signis (confessarius) conetur, quoad eius fieri potuerit, peccata poenitentis cognoscere, quibus vel* **in genere** *vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit, absolvendus est* (1). Debet tamen poenitens, si deinceps commode poterit, peccatorum quae reticuit species et numerum aperire, ut eorum absolutionem directe consequatur (2).

574. — Resp. ad III Q. Ut una responsione quaestionibus multis occurramus quae simul nobis proponuntur, id instar principii constituendum putamus: fas esse moribundo absolutionem saltem sub conditione tribuere, quoties probabilitate aliqua, licet tenuissima, coniicere aut praesumere licet ipsum Sacramentum expetere vel ante expetivisse. Huius assertionis ratio plana est: cum enim Sacramenta propter homines instituta fuerint et de Sacramento agatur hominum saluti maxime necessario, *multo satius nolenti dare* (ut Augustini verba usurpemus) *quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet* (3). Conditio autem, ubi opus fuerit, Sacramento adiecta eius reverentiae cavet. Hinc inferimus: 1°. absolvi posse ac debere moribundum sensibus destitutum, sive aliquomodo antequam deficeret Sacramentum petierit, sive aliquod poenitudinis signum coram adstantibus ediderit: idque *Rituali R.* consonum et apud omnes receptum est (4). 2°. Absolvendus etiam sub conditione moribundus qui, quamquam Sacramentum non petiit neque poenitudinis signum protulit, attamen christiane et pie vixit; ipsa enim christiana vita ut quaedam tacita Sacramenti petitio haberi potest, hoc nempe sensu, quod ex christiana vita coniicere licet illum Sacramentum optasse antequam linqueretur animo, et fortasse nunc etiam optare et petere per gemitus, suspiria,

(1) *De Sacram. Poenitentiae.*

(2) S. Alphonsus, VI, 480 et ceteri communiter.

(3) *De adulterinis coniugiis*, l. I, c. XXVI.

(4) Lugo, disp. XXII, 24 et seq.; Laymann, l. V, tr. VI, c. VIII, 4; Sporer, *Theol. sacram.* p. III, c. V, 636-642; La Croix, l. VI, p. II, 1156-1159; S. Alphonsus, 481; Génicot, II, 298; Ferreres, *Epitome*, 783.

anhelitum aliudve sensibile signum quod ab adstantibus non percipitur. Immo et moribundum qui parum christiane vixerit, talibus in adiunctis, sub conditione absolvendum esse dicimus: nonne enim et ipse potuit antequam deficeret aut deinceps suorum criminum poenitere et Sacramentum optare? non est ergo ei abnuendum Sacramenti subsidium (1). 3° Tametsi parum probabile videatur, moribundum sensibus abreptum in ipso actu peccati (puta ebrietatis, duelli, adulterii) doloris actum et Sacramenti desiderium elicuisse, quia tamen unico temporis instanti voluntas mutari potest, quidquid rigidiores senserint, absolutio sub conditione etiam illi danda est (2). Quod praeclaro Augustini testimonio firmatur, qui postquam docuisset catechumenis adulterina consortia retinentibus, si desperati iacuerint, Baptismum esse conferendum, *quis enim novit utrum fortassis adulterinae carnis illecebris usque ad Baptismum statuerint retineri?* protinus subdit: *Quae autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit, nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suae pacis exire velle debet mater Ecclesia* (3). Quapropter, nisi perfracte usque ad extremum temporis punctum quo mente sua constitit Sacramentum respuerit, non est moribundus absolutione privandus (4).

575. — Resp. ad IV Q. De moribundo religionis ignotae plana res est: cum enim fieri possit ut christianam fidem profiteatur, sub conditione absolvi debet (5). Maior est de homine haeretico difficultas, qui quamvis Baptismum receperit, in haeresi vitam duxit. Multi sunt qui illum absolvi posse negant, etsi poenitudinis signa praestat, nisi expresse absolutionem expetat; quippe ex eiusmodi signis coniicere nondum licet haereticos homines absolutionem petere a qua summopere abhorrent (6). Verum si de haeretico materiali agatur, vel de quo dubitatur an materialis vel formalis sit, probabilis sententia est (propterea

(1) Sporer, 644-648; La Croix, 1162; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VII, 70-76; Alasia, *De Poenit.* c. V, a. II, 9, 10; Collet, *De Poenit.* c. VI, § III; S. Alphonsus, 482; D'Annibale, III, 317; Tanquerey, 654; Génicot et Ferreres, ll. cc.

(2) La Croix, 1163; Alasia, 12; S. Alphonsus, 483; Gury, II, 506; D'Annibale, l. c.; Tanquerey, *De Poenit.* 654; Lehmkuhl, II, 646-651; Costantini, III, 812; Bucceroni, *De Poenitentia*, VIII, 754; Génicot et Ferreres, ll. cc.; Sebastiani, *Summarium*, 490, III.

(3) *De adulterinis coniugiis*, l. I, c. XXVIII.

(4) Neoterici quidam, oppido paucissimi, iis etiam, qui dum essent sibi compotes Sacramentum perfracte respuerunt, dandum esse contendunt. Ita Gennari et Berardi (apud Zaninetti, 2328), quibus assentiri non audemus, in hoc enim eventu nullum prorsus adest, neque censeri potest adesse, mutatae voluntatis signum. Nobiscum sentiunt Tanquerey, *De Poenitentia*, 654; Bucceroni, 754bis et Ferreres, l. c.

(5) Sporer, 548; Reiffenstuel, 76, add. II; Collet, l. c.

(6) S. Alphonsus, 483.

in tanto salutis discrimine tenenda) absolutionem sub conditione ac remoto scandalo ei tribui posse; fortasse enim implicite, sin minus explicite, is Sacramentum exoptat, saltem quatenus praesumi potest Dei gratiam recuperare velle per adiutorium ad hoc divinitus institutum. Abs re non erit decretum recolere a Congregatione S. Officii die 20 iulii anni 1898 editum, quo quaerentibus *an aliquando absolvi possint schismatici materiales qui in bona fide versantur*, respondit: *Cum scandalum vitari nequeat, negative praeter mortis articulum, et tunc efficaciter remoto scandalo*. Schismatici atque haeretici dissimilis conditio non est (1). Ad scandalum autem removendum sat erit absolutionem clam tribuere, vel de probata sic agendi causa adstantes commonefacere et docere.

576. — Resp. ad V Q. De aeterna aegrotorum salute Lentulus quam maxime sollicitum se probat (hoc nomine profecto laudandus); non aeque tamen de confessionis integritate deque Sacramenti reverentia curanda. Nam integritati etiam materiali confessionis quisque pro virili studeat oportet; aegroti autem, ac moribundi in primis, nisi ob impotentiam ac pro impotentiae modo a confessionis integritate non excusantur: carpendus ergo Lentulus qui, uno altrove audito peccato, graviter aegrotantes absolvit, ac de generica moribundorum confessione nimis facile contentum se praebet. Catholicae professionis homines extra se raptos, mortis impendente periculo, sub conditione absolvere potuit, etsi Sacramentum non petierint, quamvis in actu peccati defecerint, iis tamen exceptis qui expresse Sacramentum repudiaverint, nolenti enim Sacramentum dare grande piaculum est. Potuit et ignotae religionis homini sensibus destituto absolutionem sub conditione impertiri, immo et haeretico materiali (adhibitis tamen opportune cautionibus ad scandalum removendum); non autem haeretico formali, quippe indigno ac Sacramentum respuenti.

CXLVI.

Arnobia, quam gravis infirmitas lecto detinet, nisi parocho suo peccata confiteri nequit, a quo dum bona uteretur valetudine, plus semel ad inhonesta inducta fuerat: verita ne sibi aut illi novum concitet peccandi periculum, quaedam consulto silet contra castitatem admissa, eo tamen animo ut alteri sacerdoti, vixdum occasio aderit, illa manifestet.

Augustus parocho suo, cui famulatur, non modicam pecuniae vim furatus est; cumque interim peccata sua alteri confiteri nequeat, furtum reticet, ne forte una cum uxore et liberis ab iracundo domino dimittatur; subinde tamen alteri sacerdoti candide crimen suum confitetur.

(1) La Croix, 1866; Reuter, *Neo-Confessarius*, 203; Lehmkuhl et D'Annibale, ll. cc.; Tanquerey, 665; Gury, *Casus*, II, 488.

Theodorus, scrupulis exagitatus, peccata sua dicendi nunquam finem facit; quocirca confessarius, paucis peccatis auditis, affirmante gravibus adhuc se culpis teneri absolvit sacramque mensam accedere iubet.

Plautilla, mortali affecta morbo sacroque reficienda Viatico, sacerdoti illud sibi afferenti, ac de more sciscitanti num aliquo angeretur scrupulo, grave pandit crimen a pueritia admissum semperque ob verecundiam reticitum; sacerdos, ne longiorem moram devota turba miretur, Plautillam malefacti dolentem absolvit munitque eucharistico Sacramento, simulque secreto monet anteactas confessiones, ceu irritas, quamprimum pro viribus instaurandas curet.

Quaeritur I°. An et quatenus damni sibi ceterisve impendentis periculum ab integra confessione peragenda eximere valeat?

Q. II°. Quodnam de singulis factorum speciebus iudicium ferendum?

Quaestionum solutio.

577. — Resp. ad I Q. Moralem impotentiam a materiali confessionis integritate excusare iam vidimus (n. 572). Ad moralem autem impotentiam damnum revocatur quod poenitens sibi, vel confessario, vel ceteris veretur, sive in bonis corporis vel fortunae, sive in bonis famae, sive in bonis animae: nam positivo praecepto integrae confessionis peragendae potius est naturale praeceptum caritatis et iustitiae grave sibi ceterisve damnum cavendi. Oportet tamen 1° ut damnum impendens sit grave; 2° ut prudenter timeatur, nempe ut certe vel saltem valde probabiliter impendat; 3° ut nequeat alia ratione caveri, puta confessionem differendo aliumve confessarium adeundo cui integra sine periculo fieri queat confessio; 4° ut in praesentiarum confessio sit necessaria, quia praeceptum instat confessionis annuae vel in mortis articulo peragendae, vel Eucharistiae sumendae, vel quia nequit confessio differri sine infamiae nota, vel scandalo, vel poenitentis incommodo aut damno, veluti si diu in mortali peccato manere cogeretur (*ultra biduum*, ait Lugo, etiam *per diem* S. Alphonsus); 5° ut ea tantum reticeantur peccata ex quorum manifestatione periculum imminet; periculo autem cessante, integretur confessio (1). Hisce praehabitis, iam cominus agamus, thesim nostram, quae satis patet, exemplis illustrando magis quam demostrando.

578. — I°. Ab integra confessione persolvenda excusatur poenitens 1° ob grave damnum quod sibi metuit in bonis corporis vel fortunae, ut puta mutilationem membrorum, captivitatem, mortem, bonorum

(1) Navarrus, *Enchir.*, c. VII; *Summa Sylv.*, v. *Confessio*, I, 19; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VI, 42, 43; Laymann, l. V, tr. VI, c. VIII, 11; Suarez, disp. XXIII, sect. II; Lugo, disp. XVI, sect. XIII; Billuart, *diss.* VII, a. II, § 1; Collet, *De Poenit.*, c. VI, § III; S. Alphonsus, VI, 484-488; D'Annibale, III, 305; Génicot, II, 292, 293, 294; Ferreres, *Epitome*, 781; Sebastiani, *Summarium*, 467.

direptionem ob hostium incursum, odium confessarii crimen revelantis vel ultionem sumentis, atque exinde necessariorum ad victum et vestitum privationem. Item si aegrotus ex diuturna vocis contentione valde fatigetur. 2°. Ob damnum famae, si sacrum Viaticum susceperus vel ad Eucharisticam mensam iamiam accessurus, prolixam confessionem facere nequeat quin gravium criminum suspicionem ingerat. Item si vehementer timeat ne confessarius sigilli fidem frangat, quia vir futilis et imprudens est vel de haeresi suspectus. 3° Ob damnum animae ille excusatur qui expertus novit ex studiosa sui excussione pravas in se tentationes excitari, quibus facile consentit; vel ex distincta turpium confessione a libidinoso confessario ad turpia excitatum iri. Item qui adeo urgetur scrupulis, ut singula confiteri volenti confessio exosa fieret atque intoleranda.

II°. Excusatur poenitens 1° ob damnum temporale confessario impendens ex longiore mora : quod pestilentia grassante, fragrante incendio, irruentibus hostibus contingere potest. 2°. Ob damnum eiusdem confessarii in bonis animae, si poenitens experientia doctus praevideat per certi criminis manifestationem occasionem confessario se esse praebiturum in grave peccatum labendi. Sunt qui hoc tunc solum obtinere contendunt, quum confessarii lapsus ex fragilitate non vero ex malitia ortum habet (1) : verum (praeterquam quod poenitenti facile negotium non est dignoscere utra sit causa lapsus) sive ex fragilitate, sive ex malitia proficiscatur, nonne caritatis praeceptum positivo integritatis servandae praestare debet ?

III°. Excusatur poenitens 1° ob damnum in bonis temporalibus quod ceteris obvenire potest tempore pestis, belli, incendii, naufragii. 2° Ob damnum quod animae vel famae alterius inferri potest a confessario notitia confessionis inique abusuro sive ad quempiam provocandum ad malum, sive ad eum infamandum : hoc tamen scelus, cum immane prorsus sit, non est facile fingendum. Demum confessarius ipse, si crimen suum confiteri nequeat nisi alterius crimen ex confessione sibi notum revelet, excusatur : nulla enim ratione Sacramenti sigillum frangere fas, quod ipsa naturalis lex intactum servare iubet (2). An poenitentem excuset ratio servandi sui complicis famam apud confessarium ipsum, quaestio est quam suo loco expendemus.

579. — Resp. ad II Q. Nullo nomine carpenda, immo laudanda Arnobia quae iure prorsus a turpibus confitendis se sustinuit ne sibi et parocho peccandi periculum crearet.

Neque damnandus Augustus, si ex parochi ingenio et moribus sibi satis perspectis prudenter sibi suisque tantam iacturam metuere prudenter potuit.

(1) Navarrus, *Enchir.*, c. VII, 4; Suarez et Lugo, ll. cc.; Génicot, 293.

(2) *Summa Sylvestr.*, v. *Confessio*, III, 8; Laymann, l. V, tr. VI, c. XIV, 13; Ferraris, 97; S. Alphonsus, VI, 487; Sebastiani, Génicot et Ferreres, ll. cc.

Cum in scrupulis non semper eadem vis insit atque molestia, ex adiunctis rem aestimare oportet: et si quidem Theodorus omnia peccata sua confiteri nequibat quin confessio in supplicium verteretur, recte confessarius se gessit. Cavendum tamen, ne forte poenitentis scrupulos ad suam impatientiam tegendam confessarius obtendat.

Demum cum Plautilla confessarius optime egit, quod est manifestum ex dictis.

CXLVII.

Honorius sacerdos, cum in templo poenitentium admissis expiandis totus incumberet, quemdam nactus est insigni surditate laborantem: quod cum animadvertisset confessione iam valde producta, quid faciat nescit. Poenitentem iterum iterumque interrogat de peccatorum numero, de adiunctis, de dolore animi, de proposito; at surdo canit. Videns se oleum et operam perdere, ne forte indigno Sacramentum tribuat, vel ob satisfactionis defectum mutilum relinquat, poenitentem non absolutum dimittit.

Alias ad hominem graviter aegrotantem Sacramentique cupidum vocatus, invenit eum sibi pectus tundentem aliaque exhibentem poenitudinis signa, nullum tamen eius peccatum percipere valet, alieno quippe sibique ignoto sermone loquentem frustra auscultat. Adest quidem aegrotantis frater, quo interprete exomologesim suam posset aegrotus perficere, nullo tamen pacto eius opera uti vult; quapropter Honorius ab eo recedit quin illum absolvat.

Quaeritur I°. An et quatenus a confessionis integritate excusentur surdi, quidque cum illis agendum?

Q. II°. An et quatenus excusentur confessarii idioma ignorantes, quidque agendum cum illis?

Q. III°. Quid de Honorio in utraque facti specie?

Quaestionum solutio.

580. — Resp. ad I Q. Surdum a surdastro distingue: ille est cuius aures nihil possunt; hic qui, quamvis obtusis auribus, ea tamen percipere valet quae clara et elatiore voce proferuntur. Neuter a praecepto integrae confessionis peragendae in universum eximitur: propterea uterque satagere debet ut, quoad eius facere potest, integram confessionem suam absolvat. Facilius excusatur surdus, quippe qui sacerdoti per nutus et signa interroganti aegre et imperfecte respondere valet; contra surdaster, qui sacerdotem elata voce loquentem potest audire, tempus et locum congruum quaerat oportet ad confessionem suam rite perficiendam (1).

(1) Laymann, l. V, tr. VI, c. VIII, 9; S. Alphonsus (cum Busembaum), VI, 479; Gury, II, 503.

II°. Quid confessario agendum qui confessione inchoata poenitentis surditatem animadvertit? Si quidem animadvertat confessione vix inita, circumstantes de poenitentis surditate admoneat illumque postea seorsum audiendum remittat, vel statim in remotum locum audiendum adducat; si vero confessio iam multum processerit, adeo ut obtruncari nequeat quin gravis criminis suspicio in ceteris excitetur, interrogationibus praetermissis levique iniuncta satisfactione, confessarius poenitentem absolvat, vel absolute vel sub conditione, prout illum certe vel dubie Sacramento recipiendo paratum iudicaverit. Ita S. Alphonsus cum theologis mox citandis: verum (salva S. Doctori reverentia) cum Frassinetti et Génicot vix unquam contingere posse putamus ut ex interrupta confessione gravis criminis ingeratur suspicio, si de poenitentis surditate circumstantes moneantur et in sacrarium aliumve remotiorem locum poenitens ducatur; propterea hoc dicimus esse faciendum, ut confessionis integritati simulque poenitentis bono consulatur. Quandoque, si modica surditate poenitens laboret, sat erit circumstantes hortari ab exedra confessionibus excipiendis tantillum recedant: quod si fieri potest, fiat (1).

581. — Resp. ad II Q. Qui sacerdotem sui idiomatis gnarum invenire nequit, urgente annuae confessionis praecepto et in mortis articulo, peccata sua cui potest confiteatur oportet, per nutus saltem vel signa in specie vel genere ea manifestando. An vero debeat medio interprete confiteri, affirmant quidam putantes nimis grave non esse uni peccatum fateri, qui stricta sigilli lege tenetur servandi silentium (2). Alii in mortis articulo dumtaxat interpretem adhibendum arbitrantur, quia ex lateranensi decreto annua confessio sine ullo teste facienda praecipitur: *omnia sua* **solus** *peccata confiteatur* (3). Communis tamen et vera sententia obligationem utendi interprete inficiatur, onus enim gravissimum est multisque obnoxium periculis, revelationis scilicet, scandali et irrisionis, quod neque Christus praecepit neque humana lege praecipi posset. Excipe si in mortis articulo constitutus de contritione perfecta quis esset incertus: in quo eventu saltem veniale aliquod peccatum per interpretem confiteri necesse est, ne salus aeterna in discrimen adducatur (4). Attamen quia peccatum sub generica peccati notione cognitum sufficiens Sacramenti materia est (ut vidimus alias, n. 527), si moribundus aliquomodo se peccasse

(1) S. Alphonsus, 644; D'Annibale, III, 305, nota 38; Lehmkuhl, II, 433, Frassinetti, II, nota 159 et Génicot, II, 292, qui hunc morem in Belgio ubique affirmat obtinere, et Gaume, *Manuel des confesseurs*, n. 249.

(2) Lugo, disp. XVI, sect. V.

(3) Suarez, disp. XXXVI, sect. VI.

(4) Laymann, c. VI, 5; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VII, 23; Sporer, *Theol. sacram.*, p. III, c. III, 486; S. Alphonsus, 479; Ferraris, v. *Poenitentiae Sacramentum*, a. II, 85; Frassinetti, 400.

significet, interprete opus non habet. Sententiam hanc *veram* appellavimus, extant enim S. Sedis decreta quibus confessio per interpretem permittitur et quandoque consulitur, simulque declaratur dari posse ac debere absolutionem poenitenti qui eo uti recusat, modo per nutus et signa aliquod peccatum manifestare conetur (1). *Qui aliter confiteri non possunt* (ita *Codex pontificii iuris*, can. 903) *non prohibentur, si velint, per interpretem confiteri, praecavendo abusus et scandala.* Ceterum nonnulli hanc confitendi per interpretem rationem suggerunt, qua cum confessionis integritati tum poenitentis verecundiae belle cavetur: interpres poenitenti terga vertat, ita ut illum et confessarium alloqui et audire, non autem videre queat: poenitens vero confessarium aspiciat, deque iis per nutus et signa respondeat de quibus ab interprete per vocem interrogatur (2).

582. — Resp. ad III Q. In utraque specie male se gessit Honorius: in priore, quia si surdi confessionem sine infamiae periculo differre nequibat, debuisset illum saltem sub conditione absolvere levi iniuncta satisfactione; in posteriore, quia ignarus idiomatis non est cogendus ad confitenda per interpretem peccata quae admisit, sed sufficit per nutus et signa aliquomodo peccata sua manifestet; immo ipsa pectoris tunsio (alio deficiente signo) in tam acri momento sufficere videtur ut absolutio sub conditione tribuatur.

CXLVIII.

Placidia confessario vix unquam peccata sua aperire potest quin modo viri ebrietatem, modo liberorum blasphemias, modo domestica iurgia simul aperiat, satius namque ducit cum suis suorum quoque culpas aperire quam diutius a sacra mensa abstinere.

Lucilla grave cum fratre suo crimen contra castitatem admisit; ut autem fratris famae consuleret, crimen confessario reticuit cui frater notissimus erat, rata se posse deinceps, fratris fama servata, alteri sacerdoti illud confiteri.

Petronius, cum audisset uxorem suam ex adulterio cum leviro gravidam evasisse, subita ira commotus matrem suffocat, quacum et proles innocens perit, ut autem uxoris famae prospiciat, parocho confitetur se feminam cum prole quam utero gerebat necasse.

Quaeritur I°. An a gravi confitendo peccato excuset alterius famae integritas penes confessarium servanda, sive infamandus complex poenitentis fuerit, sive minus?

Q. II°. An et quanta sit poenitentis obligatio alium quaerendi confessarium, aut confessionem differendi?

Q. III°. An poenitentes de quibus supra recte se gesserint?

(1) S. C. de Prop. Fide, 6 sept. 1630; S. Offic., 28 febr. 1633 (apud Lehmkuhl, *Casus*, II, 362) et 10 febr. 1668 (apud Ballerini-Palmieri, tr. *De Poenitent.*, 393, nota).

(2) Gury, *Casus*, II, 478; Lehmkuhl, II, 433.

Quaestionum solutio.

583. — Resp. ad I Q. De duobus convenit: 1° poenitenti non licere alterius crimen confessario revelare ad confitenda levia peccata vel mortalia iam directe remissa, cum nulla adsit necessitas haec peccata confitendi; 2° debere poenitentem, quoad eius facere potest, confessarium quaerere cui ille sit ignotus cuius fama in periculum venit. Haec nisi praestiterit, in caritatem et iustitiam offendet, quasi iniquus alienae famae detractor (1). Tota ergo quaestio de eo est qui grave peccatum necdum remissum in praesenti confiteri debet, nec potest quin alterius famam inficiat, sive infamandus peccati complex fuerit sive minus.

Ut a complicis crimine exordiamur, quorumdam veterum opinio fuit, nullo pacto fas esse complicis crimen pandere ad suae confessionis integritatem servandam: quippe naturali praecepto alterius famam labefactare vetamur, naturali autem praecepto positivum cedat oportet (2). Quamvis opinio haec aliqua probabilitate non careat, longe probabilior est ac communissima contraria sententia, quam multis variatisque argumentis eius patroni suadent (3). Alii porro ita ratiocinantur: si integritatis bonum tantum est ut Christus illud servari voluerit etiam cum mei infamia, dicendum et cum infamia complicis servandum esse, non enim alienae famae cavere magis quam meae iubeor naturali praecepto. Alii hoc argumento sententiam suam communiunt: si licet ob honestam causam uni viro probo prudenti ac taciturno alterius crimen revelare (puta ad consilium sibi vel solatium quaerendum, ad malum ceterorum vitandum), cur non licebit ad divinum servandum praeceptum, illud sacerdoti prodere, qui stricta sigilli lege

(1) *Summa Sylvestr.*, v. *Confessio*, 28; Lugo, disp. XVI, 394 et seq.; Sporer, *Theol. sacram.*, p. III, c. III, 472; S. Alphonsus, VI, 489.

(2) Navarrus, *Euchir.*, c. VII, 3; Canus, *Relect. de Poenit.*, p. VI cum Caietano, quibus novissime adhaesit Ballerini ad Gury, II, 499 et *Opus. theol.*, tr. *De Poenit.*, 441-446. Haec opinio, quamquam prima fronte benignior, ad usum deducta pluribus scatet incommodis quae scite recenset Lehmkuhl, II, 440.

(3) S. Bernardus, opusc. *De formula vitae honestae*; S. Thomas, opus XII, q. VI (Cf. etiam II^{am} II^{ae}, q. LXXIII, a. II); S. Bonaventura, in IV dist. XXI, p. II, a. I, q. III; Lugo, l. c.; Suarez, disp. XXXIV, sect. II; Laymann, l. V, tr. VI, c. VIII, 12; Sporer, 471; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VII, 57; Illsung, tr. VI, disp. VI, q. I, a. VIII; Natalis Alexander, *De Poenitentia*, c. V, a. VII, Regula XXIII; Clericatus, *Erotemata*, c. CXX, n. 25; Billuart, diss. VI, a. II, § II; Collet, *De poenit.*, c. VI, § III; Alasia, c. V, a. II, § I, 15, 16; S. Alphonsus, l. c.; *Compendium Salmant.*, tr. *De poenit.*, 100; D'Annibale, III, 305, nota 35; De Varceno, *De poenit.*, c. III, a. IV, § 2; Lehmkuhl, 441; Tanquerey, *De poenit.*, 398-400; Costantini, 757. Utramque sententiam probabilem rentur Sebastiani (*Summarium*, 502); Ferreres, *Epitome*, 782 et Génicot (II, 295), propterea fas esse poenitenti utramlibet amplecti.

tenetur? Adde, complicem iuri suo peccando cessisse, noverat enim a sui criminis socio peccatum esse confessario manifestandum. Alii demum ex ipsa natura Sacramenti, quod iudicii formam refert, confici rem posse arbitrantur: quippe ius habet iudex delictum hominis sibi subditi cognoscendi, quamvis indirecte alterius delictum sibi patefiat, ad perfectionem enim iudicii hoc pertinere censetur. Ex his palam fit, prioris sententiae fundamentum facile everti: nam etsi naturae lex quempiam infamare vetat, ex positiva lege oriri potest causa, ob quam naturae lex desinat obligare et alterius criminis revelatio honestetur, quemadmodum honestatur si ad revelantis vel alterius bonum necessaria fiat, quemadmodum ipsa hominis occisio desinit esse mala quum ad suam vel reipublicae tutelam consummetur.

Quae de complicis infamia, etiam de infamia non complicis dicenda putamus, cum eadem fere rationis argumenta utrinque militent. Cum autem sententia nostra communis sit doctissimisque viris atque sanctissimis maxime probata, securus eam sectaberis.

584. - Resp. ad II Q. Obligatio haec gravis potest esse: etenim alienae famae sine causa honestante labem inferre caritatis ac iustitiae lege prohibemur. Causae autem honestantes ad necessitatem et utilitatem cum poenitentis tum aliorum revocari possunt, quarum sufficientiam ex rerum personarumque adiunctis, ratione etiam habita gravitatis alieni criminis quod manifestatur, metiri oportet. En praecipuae quae recenseri solent causae: 1° necessitas confessionis annuae vel in mortis articulo peragendae, itemque Eucharistiae in Paschate vel per Viaticum sumendae, urgente praecepto; 2° periculum infamiae notam incurrendi vel scandalum praebendi ceteris; 3° difficultas alium inveniendi confessarium aut etiam animum suum extraneo aperiendi; 4° desiderium se protinus reconciliandi Deo, nam in mortali peccato diutius permanere (per biduum, immo et per diem, auctore S. Alphonso) durum est; 5° incommodum abstinendi a Sacro celebrando vel Eucharistia sumenda, quum quis hoc praestare quotidie consueverit (1). Ceterum illud probare nequimus quod quidam in universum tradiderunt, nempe obligationem alium quaerendi confessarium esse per se levem, vel saltem gravem non putari, nisi de valde gravi crimine agatur (2).

585. — Resp. ad III Q. Excusanda Placidia videtur, tum quia diutius a sacra mensa abstinere sat grave incommodum piae feminae censetur, tum quia eiusmodi familiarium peccata plerumque omnino secreta non sunt.

Improbanda Lucilla, nisi ob bonam fidem ita se gesserit, nam ex communi sententia, si confessionem differre aliumve confessarium adire nequibat, peccatum suum etiam cum fratris infamia confiteri debuisset.

(1) Sporer, 472; S. Alphonsus, 490; Bouvier, *De poenit.*, c. IV, a. II, § VI; Gousset, II, 434; Génicot, 294.

(2) Bucceroni, *De poenitentia*, V, 721.

Peccatum suum non satis Petronius aperuit, etenim uxoris et filii necatio occisioni feminae ac pueruli novam speciem superinducit; quapropter vel alio se conferre debuisset, sacerdoti ignoto sua crimina confessurus, vel ea parocho ingenue aperire.

CXLIX.

Athanasius, audita de divino iudicio concione, nulla prorsus conscientiae discussione praehabita, ad Heraclii sacerdotis pedes advolat suorum criminum exomologesim facturus. Id animadvertens Heraclius, protinus eum hisce verbis dimittit: « Discute primum conscientiam tuam, dein revertere, non enim me sed te discutiendi conscientiam obligatio tenet ». Ab Heraclio repulsus, Athanasius ad Theodorum se recepit, a quo multigenis interrogationibus vexatus, cum dixisset, se pluribus fortasse peccatis adhuc adstringi quae diligentior consideratio detegere posset, iterum dimittitur ut impensiori studio animum suum discutiat.

Quaeritur I°. An et quanta sit in poenitente discutiendae conscientiae obligatio?

Q. II°. An et quanta in confessario sit obligatio poenitentem interrogandi?

Q. III°. Qua ratione cum imparato poenitente confessarius se gerere debet?

Q. IV°. Quid de utriusque confessarii agendi ratione?

Quaestionum solutio.

586. — Resp. ad I Q. Poenitens qui lethalibus peccatis obstringitur, obligatione per se gravi tenetur conscientiam suam diligenter perscrutandi, ut omnia et singula peccata sua pernoscere et confiteri valeat. Hanc obligationem innuit Tridentina Synodus dicens: *Oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum* **post diligentem sui discussionem** *conscientiam habent, in confessione recenseri* (1). Facile etiam adstruitur obligatio haec ex Christi praecepto integrae confessionis perficiendae: nisi enim peccator omnes animi sui latebras diligenter scrutetur, omnia callere nequit peccata quae confiteri necesse habet. Diximus 1° *qui lethalibus peccatis obstringitur*, cum enim levium culparum confitendi nulla sit obligatio, neque eas diligenter investigandi obligatio esse potest. Diximus 2° *obligatione per se gravi teneri*, nam qui uno alterove urgetur scelere, eoque admisso illico sacerdotem convenit illud expiaturus, quavis etiam conscientiae discussione praetermissa, integram confessionem perficere potest. Diximus 3° *diligenter* conscientiam esse perscrutandam; haec autem diligentia

(1) Sess. XXIV, c. V.

talis requiritur qualem homines prudentes et cordati in rebus magni momenti adhibere solent, nam si maxima et ad scrupulum exacta requireretur, confessionem nimis onerosam efficeret atque intolerabilem. Hinc, postquam poenitens sedulo in se ipsum inquisierit, angi non debet etsi forte arbitretur per exquisitiorem considerationem aliquod peccatum se adhuc esse reperturum. Neque eadem in omnibus sed varia pro cuiusque ingenio, doctrina, officiis, moribus rerumque adiunctis est expetenda. Hinc diutius atque impensiori studio se discutiat oportet vir ingenio pollens ac doctrina, quam rudis et ignarus; multis curis ac negotiis distentus, quam quietam curisque expeditam vitam degens; qui perditis moribus vix unquam ad se redit, quam probus ac pius qui saepe animum suum explorat; qui semel in anno peccata sua confitetur, quam qui singulis mensibus ea Sacramento luere consuetum habet; qui mente et corpore valet, quam qui imbecilla utitur valetudine, ita ut nisi gravate se colligere nequeat. At si quaeras quaenam in discussione sui negligentia gravis sit aestimanda, adeo ut confessio irrita atque sacrilega sit censenda, rem difficilem quaeris, quam theologi morales certo iudicio definire non audent: a mortali culpa ille nobis vix excusandus videtur qui, confessione peracta, plura eaque gravia a se omissa pernoscit quae accuratius se recipiens facile ante noscere potuisset (1).

587. — Resp. ad II Q. Confessarius, quippe qui in Sacramento Poenitentiae ministri iudicis ac medici munere fungitur, curare debet ne confessionis integritati quidquam desit: eapropter, ubi conscientiae discussio in poenitente defecerit, confessarii erit opportunis interrogationibus satagere ut confessio integra fiat. Monendi tamen sumus: 1° maiorem non esse in confessario obligationem interrogandi quam in poenitente conscientiam suam excutiendi, nam confessarius in poenitentis locum succedit; 2° minus accurate de singulis illum esse interrogandum qui pluribus, quam qui paucioribus sceleribus premitur, ne confessionis onus nimis molestum efficiatur: quae interrogandi parsimonia in venereis potissimum servanda est, cum ob Sacramenti reverentiam, tum ne forte ea doceatur poenitens quae feliciter ignorat (2).

588. — Resp. ad III Q. Si poenitens negligenter in se ipsum inquisierit, neque facile eius defectui suppleri queat, in primis paterna severitate est obiurgandus; dein, si oportuerit, edocendus; postremo humaniter dimittendus ut diligentius paratus redeat. Si vero defectui

(1) Canus, *Relect. de Poenit.*, p. VI; Sporer, *Theol. sacram.*, p. III, c. III, 363-367; Laymann, l. V, tr. VI, c. VIII, 5; Suarez, disp. XXII, sect. XI; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VII, 60-62; Lugo, disp. XVI, 590 et seq.; Billuart, diss. VII, a. II, § V; S. Alphonsus, VI, 471; Lehmkuhl, II, 446-450; Tanquerey, 404, 405; Génicot, II, 301-303.

(2) Lugo, l. c.; Laymann, c. XIII, 7; Billuart, diss. VI, a. X, § II; S. Alphonsus, 632; Voit, II, 763, 766.

facile suppleri possit, et timeatur ne poenitens dimissus concidat animo (quod rudibus praesertim contingere solet), vel minus paratus, aut serius, aut nunquam revertatur, iuvandus a sacerdote ut sufficienter paretur; et si paratus, absolvendus. Quae agendi ratio apprime consonat iis quae in *Catechismo R.* hisce verbis verbis traduntur: *si sacerdos huiusmodi homines* (negligentes scilicet in suis sceleribus pervestigandis) *prorsus imparatos esse cognoverit, humanissimis verbis a se dimittet, hortabiturque ut ad recogitanda peccata aliquod spatium sumant, ac deinde revertantur: quod si forte affirmaverint se in eam rem omne studium et diligentiam suam contulisse (quoniam sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant) audiendi erunt, praesertim vero si emendandae vitae studium aliquod praeseferant, adducique possint ut negligentiam suam accusent, quam se alio tempore diligenti et accurata meditatione compensaturos promittant* (1).

589. — Resp. Ad IV Q. Insipienter se gessit Heraclius, qui Athanasium vix auditum dure atque inhumaniter increpavit ac repulit, quem benigne exceptum, auditum, instructum, opportunisque interrogationibus adiutum, potuisset forsitan ex imparato paratum facere. Meminerit illud Pauli, quod sacerdotes in primis sibi dictum existimare debent: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris* (2). Neque minus insipienter Theodorus egit, qui post vexatum multigenis interrogationibus hominem, hac una de causa illum sine absolutione dimisit quod per exquisitiorem animi sui inspectationem poterat fortasse aliorum peccatorum reminisci. Sat fuisset Athanasium monere, ut si deinceps, conscientia diligentius excussa, crimen aliquod omissum detexisset, in confessione proxime peragenda illud sacerdoti aperiret.

CL.

Agnes anicula vehementer angitur animo, quod saepe sine explicito instaurandae vitae proposito exomologesim fecerit: confessarius, ratus Agnetis confessiones pro infectis habendas esse, iubet eam illas iterare.

Iulius adolescens bis terve singulis hebdomadis per biennium in castitatem graviter offendit: confessarius, anceps an Iulii confessiones, dolore aut proposito deficiente, sacrilegae fuerint, iterandas esse decernit.

Macrobius, vir perditis moribus, cum iter faciens pium quemdam sacerdotem incidisset, vitae suae lugendam historiam, facinora omne genus horrenda, Sacramenta indigne suscepta candide illi narravit; itinere demum confecto, ad pii sacerdotis pedes proruens absolutionem a delictis antea recitatis dolens efflagitat.

(1) P. II, *De poenitentia*, c. V, 60.
(2) *Galat*, VI, 1.

Lucius peccata sua sacerdoti confiteri solet, qui annis gravis atque ob corporis pinguedinem somnolentus saepe mente avolat, vel dormitat quum confessiones excipit: quapropter dubitat Lucius, debeatne confessiones illi factas iterare.

Quaeritur I°. Quandonam sit obligatio peractas confessiones iterandi?

Q. II°. Quomodo confessio iteranda sit?

Q. III°. Quid de confessionibus in propositis factis iudicandum?

Quaestionum solutio.

590. — Resp. ad I Q. Confessio ad irritum cadere potest sine cuiuspiam culpa, vel cum culpa seu confessarii seu poenitentis; et si ob gravem poenitentis culpam irritam esse contigerit, nedum irrita sed sacrilega dicenda est. Irritae confessionis plures sunt causae, quarum aliae confessarium, aliae poenitentem auctorem habent: operae pretium ducimus eas paucis efferre.

I°. Ex parte confessarii irrita erit confessio 1° *ob potestatis defectum*, nempe si omni iurisdictione in poenitentem caruit (secus si non omni, veluti si habentem reservatum aliquod bona fide absolvit); 2° *ob voluntatis defectum*, nempe si absolvendi voluntate caruit; 3° *ob formae defectum*, quam non protulit aut substantialiter corrupit; 4° *ob iudicii sacramentalis defectum*, veluti si dormiens, vel semisomnus, vel obtusis auribus, vel non sui compos nullum percepit confitentis peccatum.

II°. Ex parte poenitentis irrita confessio erit: 1° *ob voluntatis defectum*, nempe si noluit Sacramentum suscipere; 2° *ob scientiae defectum*, si ignoraverit scienda necessitate medii ad salutem; 3° *ob contritionis aut propositi defectum* (cuius defectus indicia esse solent noluisse proximam peccandi occasionem relinquere, alienum reddere, iniurias dimittere, in eadem prorsus crimina relapsum fuisse, nullo ad ea vitanda exerto conatu); 4° *ob integritatis defectum*, si ob gravem in conscientia discutienda negligentiam, vel consulto et sine sufficienti causa lethale quidquam reticuit, si numerum et species peccatorum et circumstantias necessario aperiendas dolose texit; 5° *ob crimen in ipsa confessione admissum*, ut puta si de re gravi ad confessionem spectante mentitus est, si adhuc censura ligatus absolutionem mala fide carpsit, si data opera confessarium tam pinguis minervae elegerit qui gravitatem peccatorum pernoscere riteque Sacramentum ministrare non valeret.

Quavis de causa, etiam inculpata, confessio irrita cedat, iteretur necesse est. Sane, vi divini praecepti quisquis lethalis culpae reus Poenitentiae Sacramento illam luat oportet: at Sacramentum non suscepit, qui irritam confessionem peregit; nova ergo confessione opus habet qua Sacramentum suscipiat divinoque praecepto satisfaciat. Ve-

rum obligatio confessionis iterandae (quod oppido grave onus est) urgeri nequit nisi constet morali certitudine (aut tanta probabilitate quae certitudinem vix exaequet) peractam confessionem irritam fuisse. Quae communis doctorum sententia est. Namque, cum actus ad Sacramentum suscipiendum praeceptus (confessio scilicet) elicitus fuerit, rite praesumitur elicitus ex recepto axiomate: *In dubio omne factum praesumitur recte factum*; propterea, nisi certis argumentis praesumptio haec concutiatur, valere Sacramentum praeceptoque fuisse satisfactum iure tenemus (1). Duo sunt dubia in quibus S. Alphonsus ab hac doctrina recessit: alterum, quum poenitens bona fide sine explicito proposito confessus est; alterum, quum Sacramentum accepit SS. Trinitatis et Incarnationis ignorans mysteria, quia praeceptum certum per confessionem dubie validam non impletur (2). Verum a proposita doctrina in utroque dubio recedendum non putamus, quia cum confessio praecesserit, eaque valde probabiliter valida fuerit, praesumptio stat de impleto praecepto; neque ullum poenitenti damnum timendum, si enim confessio irrita fuit, in proxima confessione a peccatis suis indirecte liberabitur (3).

Equidem fatemur, per accidens evenire posse ut quis, dubius an validam confessionem fecerit, debeat eam renovare, aut saltem peccatum aliquod confiteri, ut puta si ad sacram Synaxim accessurus, vel morti proximus, de statu animi sui sit anceps. Neque etiam inficiamur, nonnunquam poenitentibus prudenter id suaderi, quo melius eorum quieti consulatur: hisce enim in adiunctis suadet, immo praecipit caritas, tutiorem quisque ingrediatur viam ne sempiternam animae suae salutem in discrimen adducat. Neutrum tamen officit doctrinae nostrae: quod enim per accidens fit, exceptionis instar, regulam confirmat; quod autem suadetur, consilium magis refert quam praeceptum (4).

591. — Resp. ad II Q. Alia ratione est instauranda confessio quae eidem sacerdoti fit cui irrita facta fuerat, alia vero quae fit alteri. Et 1° si alii sacerdoti fiat confessio, ex integro est repetenda, addita etiam (si forte sacrilega fuerit) sacrilegii accusatione: quî enim poterit sacerdos iste, ignota prorsus causa, iudicis partes agere, congruam satisfactionem imponere, iustam proferre sententiam? Idem dic si eidem sacerdoti fiat, qui tamen nullum peccatum audierat, quia surdus aut

(1) Suarez, *De poenit.*, disp. XXII, sect. IX; Lugo, disp. XVI, sect. XV; Sporer, *Theol. sacram.*, p. III, c. II, 493; La Croix, l. VI, p. II, 1221; S. Alphonsus, VI, 505; Gousset, II, 440-442; Génicot, II, 305.

(2) S. Alphonsus, VI, 450, II, 2.

(3) D'Annibale, III, 352. Vide sis opusculum nostrum *De regulis*, etc. n. 56; Génicot, l. c.

(4) Qua ratione confessarius se gerere debeat cum poenitente quoties de aliqua eius obligatione omnino certus non est, perbene docet Gaume, *Manuel des confesseurs*, nn. 64, 65.

dormiens; vel audierat quidem sed non sui compos, quia ebrius, vel alio mente avolans: nam confessio huic facta perinde est ac si facta non fuerit. 2° Si apud eundem sacerdotem instauretur confessio, isque auditorum criminum confusam saltem memoriam retineat, vel status sui poenitentis, vel satisfactionis impositae, communis est doctorum sententia opus non esse ut poenitens denuo peccata sua singula confiteatur, sed satis esse si generatim de peccatis antea declaratis se accuset: prior enim confessio, quamvis irrita, sacramentalis fuit, quapropter auditorum criminum notitia in confessario permanens sufficiens est ut prudens in praesenti iudicium instituere, poenam iniungere et absolutionem impertiri valeat (1). Immo quidam, ulterius progressi, sat esse rentur si sacerdos satisfactionem se imposuisse reminiscatur (2): quod tamen S. Alphonso non placet, quia notitia haec impar est iudicio scite ferendo de poenitentis statu (3).

592. — Resp. ad III Q. Cum confessiones bona fide cum proposito implicito factae probabilius sint validae (n. 533), ad eas instaurandas Agnes adigenda non erat.

Contra iure meritoque Iulius ad confessiones iterandas adactus fuit, namque tam frequentes in peccata luxuriae relapsus, nullo aut vix ullo ad pravum habitum extirpandum conatu adhibito, deficientis doloris atque propositi, ac propterea sacrilegae confessionis, indicium sunt (4).

An historica peccatorum narratio sacerdoti facta sufficiat ut deinceps sacerdos, qui confusam auditorum notitiam retinet, iudicium instituat et poenitentem generaliter se accusantem absolvat, affirmat Lugo (5); negat vero S. Alphonsus, nisi distinctam notitiam servet, quia neutra confessio sacramentalis dici potest, non prior quia ad Sacramentum non relata, non altera quia non distincta (6). Quidquid sit, cum Macrobius vix itinere confecto ad sacerdotis pedes proruerit Sacramentum petens, credibile non est sacerdotem distinctam auditorum criminum notitiam non retinuisse: Sacramenti autem petitio narrationem historicam ad Sacramentum refert, hoc est sacramentalem facit: quocirca de valida eius confessione ambigendum non est (7).

Si Lucius probe noverit quaenam peccata confessarius non percepit, illa declaret oportet ad confessionem integrandam; si vero nesciat, et

(1) Navarrus, *Enchir.*, c. IX, 19; Laymann, l. V, tr. VI, c. IX, 6; Sporer, 504; La Croix, 1216; S. Alphonsus, 502; Génicot, 306.

(2) Suarez, disp. XXII, sect. VI; Lugo, disp. XVI, 628, 636.

(3) La Croix, 1218; S. Alphonsus, 503.

(4) S. Alphonsus, 505; Tanquerey, *De poenit.*, 419; Gaume, *Manuel des confesseurs*, 343.

(5) Lugo, 638.

(6) La Croix, 1217; S. Alphonsus, 503, *Homo apost.*, tr. XVI, 44; *Vindiciae alphonsianae*, p. V, q. VIII.

(7) Lehmkuhl, *Casus*, II, 385; D'Annibale, III, 307; Génicot, 304.

peccatorum confessio brevis fuerit, erit ex integro repetenda, tum quia de omnibus et singulis dubitari potest an fuerint a confessario percepta, tum quia brevis confessionis repetitio nimis onerosa non est; quod si confessio longior fuerit, sat erit si saltem generatim de illis se accuset de quibus dubitat, tum quia dubium in omnia et singula cadere nequit, tum quia non est praesumendum cum tanto onere voluisse Christum confessionis integritatem praecipere (1).

CLI.

Rupertus, satis aetate provectus, praeteritae vitae memoriam repetens, animadvertit se plura peccata quae puer admiserat sacerdoti confuse aperuisse, nimirum speciebus ac numero distincte non patefactis. Ad hoc recordatur se grande scelus olim ob verecundiam celasse, cuius sacrilegii iamdiu fuerat oblitus. Hinc angustiis premitur, ignorans debeatne anteactae vitae culpas omnes nova confessione purgare, qua nimis gravaretur: ut hisce angustiis se expediat, confessarium convenit eiusque consilium sciscitatur.

Quaeritur I°. An confessiones a pueris factae, peccatorum speciebus ac numero distincte non declaratis, sint deinceps repetendae?

Q. II°. Debeatne, qui confessionem radicitus vitiosam fecit, ceteras omnes post illam bona fide peractas iterare?

Q. III°. Quid Ruperto confessarius respondebit?

Quaestionum solutio.

593. — Resp. ad I Q. Plerique affirmant, species peccatorum et numerum a pueris reticita, seu distincte non patefacta, esse deinceps declaranda ad materialem confessionis integritatem explendam (2). Sunt tamen qui negant, quia priores confessiones formaliter integrae, et peccata directe remissa fuere: ita e veteribus Tamburini et Segneri (3), e recentioribus Frassinetti, a quibus Suarez, Lugo et Viva citantur, non tamen satis ad rem, ut mox visuri sumus (4). Liceat nobis mediam quodammodo ingredi viam, distinctione facta inter peccatorum species et numerum. Nimirum confusio bifariam contingere potest, scilicet vel in peccatorum specie manifestanda (ut puta si iustitiam te laesisse fatearis, quin dicas furtone feceris aut calumnia aut occisione), vel in peccatorum numero declarando (veluti si certum ignorans, verisimilem innuas, aut pluries crimen aliquod patrasse dicas).

(1) Lugo, 607, 608, 610; S. Alphonsus, 499; Gury, II. 515.

(2) *Summa Sylvestrina*, v. *Confessio*, 1, 6; Laymann, l. V, tr. VI, c. IX, 4; Sporer, p. III, c. II, 499; Bonacina, disp. V, q. V, p. III, 6; S. Alphonsus, VI, 504.

(3) Segneri, *Il confessore istruito*, c. II.

(4) Frassinetti, II, diss. XIII.

Qua distinctione posita, I° si confusio in speciebus patefaciendis obtinuit, dicimus confessionem iterandam esse, nimirum species confuse sacerdoti patefactas distincte esse explicandas. Sane divino praecepto statutum est, ut secundum speciem infimam peccata nostra confiteamur, secus quidquid in eis pravitatis inest non detegeretur, neque posset de illis rectum a confessario ferri iudicium, par noxae poena, par vulneri medicina praeberi. Quapropter qui bona fide infimam peccati sui speciem non aperuit, debet quum animadvertit aperire, ut peccatum quod secundum rationem communem universae speciei sublatum fuit, secundum rationem speciei atomae propriam directe auferatur (1). Ceterum, quia voluntas in incognitum non fertur, ideoque ea dumtaxat imbuitur foeditate quam peccans actui suo noscit inesse, si puer quidquam admiseris specialem ac distinctam eius foeditatem ignorans, obligatio te non obstringit eam tunc aperiendi quam confirmata aetate novisti.

II°. Quod si confusio in peccatorum numero pandendo contigerit, dicimus non esse necessario declarandum numerum postea distincte cognitum, quem narratio antea confuse facta satis continebat. Quam conclusionem ratio, consuetudo et auctoritas evincunt. Evincit ratio: nam ideo peccata sacerdoti sunt aperienda, ut directe virtute clavium ab eo remittantur; at peccata, quorum numerum confusa narratio continebat, confessarii iudicio iam subiecta fuere et directe remissa; nulla ergo subest causa ob quam debeant iterum aperiri. Consuetudo fert (teste Viva) *ut pueri et rustici qui crasso modo confitentur, minus subtiliter explicando numerum peccatorum, non obligentur ad confessiones repetendas quando magis instructi possent peccatorum numerum magis certum aperire* (2). Quam consuetudinem iampridem Lugo testatus fuerat (3). Quod autem est in Ecclesiae more positum, temere ceu minus rectum improbatur. Succedit clarissimorum virorum auctoritas, qui sunt Vasquez, Suarez et Lugo, qui principem (si S. Thomam excipias) in morali disciplina tenet locum. Docet Vasquez sufficere ut quis peccatis assuetus quorum nescit numerum, consuetudinem aperiat; *et si postea recordetur aliquorum peccatorum in particulari quae in illa consuetudine explicata non fuere, non est opus illa confiteri* (4). Vasquezio Suarez concinit, qui cum dixisset esse numerum declarandum qui parum a certo distare putatur, si certus lateat, subdit: *Et post confessionem, licet aliqua in particulari et distincte occurrant quae non videntur ita esse explicata, non est necessarium ea iterum confiteri... quia in praedicto numero sufficienter inclusa fuere..., nisi postea tanta occurat peccatorum multitudo ut no-*

(1) Lugo, disp. XVI, 588.
(2) *Damnatae theses*, in prop. XI Alexandri VII, n. XI.
(3) Lugo, disp. XVI, 52.
(4) Vasquez, q. XCI, a. I, dub. IV, 3.

tabiliter excedat numerum prius expressum: hoc vero vix potest moraliter contingere, si prior diligentia mediocris fuit (1). Lugo in eo totus est ut hanc doctrinam tueatur; propterea, ne multi simus, eius verba missa facimus (2). Ex his planum fit quo sensu hi theologi sint locuti, et utrum iure an iniuria ad eam quam impugnamus sententiam traducantur. Itaque, ut dicta in pauca conferamus, tunc confessiones iterandae seu integrandae sunt quum peccatorum species confuse patefactae fuerunt; item quum numerus qui postea clarius innotuit multum excedit numerum antea confuse expressum, minime vero si prior declaratio illum satis continebat (3).

594. — Resp. ad II Q. Si confessionibus bona fide peractis nihil ex alio capite defuit, valuere; eumque peccata iisdem declarata iam fuerint directe remissa, praeceptum corruit ea confitendi (4).

595. — Resp. ad III Q. Respondebit confessarius: 1° non esse confessiones iterandas quas Rupertus a patrato sacrilegio, cuius oblitus fuerat, bona fide peregit: 2° declarandum esse scelus ob verecundiam reticitum atque instaurandas confessiones omnes ante sacrilege factas quam admissi sceleris oblitaretur memoria: 3° culpas quas puer admisit et confuse sacerdoti manifestavit, tunc tantum esse iterum aperiendas quum earum species infima tempore admissi criminis perspecta nunquam fuit patefacta, vel numerus confusa narratione non includebatur. De cetero, cum Rupertus has pueritiae mendas aetate iam exacta animadverterit, qua scilicet memoriae vis dilabi animique angores succrescere solent, ne iubeat confessarius inconsulto, immo ne facile sinat, confessiones suas repetat Rupertus, praesertim si in religionis officiis obeundis navus, neque de praeterita vita anxius unquam extiterit.

CLII.

Ambrosius sacerdos generalem confessionem magnopere commendat ad eamque poenitentes enixe hortari solet; Faustinus autem vix unquam de praeterita vita poenitentes interrogat ne tempus terat, eos gravet ac fortasse a Sacramento avertat.

Quaeritur I°. Quid sit generalis confessio et an iniungenda, vel suadenda, vel permittenda, vel vetanda?

Q. II°. Qua ratione ac methodo perfici debeat?

Q. III°. Quid de Ambrosio et Faustino?

(1) Suarez, disp. XXII, sect. V, 38.

(2) Lugo, disp. XVI, sect. XIV, § 4.

(3) Vide sis Tanquerey, *De Poenitentia*, nn. 368 et 418, ubi effertur distinctio haec quam inter peccatorum numerum et species Lugo docuit esse faciendam.

(4) Busembaum apud S. Alphonsum, 502 et La Croix, 1203; Suarez, disp. XXII, sect. IV; Lugo, 599; Sporer, p. III, c. III, 506; Segneri, l. c.; Collet, c. VI, § III; Génicot, 307.

Quaestionum solutio.

596. — Resp. ad I Q. Strictiori sensu generalis confessio ea dicitur quae totius vitae peccata complectitur; latiori sensu, quae definiti temporis peccata, puta unius anni, duorum vel plurium. Istiusmodi confessio quandoque necessaria est et praecipienda, quandoque utilis et suadenda vel permittenda, quandoque noxia et vetanda.

597. - I°. Iis *necessaria* est, ac propterea iniungenda, quorum certo anteactae confessiones sacrilegae aut irritae saltem fuere ob causam aliquam ex illis quas superius recensuimus (n. 590): cum enim per irritas confessiones divino praecepto non fuerit satisfactum, necesse est nova confessione satis fiat. Hinc sacrilege confesso, suique sacrilegii conscio, generalem confessionem, qua sacrilegarum damno reparetur, confessarius praecipiat oportet. Idem cum iis praestandum qui certo norunt confessiones suas irritas, quamvis non sacrilegas, fuisse. Si autem hi in bona fide versentur et confessarii monitis facile obsecuturi censeantur, monendi sunt; secus satius erit eos in bona fide relinquere, quia praeteritarum confessionum vitium per confessionem rite factam indirecte sanatur. De cetero prudentis confessarii erit generalis confessionis necessitatem poenitentes opportune docere, metodum suggerere, timidis ac pudibundis animos addere, opem promittere eosque efficaciter iuvare. Immo confessarius industrius nonnunquam poterit congruis interrogationibus ab ipso poenitente omnium praeteritorum criminum vel praecipuorum sensim confessionem elicere; quo facto, generalis confessio vix non perfecta erit.

II°. *Perutilis* est, ideoque suadenda, iis qui de praeteritarum confessionum vi dubio eoque non contemnendo tenentur: his enim ad animi tranquillitatem generalem confessionem maxime conferre nemo non videt. Utilis etiam est ac suadenda (vel saltem optantibus permittenda) iis quibus profutura censetur ad peculiare divinae gratiae auxilium, q[illegible]ent, obtinendum: v. c. ad sacram Synaxim primum accessuris, novum vitae institutum (ut puta matrimonium, sacerdotium, tirocinium vel professionem religiosam) proxime inituris. Idem de illis dicendum, qui pietatis fervorem in se ipsis deferbuisse sentientes, illum instaurare cupiunt: quippe experientia docemur, praeteritarum culparum divinaeque in nos misericordiae consideratione tristitiam de admissis renovari, humilitatis sensus foveri, ferventioris vitae studium excitari.

III°. *Noxia* demum est, ac propterea vetanda, iis qui scrupulis anguntur, praesertim si semel aut plus semel generaliter alias confessi fuerint: hi enim quo minutius in se ipsos inquirunt, eo magis turbantur; vix generali confessione peracta, rursus eam expetunt cum infinita confessariorum molestia, temporis iactura suique damno. Noxia quoque saepe est, et sin minus semper vetanda caute admodum permittenda, iis qui luxuriae sordibus temeratam vitam duxere iam-

que peccata sua omnia rite confessi sunt: nam turpium memoriam refricare (praesertim si necessitas desit), sine periculo vix esse potest: *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* (1). Praestat igitur a generali confessione hos se abstinere, vel generice dumtaxat aut summatim de turpibus se accusare (2).

598. — Resp. Ad II Q. Aliter peragenda generalis confessio quae necessitate, aliter quae pietatis studio suscipitur: in illa enim omnia prorsus lethalia peccata aperire necesse est, in hac plura impune reticeri queunt, aut per summa capita, numero et speciebus distincte non patefactis, manifestari. Ad hoc (ut supra monuimus, n. 591) aliter est peragenda sacerdoti cui poenitens nunquam confessus est, aliter illi cui poenitens confiteri consuevit quique distinctam vel confusam saltem auditorum criminum memoriam servat. Interdum etiam (si de rudibus aut habituatis agitur, qui uniformem prorsus ab annis vitam ducere solent) sufficere potest confessario unius anni peccata novisse ut cetera antea patrata facili coniectura assequi valeat (3).

In conscientia vestiganda et peccatis confessario declarandis certa methodo uti maxime iuvat: nam methodus viam poenitenti planam facit, memoriae adminiculatur, confessionis integritati favet. Sunt qui hanc methodum proponunt: poenitens per diversas vitae aetates discurrat, primum pueritiae, dein adolescentiae, postea subsequentium aetatum peccata exquirat eodemque ordine sacerdoti fateatur: quam methodum non approbat Leonardus a Porto Mauritio, vir sanctitate iuxta ac rerum usu spectatissimus. Magis probanda ratio quam plerique in sui discussione ac peccatorum confessione poenitenti suggerunt, discurrendi per singula Dei et Ecclesiae praecepta, per vitia capitalia, perque officia sui statui convenientia (4). Ab hoc ordine quidam tantillum recedendum putant in peccatis sacerdoti aperiendis, rati satius esse a peccatis luxuriae, quae enarrare magis pudet, confessionem inchoare: superata enim ab initio erubescentia, expeditior fiet ceterorum criminum manifestatio. Haec tamen ordinis inversio (nisi poenitens ipse eam petierit vel peculiaria rerum adiuncta confessario suaserint) an sit commendanda vel minus, subdubitare liceat.

(1) *Eccli.* XIII, 1.

(2) La Croix, l. VI, p. II, 1878-1883; Collet, c. IX, § IX; Bouvier, c. IV, a. II, § V; Gaume, *Manuel des confesseurs*, c. V, a. IX; Gury, II, 517-519; Gousset, II, 443-446; Frassinetti, II, dissert. XII; Lehmkuhl, II, 451-455; Tanquerey, 420-426; Génicot, II, 308-310.

(3) La Croix, 1213; S. Alphonsus, VI, 504; Gury, 516; Génicot, 307.

(4) Catalogum peccatorum hoc fere ordine digestum exhibent La Croix, 1823; Segneri, *Il penitente istruito*, c. ult.; Scavini, IV, append. LXVI; Gury, 520; Lehmkuhl, 456. Vide et S. Alphonsum, *Praxis confessarii*, c. II et III; et Gaume, l. c.

599. — Resp. ad III Q. Iure Ambrosius generalem confessionem commendat; minus tamen prudenter poenitentes suos indiscriminatim ad eam hortatur, nemini enim inconsulto obtrudenda, sed iis tantum suadenda quibus prodesse potest. Minus sapienter se gerit Faustinus, vix unquam de praeterita vita poenitentes interrogans: namque prudentis sacerdotis est quandoque et in praeteritam poenitentium vitam inquirere, et si in anteactas confessiones vitium aliquod irrepsisse perspexerit, curare ut per confessionem generalem, si opus fuerit, emendetur. Incommoda quae Faustinus pertimescit non inficiamur ex confessione inconsulto praecepta vel permissa saepe prolicisci, non tamen ex ea quam necessitas vel utilitas poenitentium exposcit.

CLIII.

Aemilius sacerdos, ratus sacramentalem satisfactionem ad Sacramenti essentiam non pertinere, de eadem iniungenda parum sollicitum se praebet. Hinc nullam prorsus gravi morbo laborantibus imponit; nullam iis quos vehementi animi dolore affectos invenit, praesertim si in se ipsos gravi aliqua poena animadverterint vel plenariam indulgentiam proxime sint lucraturi; nullam et iis quos scrupuli torquent: nam satisfactionis onus illis intolerabile, istis inutile, his noxium fore putat. Praeterea, quum dubitat an poenitentes satisfactionem libentes sint accepturi, per modum consilii eam proponit; vel, levi tantum praecepta, graviorem consulit; vel gravem quidem sed sub obligatione levi iniungit.

Quaeritur I°. Quid de necessitate satisfactionis praestandae doceat Ecclesia?

Q. II°. An gravis obligatio satisfactionem iniungendi confessarium teneat?

Q. III°. An fas sit per modum consilii satisfactionem imponere?

Q. IV°. An gravis satisfactio sub gravi et levis sub levi iniungenda sit?

Q. V°. Quid de Aemilii agendi ratione?

Quaestionum solutio.

600. — Resp. ad I Q. Summa catholicae doctrinae de satisfactionis necessitate, ad rem nostram quod attinet, haec est: una cum remissione culpae et poenae aeternae non semper totam poenam per Poenitentiae Sacramentum remitti, sed plerumque aliquam temporaneam superesse, per satisfactionis opera redimendam. Haec doctrina quam SS. Literarum oracula luculenter efferunt et Tridentina Synodus definivit (1). *Non semper*, inquimus, *totam poenam remitti*: contingere

(1) Sess. XIV, *De poenit.*, c. VIII et can. XII et XIII; *Cathechismus R.*, p. II, c. V, 75.

enim potest ut dilectionis actus adeo vehemens sit atque perfectus ut omne debitum seu culpae seu poenae simul extinguat (1). Haec doctrina, quam theologiae dogmatum professoribus fusiori calamo prosequendam remittimus, fundamentum praebet obligationibus quibus tenentur confessarius et poenitens, ille satisfactionem iniungendi, hic eam praestandi (2).

601. Resp. ad II Q. Satisfactio ad proximam Poenitentiae Sacramenti materiam spectat; quia tamen ad primarium Sacramenti effectum, qui est culpae remissio, non ordinatur, sed ad secundarium dumtaxat, qui est remissio temporaneae poenae, propterea absolute necessaria non est ut constet Sacramentum. Aliis verbis, satisfactio in re ad Sacramenti essentiam non pertinet, sed ad integritatem tantum (quod superius innuimus, n. 529). Quo posito dicimus, confessarium obligatione teneri satisfactionem suis poenitentibus iniungendi. Sane id postulat triplex quo fungitur munus in hoc Sacramento, *ministri, iudicis* ac *medici*: quippe ministri est Sacramenti integritati prospicere: iudicis, reum congruentibus poenis plectere; medici, aegrotantium vulneribus opportune mederi, haec autem per iniunctas satisfactiones a confessario praestantur. Hinc Tridentina Synodus: *Debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserint, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne si forte conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, laevissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur* (3). Porro obligationem hanc per se et ex genere suo gravem esse evincunt tum ratio integritatem Sacramenti perficiendi, tum Tridentini Concilii verba, *ne alienorum peccatorum participes efficiantur* (4). Diximus *per se et ex genere suo* gravem esse, cum enim satisfactio in re ad Sacramenti essentiam non pertineat, quaedam adesse possunt causae confessarium ab hac obligatione eximentes. Causae autem quae communius a theologis recensentur hae sunt: 1° Poenitentis impotentia, qua moribundi (praesertim si sensibus destituti) laborare solent. 2° Totius poenae remissio a poenitente iam obtenta, sive ob satisfactiones cumulate exhibitas, sive ob vehementissimae caritatis actum: quia tamen sine Dei revelatione hoc innotescere nequit, vix unquam hanc ob causam liberabitur confessarius a satisfactione imponenda (5). 3° Martyrium im-

(1) S. Thomas, III^{a}, q. LXXXVI, a. IV, *De malo*, q. VII, a. XII ad 4^{um}, et *Contra gentes*, l. IV, c. LXXII; S. Bonaventura, in IV *Sent.*, dist. XV, a. I, q. II.

(2) Vide sis Lanzoni, tr. *D. Poenitentia*, c. III, a. III.

(3) Sess. XIV, c. VIII. Cf. et *Codicem iuris canonici*, can. 887.

(4) Reginaldus, *Praxis*, l. VII, 11; Suarez, disp. XXXVIII, sect. III; Lugo, disp. XXV, 49; Sporer, p. III, c. IV, 544; Collet, *De poenit.* c. VII, § III; Alasia, c. IV, a. I, 4; S. Alphonsus, VI, 506; Génicot, II, 311.

(5) Theologi recitati.

minens et indulgentia plenaria seu iubilaei proxime lucranda (1): at quia utraque causa ante factum incerta est, confessario non licet satisfactionem omnem remittere, ne forte mutilum Sacramentum relinquat (2). 4° Quidam etiam sunt qui putant, sine ulla satisfactione fas esse poenitentes dimittere qui scrupulis vexati saepius ad confessarium redeunt (3); verum, quum absolutione donantur, satisfactio quoque est illis iniungenda ne Sacramenti integritati quidquam desit. Ceterum hae tres posteriores causae, sin minus remittendo, mitigando satisfactionis oneri sufficientes sunt. Quaestionis est, an graviter peccet confessarius nullam iniungens satisfactionem pro levibus culpis vel lethalibus iam pridem dimissis: affirmant alii, quia pars adimitur Sacramento ex Christi institutione ad eius integritatem necessaria (4); negant alii, quia si grave piaculum poenitenti non est levem satisfactionem omittere (quod nemo inficiatur), neque erit confessario levem satisfactionem non imponere, in utraque enim hypothesi integralis pars Sacramento subtrahitur (5). Utraque opinio S. Alphonso probabilis (6). At si quando ob infirmas corporis animive vires satisfactionem debita minorem poenitenti iniungere oporteat, poterit confessarius graviorem per modum consilii suggerere, quae quamvis sacramentalis non sit, conferet tamen ad poenam ex parte solvendam (7). Ceterum ut sui muneris partes ita obire valeat ut benignitatem et prudentiam cum iustitia componat, perutilis (sin minus necessaria) erit scientia *poenitentialium canonum,* quibus ex Ecclesiae statuto satisfactiones pro gravioribus et publicis criminibus iniungendae praecipiebantur (8).

(1) Lugo, disp. XXV, sect. IV; Suarez, disp. cit., sect. X.

(2) Lugo, 48; Sporer, 545; Lehmkuhl, 507, 519. Contrariam sententiam, ad iubilaeum quod spectat, Benedictus XIV Encyclica *Inter praeteritos* reprobavit. Idque firmatur a Leone XII Constitutione *Caritate Christi.*

(3) Busembaum (apud S. Alphonsum, 507); Sporer, 545; Lehmkuhl, II, 465; qui S. Alphonsum citat. At S. Doctor id unum asserit, posse redeunti opus iam debitum iniungi, dumne titulo sacramentalis satisfactionis debitum sit (513).

(4) Collet, l. c.; Bouvier, c. V, a. I, prop. IV; Voit, II, 711.

(5) Lugo, 39; Sporer, 574; Lehmkuhl, 459; Tanquerey, 430; D'Annibale, III, 347; Génicot. l. c.; Sebastiani, *Summarium*, 497.

(6) *Homo apost.* XVI, 47.

(7) Gousset, II, 455; D'Annibale, loc. cit.

(8) Hos *Canones* per singula Decalogi praecepta digestos refert Gaume, *Manuel des confesseurs*, chap. VII, p. 489 et seq. Ex hodierna disciplina pro uno alterove lethali peccato satisfactiones illae graves censentur quae, si ab Ecclesia praeciperentur, gravem obligationem iuducerent: eiusmodi sunt Rosarium (etsi quinque decadum tantum), auditio Sacri, litaniae Sanctorum cum suis precibus, Psalmi poenitentiales, Viae Crucis exercitium, ieiunium unius diei; leves autem censentur quinque *Pater* et *Ave, Miserere,* litaniae lauretanae. Ita cum S. Alphonso, 515; Gury, II, 524; Tanquerey, 433; Génicot, II, 462; Sebastiani, 497 et ceteri.

602. — Resp. ad III Q. Sententia, cui tanquam probabiliori et omnino tenendae subscribimus, docet, per modum consilii non posse satisfactionem iniungi (1). Sane satisfactio a confessario per actum iudiciariae potestatis indicitur: iudex autem non consilio sed praecepto poenam decernit a reo subeundam. Praeterea, si per modum consilii imponeretur, nullam obligationem induceret, quamobrem sacerdos integritati Sacramenti non prospiceret. Idque ex eo firmatur quod Tridentina Synodus potestatem satisfactionis iniungendae inde repetit quod claves sacerdotibus non 'ad solvendum dumtaxat, sed *et ad ligandum concessae fuerunt* (2); consilium autem non ligat, sed praeceptum. Hinc contraria sententia ceu improbabilis a S. Alphonso reiicitur (3).

603. — Resp. ad IV Q. Ligandi potestas, quam sacerdos a Christo accepit ac per satisfactionis praeceptum exercet, legislativam potestatem imitatur. Hinc, quemadmodum legislator de re undequaque levi grave praeceptum ferre nequit, ita et confessarius satisfactionem levem nequit sub gravi culpa praecipere (4). Eandem ob causam confessarius, non secus ac legislator, dicendus posse satisfactionem gravem sub levi obligatione imponere. Equidem plerumque non expedit fiat; at ob poenitentis imbecillitatem aliquando saltem contingere potest ut ad poenitentis bonum expediat (5).

604. — Resp. ad V Q. Sive ex sui muneris ignorantia, sive ex incuria se gesserit, fere in omnibus Aemilius improbandus. Nam 1° etiam gravi morbo laborantibus (iis exceptis qui sui compotes non sunt) satisfactio aliqua est iniungenda ne mutilum fiat Sacramentum; immo vero praestat saepenumero graviorem suggerere ab aegroto, si forte convaluerit, implendam: quod onus intolerabile nemo sanus dixerit. 2° Cum de tota poena remissa, seu per bona opera a poenitente praestita, seu per vehementem animi dolorem, seu per plenariam indulgentiam lucrandam, certo constare nequeat nisi Deo revelante, non licet confessario his de causis ab omni satisfactione imponenda se sustinere, periculum enim est Sacramentum mancum relinquendi: non erit ergo inutilis satisfactio. 3° Iis quoque qui scrupulis urgentur, quoties sunt absolutione donandi, satisfactio aliqua etsi leviuscula est iniungenda ad Sacramenti integritatem: quod poenitenti graviter molestum non erit, praesertim si opus iam debitum (dumne sacramentalis confessionis titulo) iniungatur. 4° Cum consilium obligationem

(1) Lugo, 54; La Croix, l. VI, p. II, 1249; S. Alphonsus, 518.

(2) Sess. XIV, c. VIII.

(3) S. Alphonsus, loc. cit.

(4) Suarez, sect. VII; La Croix, 1278; Laymann, l. V, tr. VI, c. XV, 7; S. Alphonsus, 517; Lehmkuhl, 464; Génicot, 318.

(5) Suarez, sect. VII; Sporer, 551; La Croix, 1249; S. Alphonsus, 518; Lehmkuhl, 464.

non inducat, posset poenitens impune satisfactionem omittere; quocirca Sacramenti integritatem laederet. 5° Levem satisfactionem per praeceptum imponere, graviorem autem per consilium, licere quandoque potest ob physicam vel moralem poenitentis infirmitatem; rarissime vero expediet gravem sub levi obligatione praecipere.

CLIV.

Prudentius, ratus sacramentales satisfactiones ad medicinam cum primis esse iniungendas, Lucinae piae puellae, sed ob infirmam voluntatem nimis adolescentulis indulgenti, iubet in sacrarum virginum claustrum se recipiat; Fausto, turpibus assueto, nuptias quamprimum ineat; Corneliae, ter in adulterium lapsae, tres dies ieiunio transigat aqua et pane contenta; Arnulpho, seni bibulo et ebrioso, a vino se prorsus sustineat, vixque solemnioribus festis unum cyathum bibat aqua valde dilutum.

Severus, ratus sacramentales satisfactiones in criminum vindictam praesertim infligendas esse, in id maxime studet ut criminum numero poena luenda ad amussim respondeat: v. c. toties quis ieiunium agat quoties vino se percuti sivit, tot pauperibus argenteos largiatur quot furtula patravit, tot fundat preces quot blasphemias protulit.

Benignus, ratus poenas esse pro poenitentium facultate temperandas, iuvenibus, divitibus, parum piis leve quiddam imponit, ne eos a Sacramento deterreat, vel grave quidem sed iam debitum; saepe ad se redeuntibus, scrupulorum causa, vel ad confitendum peccatum ex oblivione omissum, satisfactionem antea iniunctam confirmat ne aliam gravate ferant; aegrotantibus vero interiores tantum religionis actus imponit, quandoque nullam satisfactionem iniungit, promittens se pro iis satisfacturum.

Bonifacius poenitentibus qui aes alienum solvere nequeunt preces aliquas iniungere solet pro creditore eiusve defunctis fundendas.

Quaeritur I°. Quae et quanta sacramentalis satisfactio iniungi debeat?

Q. II°. An et quibus de causis minui possit?

Q. III°. An iniungi queat opus iam debitum, an publicum, an interior actus, an matrimonium, an ingressus in religiosum ordinem?

Q. IV°. Quid de singulis confessariis eorumque agendi ratione?

Quaestionum solutio.

605. — Resp. ad I Q. I°. Satisfactio cum ad vindictam praeteritorum scelerum tum ad futura praecavenda infligitur: hinc *vindicativa* et *medicinalis* sit oportet. Quae est Tridentini Concilii doctrina, hisce verbis expressa: *Habeant prae oculis, ut satisfactio quam imponunt non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamen-*

tum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem (1). Porro duplicem hunc effectum satisfactio consequetur si in opere bono ac poenali constiterit (2). Cum autem homini post Adae peccatum ad malum prono omnis virtutis actus aliquid difficultatis afferat, propterea omnis actus virtutis ad sacramentalem satisfactionem vi clavium evehi potest. Satisfactionis opera aptissime ad haec tria revocantur, *ieiunium, eleemosynam, orationem*, his enim vindictae et medicinae ratio apprime convenit. Convenit vindictae ratio: nam per ieiunium subtrahitur homini bonum delectabile, per eleemosynam bonum utile, per orationem vero a terrenis erepti ad bonum honestum convertimur. Convenit et medicinae ratio: etenim ieiunio carnis concupiscentia comprimitur, eleemosyna concupiscentia oculorum retunditur, oratione frangitur superbia vitae, quae tria peccatorum omnium radices existunt (3).

606. — II°. Tanta erit satisfactio iniungenda quantum gravitas numerusque criminum exposcunt et poenitentis vires ferre valent. Hoc apertissime tradit Tridentina Synodus, cuius verba retulimus n. (601), docens iniungendas esse satisfactiones *salutares et convenientes pro qualitate criminum et poenitentium facultate*. Sane cum confessarius iudicis et medici partes impleat, tanquam iudex satagere debet ut in poena statuenda aequitatem servet, tanquam medicus ut idonea morbis sanandis pharmaca paret. Hinc liquet, non posse certa lege satisfactionum rationem in universum definiri, sed sacerdotis esse, *quantum spiritus et prudentia suggesserit* (verba Tridentinae Synodi sunt), eas ita accommodare poenitentium aetati, sexui, valetudini, moribus, corporis animique viribus, ceterisque rerum personarumque adiunctis, ut *salutares* evadant.

607. — Resp. ad II Q. Ob iustas causas posse confessarium satisfactionem minuere, una est theologorum vox et sententia (4). Hae autem sunt causae quae communiter recensentur. 1° Magna poenitentis contritio, nam pro contritionis modo temporanea poena deletur. 2° Copiosa satisfactio a poenitente iam praestita per bona opera sponte suscepta. 3° Indulgentia iubilaei aliave plenaria proxime lucranda. 4° Gravis corporis infirmitas, qua poenitens impos fiat pari delictis poenae solvendae: attamen *Rituale R.* monet *illam esse aegris indi-*

(1) Sess. XIV, c. VIII.

(2) S. Thomas, III^{a}, *Supplem.* q. XV, a. 1.

(3) *Catechismus R.*, p. II, c. V, 74; Thomas, *Supplem.* III p., q. XV, a. III; S. Bonaventura, in IV *Sent.* dist. XV, a. I, q. IV; Suarez, disp. XXXVII, sect. VI.

(4) S. Thomas, *Supplem.* q. XVIII, a. IV; Navarrus, *Enchir.* c. XXVI, 21; Suarez, disp. XXVIII, sect. IV; Laymann, l. V, tr. VI, c. XV, 12; Sporer, p. III, c. IV, 558; Billuart, diss. IX, a. VI, § 2; S. Alphonsus, VI, 508, 509; Génicot, II, 313.

cendam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. 5° Infirmitas spiritus ob quam confessarius prudenter iudicet poenitentem non esse graviorem satisfactionem toleraturum: quae enim satisfactio in poenitentis damnum cederet, iam salutaris non esset. Haec est communis theologorum doctrina, Sanctorum auctoritate usuque probata, ideoque tutissima (1). Satius namque est Dei clementiam quam severitatem imitari, ac poenitentem leviori satisfactionem obstrictum ad purgatorii temporaneas poenas mittere, quam graviori oneratum ad sempiterna inferorum tormenta praecipitem dare. Ceterum confessarius qui naviter pro parte sua poenitentis bono prospicere velit, satisfactionem numero et gravitati peccatorum congruentem indicabit ei, ut ipse iniunctae sibi satisfactionis defectui sponte supplere valeat. Ad rem S. Thomas: *Sicut exiguus ignis extinguitur si multa ligna superponantur, ita accidere posset quod parvus poenitentis contritionis affectus pondere poenitentiae deficiat. Melius est quod sacerdos poenitenti indicet quanta poenitentia esset iniungenda, et iniungat nihilominus quod poenitens tolerabiliter ferat* (2). 6° Demum non immerito nonnulli rentur fas esse satisfactionem debita minorem iniungere, si confessarius aliquam eius partem in se implendam suscipiat: quippe, posito catholico dogmate de Sanctorum communione, posse satisfactionem alterius alteri prodesse indubium est. Idque a S. Francisco Xaverio et B. Ioanne Baptista Vianney, non semel peractum fuisse novimus (3). 7° Controvertitur an omnia bona poenitentis opera virtute clavium ad effectum sacramentalis satisfactionis evehantur per illa sacerdotis verba: *Passio Domini nostri I. Christi, merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum;* propterea an liceat ob hanc causam satisfactionem minuere. Communior ac probabilior est S. Alphonso sententia S. Thomae affirmantis, quia secus frustra illa verba proferre Ecclesia iuberet (4). Haec tamen sententia pluribus est obnoxia difficultatibus, quas Lugo prae ceteris animadvertit. Nam si per illa verba omnia poenitentis opera sacramentalis satisfactionis efficaciam acquirerent, eadem efficacia meritis I. Christi et B. M. Virginis omniumque Sanctorum accedere dicenda esset. Adde vix credibile esse, per illa verba semel prolata, cuncta poenitentis bona opera futura Sacramenti partem fieri atque manere. Praeterea, si opus aliquod ad sacramen-

(1) Testimonia SS. Ioannis Chrysostomi, Bernardi, Thomae, Raymundi, Antonini, Thomae a Villanova, Francisci Salesii, Caroli, pii Gersonis videsis apud La Croix, l. VI, p. II, 1256; S. Alphonsum, 509; Gaume, *Manuel des confesseurs*, 406, 407; Gousset, II, 453, 454.

(2) *Quodlib.* V, n. XXVIII.

(3) Sporer, 559; Tanquerey, *De Poenit.* 438; Lehmkuhl, 467.

(4) S. Thomas, *Quodlib.* III, a. XXVIII; Navarrus, c. XXVI, 23; Reginaldus, *Praxis*, l. VII, c. III, 23; Sporer, 569; S. Alphonsus, 507.

talem satisfactionem semel evectum nequit iterum pro satisfactione iniungi (quemadmodum et S. Alphonsus docet (1)), iam patet ad summum vi illorum verborum semel tantum satisfactionem minui posse. Quapropter putamus verba illa *Passio Domini nostri*, etc., itidem ac praecedentia *Misereatur tui*, etc., *Indulgentiam* etc. ceu deprecatoria habenda esse (2). Ceterum, quoties iniuncta satisfactio minor est debita, moneatur poenitens ut defectui supplere studeat, vel (ut alias diximus) gravior ei per modum consilii suggeratur.

608. — Resp. ad III Q. I°. Opus debitum pro sacramentali satisfactione iniungi potest, dumne eodem satisfactionis titulo debitum sit. Cum enim idem opus duplici praecepto imperari queat, nil vetat quominus opus iam praeceptum iterum a confessario praecipiatur, et vis satisfactoria quae in illo inest ad sacramentalis satisfactionis meritum evehatur. Ita communiter (3). Diximus *dumne eodem satisfactionis titulo debitum sit*, quippe opus ad sacramentalem satisfactionem semel evectum videtur omnem satisfactoriam vim exhausisse (4). Generatim tamen non expedit omnem satisfactionem in opere iam debito constituere: et si quando confessarius ob poenitentis fragilitatem id expedire iudicaverit, illum moneat ut alia satisfactoria opera ultro suscipiat.

II°. *Pro peccatis occultis, quamtumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponat:* ita *Rituale R.* Sane id vix fieri potest quin occulti criminis ingeratur suspicio, sacramentale sigillum violetur, poenitentes a Sacramento deterreantur. Si vero crimen publicum fuerit, potest publica satisfactio iniungi, ut qui exemplo suo ad malum ceteros provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam vitam revocet. Raro tamen et caute eiusmodi satisfactio est imponenda, quum alia suppetit ratio scandali reparandi, nam aegerrime poenitentes eam ferre solent (5).

III°. De actu interiori vix dubitari potest, fas esse illum pro sacramentali poena imponere, quippe actus virtutis est hominique laboriosus, quae duo sufficiunt ut ad sacramentalis satisfactionis effectum evehi queat. Est ergo integrum confessario interiores actus (ut puta fidei, spei, caritatis, contritionis, patientiae, conformationis ad divinam voluntatem) poenitenti aegrotanti praecipere, aut etiam bene valenti cui expedire iudicaverit (6).

(1) N. 513.

(2) Lugo, disp. XXV, 56; La Croix, 1250; Ballerini-Palmieri, tr. *De Poenit.*, 484-487; Génicot, l. c.

(3) Suarez, disp. XXXVIII, sect. VI; Lugo, disp. XXV, 67; Reginaldus, *Praxis*, l. VII, c. III, 28; Laymann, 10; Sporer, 564-566; Billuart, diss. IX, a. VIII, § III; S. Alphonsus, 513.

(4) S. Alphonsus, l. c.

(5) Suarez, l. c.; La Croix, 1264, 1265; S. Alphonsus, 512.

(6) Suarez et Lugo, ll. cc.; Reginaldus, 22; Laymann, 9; Sporer, 562, 563; Billuart, l. c., § II; S. Alphonsus, 514.

IV°. Ingressus in religionem poenitenti nequit iniungi, tum quia omnimodam libertatem requirit, tum quia non hominis est sed Dei ad hunc statum quos voluerit vocare (1). Idem dic de matrimonio quod est vinculum amoris, ideoque libera voluntate iungendum (2). Verum, si quis forte obligatione nuptias ineundi iam teneatur, puta ad damnum illatum sarciendum vel cavendam infamiam, nullum eius libertati poneretur obstaculum, quae obligationis vinculo iampridem obstricta erat.

V°. Potest etiam confessarius, quum ad maius poenitentis bonum conferre iudicaverit, pro satisfactione abstinentiam imponere ab aliquo bono opere, ut puta a Sacro feriali die audiendo vel ab Eucharistia quandoque suscipienda ad domesticam pacem servandam (3). Hoc tamen postremum raro admodum fiat, cum Eucharistia gratiarum omnium fons existat et S. Communionis frequentiam summopere ab Ecclesia commendetur et Christi fidelibus suadeatur.

VI°. Communior contra paucos sententia affirmat posse pro satisfactione opus aliquod imponi pro defunctis praestandum: etenim, quamvis opus pro defunctis praestitum in eorum bonum cedat, nihil obstat quominus bona voluntas illud peragentis ad sacramentalem satisfactionem evehi possit (4). Cui sententiae *Catechismus Romanus* apertissime suffragatur his verbis: *Ex omni satisfactionum genere maxime convenit poenitentibus praecipere ut, certis aliquot et definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, praesertim pro iis qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces Des faciant* (5).

609. — Resp. ad IV Q. Prudentius noster inanissimae prudentiae specimen se ipsum probavit, sive Lucinae praecipiens religiosum claustrum intrare, sive Fausto nuptias inire, sive Corneliae ob crimina occulta manifestam satisfactionem praestare (nisi forte a ceterorum convictu remotam vitam ipsa degebat) ob gravis suspicionis ingerendae periculum; cum Arnulpho autem rigidiorem fortasse se praebuit vini potione illum interdicens, festis solemnioribus exceptis (6).

Cum in irroganda satisfactionis poena sacerdos nedum ad divinae iustitiae iura redintegranda sed et ad poenitentium infirmitatem roborandam animosque erigendos oculos intendere debeat, rigidiorem aequo Severus se ostendit, qui singulum quodque grave peccatum singula gravi satisfactione pensandum putat, hoc enim peccatoribus qui multis criminibus premuntur gravissimum onus est ac vix tolerabile.

(1) *Summa Sylvestrina*, v. *Confessio*, I, 82; Laymann, 11; S. Alphonsus, 511.
(2) S. Alphonsus, l. c.
(3) S. Alphonsus, 514 cum Lugo aliisque communissime.
(4) S. Alphonsus, l. VI, n. 514 dub. 2.
(5) *Catechismus R.* p. II, n. CXVI.
(6) Gury, *Casus*, II, 514.

Benignus in pluribus benignius aequo, in paucis recte se gessit. Quamvis enim liceat mitiorem satisfactionem iis imponere quos gravior a Sacramento repelleret, rarissime pro mortalibus culpis levis omnino est iniungenda, neque generatim expedit in opere alio titulo debito satisfactionem totam constituere (1). Inscite prorsus scrupulis vexatos et ad se redeuntes ad oblitum peccatum confitendum absolvit, satisfactionem alias iniunctam confirmans: opus enim ad sacramentalem satisfactionem semel evectum iam nequit alterius Sacramenti pars effici; propterea si poenitens sit iterum absolutione donandus, nova ei satisfactio iniungatur oportet (2). Interiores actus aegrotis imponere Benigno fas est; item satisfactionem poenitentibus congruam minuere, eius parte in se ipso suscepta (quod legimus a sacerdotibus sanctis fieri consuevisse et innititur doctrinae catholicae de sanctorum communione (3)); non autem totam remittere licet, cum enim satisfactio a sacerdote peracta sacramentalis non sit, adimeretur pars integralis Sacramento: quapropter ex hoc postremo capite Benignus maxime improbandus.

Cum valde nobis illorum opinio sit probabilis, qui damna ceteris illata etiam per bona alterius ordinis quandoque refici posse contendunt, nequaquam carpenda, immo potius commendanda videtur agendi ratio qua Bonifacius tum poenitentium, tum creditorum bono prospicere studet. Recole quae diximus n. 243bis.

CLV.

Laurentius, postquam satisfactionem sibi a confessario impositam pertinaciter ceu graviorem aequo detrectaverit, tandem, ne sine absolutione dimittatur, confessarii dicto acquiescit, sed acceptam satisfactionem nisi ex parte non praestat.

Maevius, in poenam suorum criminum a confessario iussus ad sacrum tribunal intra mensem redire ac B. Virginis pervigilium ieiunio transigere, per aliquod dies confessionem differt; ieiunium vero, quod statuto die ex oblivione non fecit, omittit prorsus.

Sabinus, certas preces in quodam sacello flexis genibus expansisque brachiis a confessario recitare iussus, domi recitavit sedens iunctisque manibus; hinc anceps est, debeatne preces illas iterare vel saltem per temporis spatium illis respondens in sacello genibus flexis distentisque brachiis consistere.

(1) S. Alphonsus, 510, 513.

(2) S. Alphonsus, 513. Non est tamen improbabilis illorum sententia qui docent id fieri posse quum satisfactio antea iniuncta sufficiens censetur ad novam impertiendam absolutionem. Ita Tanquerey, 429 cum La Croix, Ballerini-Palmieri et Génicot.

(3) Vide *Catechismum Romanum*, p. II, c. V, 76.

Quaeritur I°. An poenitentem gravis obligatio teneat consentiendi in sibi iniunctam satisfactionem eamque praestandi?

Q. II°. An satisfactionis accidentia, quae *circumstantiae* vocantur, sub gravi culpa sint praestanda, vel, si omissa, supplenda?

Q. III°. Quo tempore satisfactio praestanda sit, et an praefinito tempore elapso eius obligatio relaxetur?

Q. IV°. Quid de Laurentio, Maevio et Sabino iudicandum?

Quaestionum solutio.

610. — Resp. ad I Q. Poenitens obligatione per se gravi tenetur aequam satisfactionem sibi impositam acceptandi atque adimplendi. Id auctoritate evincitur Tridentini Concilii docentis, salutares et convenientes satisfactiones sacerdotes imponere debere, *ne poenitentibus conniveant et alienorum peccatorum participes efficiantur*; hanc autem sacerdotum obligationem sacra Synodus a potestate clavium repetit, quas *etiam ad ligandum* Christus Ecclesiae suae contulit (1). Iamvero, cum non ligetur poenitens nisi per praeceptum, manifestum est eum obligatione teneri satisfactionem sibi praeceptam acceptandi atque implendi. Ad hoc, si confessarius satisfactionem iniungere debet ne mutilum Sacramentum fiat (ut vidimus n. 601), eandem ob causam debet eam poenitens acceptare et acceptam implere. Demum in hoc Sacramento sacerdos iudicem agit; iudex autem coactiva pollet potestate, qua reum ad poenam sustinendam cogere valet.

Aequam, diximus esse oportere satisfactionem quam poenitens sub gravi acceptare debet atque implere: si enim confessarius ignarus vel imprudens aequo graviorem imponeret, nolletque poenitentis rogatu eam mitiorem facere, integrum erit poenitenti sine absolutione a sacro tribunali recedere; aut etiam, satisfactione accepta et absolutione obtenta, alium quaerere confessarium ad commutationem iniunctae sibi poenae obtinendam (2). Quidam opinantur posse etiam satisfactionem acceptare ad absolutionem obtinendam, dein illam non implere vel implere pro parte tantum (3), quod nobis in universum non probatur, quia *omnem* satisfactionem omittere (nisi quum poenitens impotentia illam praestandi laborat, de quo n. 618 dicetur) culpa non vacat; omittere autem ex parte pro arbitratu suo, res est periculi plena.

Diximus poenitentis obligationem *per se* gravem esse, potest enim levis evadere 1° si levis satisfactio iniuncta fuerit pro venialibus culpis,

(1) Sess. XXIV, c. V. Vide et *Codicem iuris canonici*, can. 887.

(2) Suarez, disp. XXXVIII, sect. VII; Lugo, disp. XXV, sect. V; Reginaldus, *Praxis*, l. VII, c. VII, 76; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. X, 10-12; Laymann, l. V, tr. VI, c. XV, 6; Bonacina, disp. V, q. V, sect. III, p. IV, 1-4; Sporer, p. III, c. IV, 547-549; S. Alphonsus, VI, 515; Génicot, II, 317.

(3) Sebastiani, *Summarium*, 498.

vel pro mortalibus antea remissis aut etiam nondum remissis, quippe materia levis gravem obligationem recipere nequit; 2° si gravis satisfactionis pars levis omittatur, parvitas enim materiae a gravi peccato liberat; 3° si gravis satisfactio sub levi obligatione irrogata fuerit, namque vidimus (n. 603) posse confessarium satisfactionem gravem sub levi praecipere (1). An gravis satisfactio pro venialibus peccatis aut pro lethalibus antea remissis iniuncta gravem obligationem inducat, quaestionis est. Alii, obligationis gravitatem non ex culpa quae plectitur sed ex materia praecepta aestimantes, obligationem gravem esse contendunt (2). Alii forte probabilius negant; cum enim confessarius *pro criminum gravitate* ex Tridentino decreto satisfactionem imponere debeat, secus agens limites suae potestatis excederet fieretque iniurius poenitenti, cui propterea fas est iniquum onus detrectare (3). Censet tamen Laymann, cui S. Alphonsus consentit, posse confessarium gravem satisfactionem imponere pro venialibus quae proxime ad mortale trahunt, tuncque poenitenti non licere satisfactionem hanc respuere aut acceptam non praestare (4).

611. — Resp. ad II Q. Satisfactionis accidentia, non secus ac substantiam, sine peccato omitti non posse manifesta res est, nam utraque sub confessarii praecepto iuxta cadunt. An vero accidentia seu circumstantias iniuncti operis non implens graviter delinquat, aestimandum tum ex gravitate molestiae quam poenitenti afferunt, tum ex confessarii mente, seu ex fine quem in iis praecipiendis sibi praestituit. Ex his colligere licet, quando gravi obligatione poenitens obstringitur circumstantias omissas supplendi (5).

612. — Resp. ad III Q. I°. Cum satisfactio in re ad Sacramenti essentiam non pertineat, certum est ante absolutionem non esse necessario praestandam: idque firmatur ex contraria Petri de Osma doctrina, quam Xixtus IV proscripsit. Hoc tamen non officit quominus confessarius quandoque, ut poenitentis bono consulat, absolutionem differre possit usquedum satisfactio praestita fuerit (6). Eo minus ante S. Eucharistiae sumptionem satisfactio est adimplenda: quod ex hac propositione XXII[a] ab Alexandro VIII damnata exploratum habemus:

(1) Lugo, Sporer, Bonacina, ll. cc.; Reginaldus, 77; Laymann, 7; La Croix, l. VI, p. II, 1278; S. Alphonsus, 517.

(2) Lugo, 74, 75; Sporer, 549; Bonacina, 4. S. Alphonsus (517) *probabilem* et *communiorem* hanc sententiam vocat.

(3) Suarez, l. c.; Laymann, 7; Gury, II, 528; Tanquerey, *De Poenit.*, 456; D'Annibale, III, 348. Hanc sententiam tanquam *probabilem* agnoscunt La Croix (1279), Lugo (76), Sporer (l. c.) et *satis probabilem* S. Alphonsus (l. c.).

(4) Laymann, S. Alphonsus, Gury, ll. cc.; D'Annibale, l. c. nota 20; Tanquerey, l. c.

(5) Lugo, 77; La Croix, 1289; S. Alphonsus, 518; Gury, 628; Sebastiani, l. c.

(6) Reginaldus, 83; Collet, c. VIII, § III, concl. V.

Sacrilegi sunt qui ius ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

II°. Certum quoque est, quamcumque satisfactionis levis dilationem gravi culpa vacare, cum vel ipsa istiusmodi satisfactionis omissio gravis esse nequeat (1).

III°. Si satisfactionis praestandae tempus sacerdos indixerit, eo tempore praestanda est, nam et tempus, quasi accidens seu circumstantia, sub praecepto cadit. An vero graviter peccet qui secus fecerit, ex mente confessarii praecipientis, ex satisfactionis natura (vindicativa scilicet vel medicinali), ceterisque adiunctis est iudicandum: etenim si tempus ad relapsus praecavendos praefinitum fuerit, poterit etiam brevis dilatio a gravi culpa non eximere. Elapso autem tempore a confessario praestituto, obligatio satisfactionis implendae non extinguitur, tum quia tempus ad urgendam, non ad finiendam obligationem praecipitur; tum quia opus quasi principale praecipitur, tempus quasi accessorium: porro tralatitium est, accessorio corruente, principale adhuc permanere (2).

IV°. Si satisfactioni praestandae nullum tempus sacerdos designaverit, convenit eam implendam esse quamprimum commode fieri potest, quemadmodum generatim faciendum quum obligationi nullus praefinitus est terminus (3). At si quaeras quaenam dilatio gravis sit habenda, maxime inter theologos disconvenit: rigidiores mortalis culpae damnant differentem ad quindecim dies a confessione peracta; indulgentiores excusant differentem non ultra annum, vel saltem non ultra sex menses; Ballerinius, de more indulgentissimus, nullam dilationem fore gravem opinatur nisi poenitens sine aliqua excusante causa in statum impotentiae satisfactionem implendi se coniiciat (4). S. Alphonsus, inter utrosque medius, probabile putat cum La Croix per mensem sine gravi peccato satisfactionem differri posse, modo vindicativa tantum sit: si enim medicinalis esset (aut etiam si dilata nequiret deinceps impleri) brevior dilatio ad mortalem culpam contrahendam sufficere posset (5).

613. — Resp. ad IV Q. Licuit Laurentio satisfactionem detrectare quam certo iniquam iudicabat; quod si de aequitate dubius erat, confessarii iudicio acquiescere debuisset, servato sibi iure alium sacerdotem adeundi ad commutationem petendam. Erravit autem sacramentalis satisfactionis partem arbitratu suo omittens, iudicio enim suo fidere periculosum est.

(1) Génicot, 312, 318.

(2) Navarrus, *Enchir.*, c. XXII, 54; Reginaldus, 79; Sporer, 577; S. Alphonsus, 525.

(3) Suarez, l. c.; Sporer, 578; La Croix, 1287; Collet, § IV, concl. III; Sebastiani, l. c.

(4) Apud Génicot, 320.

(5) La Croix, 1288; S. Alphonsus, 521; Frassinetti, II, 414.

Non videtur Maevius graviter peccasse per paucos dies satisfactionem omittens, dumne ad relapsus praecavendos iniuncta fuerit; contra peccavit ieiunium omittens, cuius obligatio (nisi aliud confessarius expresserit) affixa diei non censetur.

Ut de Sabini culpa iudicemus, videndum an omissa satisfactionis adiuncta sine gravi molestia servari poterant. Orare in certo loco, etiam genibus flexis, per se graviter incommodare non putatur; maius oppido incommodum affert brachiis expansis orare (1). Ceterum ex diuturnitate temporis orationi dandi gravitas incommodi maxime pendet. Quidquid sit, cum omissa satisfactionis adiuncta adhuc praestari queant, sat erit Sabino ea separatim praestare.

CLVI.

Dubitat Evodius, debeatne certas preces sibi a confessario pro satisfactione iniunctas iterare, tum quia eas persolvit postquam in lethale peccatum inciderat, tum quia dum eas persolveret ad alia peregrinabatur animus.

Anacletus, in suorum criminum poenam iussus certam pauperibus stipem erogare et Sacro semel interesse, pauperculo subvenit ea tamen mente ut pro sacramentali satisfactione aliam deinde eleemosynam largiretur; Sacrum vero audit suae obligationis immemor, propterea sine animo satisfaciendi. Post haec dubio tenetur an sacramentalem satisfactionem perfecerit.

Possidius, Sacro interesse ac Marialis Rosarii preces a confessario fundere iussus, utrumque opus simul praestat; alias cum quotidie per mensem Sacro deberet adsistere, diebus festis semel tantum adest Sacro; alias cum ter Sacrum audire iussus esset, templum ingressus conspicatusque tres sacerdotes eodem tempore rem sacram facientes, laetus exclamat: « Nunquam tam bellam nactus sum occasionem compendiario praeceptum implendi ».

Quaeritur I°. An valeat satisfactio in mortalis peccati statu peracta?

Q. II°. An attentio, seu mentis applicatio ad opus agendum, sit ad satisfactionem necessaria?

Q. III°. An sit necessaria intentio seu voluntas satisfaciendi?

Q. IV°. Quid de satisfactionibus ab Evodio, Anacleto et Possidio praestitis?

Quaestionum solutio.

614. — Resp. ad I Q. Hac una quaestione duo nobis dubia expedienda proponuntur, nimirum 1° an satisfactio in mortali peccato peracta ad Sacramenti effectum, nempe ad poenae temporaneae remissionem, quidquam valeat, 2° an valeat saltem ad Sacramenti integritatem. De utroque seorsum.

(1) La Croix, 1280; Gury, II, 534.

I°. Communis sententia est, satisfactionem in mortali peccato peractam, peccati statu durante, sacramentali effectu carere, scilicet remissionem poenae ex opere operato non conferre. Sane, cum poenae remissio ad supernaturalem effectum, nempe ad caelestem gloriam adipiscendam ordinetur, nisi per opus supernaturale obtineri nequit; quapropter satisfactio sine habituali caritate praestita (quasi adulterinus nummus apud regem nil valens) ad remissionem poenae a Deo obtinendam inepta dicenda est. *Durante,* inquimus, *peccati statu*, nam probabilius eiusmodi satisfactionis effectus penitus non aufertur sed in suspenso manet, quoad peccati obex remotum fuerit. Quippe cum satisfactio a confessario praecepta Sacramenti pars sit, non immerito rationem totius imitari censetur et sequi; propterea, quemadmodum quandoque contingit ut Poenitentiae Sacramentum validum sit sed informe (hoc est effectu careat gratiae, donec peccati impedimentum submoveatur); ita consentaneum videtur dicere, etiam satisfactionis efficaciam, peccati obice remoto, vim suam exerere (1). Hic obiter notamus, plerosque theologos a gravi quidem culpa poenitentem excusare qui cum mortali peccato satisfactionem implet, non autem a veniali, quia Sacramento iniurius est qui partem eius integralem indigne praestat effectumque prohibet (2). Attamen probabilitate non caret sententia quae et a veniali culpa eum excusat, quia remissioni poenae obicem ponendo, Sacramenti effectum omnino non prohibet sed dumtaxat retardat quoad gratiae status recuperetur (3). Quapropter generatim non expedit poenitentem venialis peccati redarguere, ne forte ad veniale cavendum a satisfactione praestanda se sustineat, quod grave esset.

II°. Communis sententia est, ad Sacramenti integritatem sufficere satisfactionem in statu peccati peractam. Sane qui opus a confessario iniunctum praestat, id totum praestat quod sibi praeceptum est; status autem gratiae a confessario non praecipitur. Equidem pracepti finis, qui est poenae remissio, peccati statu durante non obtinetur; at finis praecepti sub praecepto non cadit (4).

615. — Resp. ad II Q. Mentis attentio tunc tantum requiritur, quum in opere praecepto continetur seu ad eius substantiam perti-

(1) Suarez, disp. XXXVIII, sect. VII; Lugo, disp. XXV, sect. III; Navarrus, *Enchir.*, c. III, 5, 6; Reginaldus, *Praxis*, c. VII, 10, 11; Laymann, l. V, tr. VI, c. XV, 15; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. X, 7-9; Sporer, p. III, c. IV, 540; Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Poenitentiae Sacramentum*, a. III, 6, 7; S. Alphonsus, VI, 522; Génicot, II, 319.

(2) Suarez, sect. VIII; Laymann, l. c.; Sporer, 541; Voit, II, 637; S. Alphonsus, 523.

(3) Lugo, 22; Gury, II, 529; Frassinetti, II, 471, nota 131; Tanquerey, 460; Génicot, l. c.

(4) Suarez, sect. VII; Lugo, 30 et seq.; Navarrus, 6; Reginaldus, 9; Laymann, l. c.; Sporer, 541; S. Alphonsus, 522; Génicot, II, 319.

net, adeo ut ea deficiente opus praeceptum non fiat. Hinc si Missae auditio, meditatio, certarum precum recitatio tibi fuerit a confessario iniuncta, praecepto non satisfacis si voluntarie peregrinaris animo, nam sine aliqua mentis attentione oratio non adest. (Recole dicta nn. 174-176).

616. — Resp. ad III Q. Intentionem aliquam requiri convenit inter omnes: nam esto praeceptis implendis generatim sufficere opus illud ponere quod praeceptum est; attamen quia hic agitur de opere quod Sacramenti integralem partem constituit, idcirco ad Sacramentum per aliquam intentionem referatur oportet. Quapropter, qui satisfaciendi voluntatem excluderet, non satisfaceret (1). Probabilis tamen est sententia dicentium, actualem aut virtualem intentionem necessariam non esse, sed habitualem sufficere, quam nempe poenitens habuit (puta cum satisfactionem a confessario accepit) nec unquam revocavit: etenim per voluntatem illud praestandi quod a confessario praecipitur iam satisfactio ad Sacramentum refertur; praeterquam quod actualis intentio a confessario non praecipitur (2). Sunt qui ulterius progredientes illum arbitrantur satisfacere qui explicite ex sola devotione opus praeceptum vult ponere (3): quod nullo modo probare valemus, hoc enim idem est ac intentionem omnem etiam habitualem reiicere, seu nolle prorsus satisfactionem implere.

617. — Resp. ad IV Q. Nulla obligatione tenetur Evodius iniunctas sibi preces iterandi, quas post lethale peccatum admissum recitavit: sive enim omnis culpa exsortem, sive venialis reum illum facias, certo certius obligationi suae satisfecit. Neque eas iterare debet quia inter orandum ad alia peregrinabatur animus, nisi diu ac voluntarie mentem ad alia converterit.

Defuit Anacleto omnis satisfaciendi voluntas, quum stipem erogavit pauperi nolens ea stipe sacramentale praeceptum implere; quapropter obligatione non solvitur subveniendi pauperibus ad sacramentalem satisfactionem praestandam. Contra Sacrum audiens satisfactionis implendae immemor probabiliter satisfacit, vi habitualis intentionis tunc temporis habitae quum in sibi iniunctam satisfactionem consensit.

Duobus praeceptis eodem tempore satisfacere licet, quoties opera praecepta simul consistere possunt: quamobrem, nisi alia fuerit confessarii mens, Possidio licuit Mariales preces fundere simulque Sacro interesse ad satisfactionem implendam (4). Iussus per mensem Sacro quotidie adsistere, potuit uni tantum diebus festis interesse, nam non

(1) Lugo, 35; La Croix, l. VI, p. II, 1286; Collet, c. VII, § IV, q. III; Voit, II, 634; Lehmkuhl, II, 470.

(2) Lugo, 37; Gury, *Casus*, II, 519; Frassinetti, II, 416; Lehmkuhl, l. c.; Tanquerey, 462.

(3) Génicot, l. c.

(4) La Croix, 1291; Gury, *Casus*, II, 531; Frassinetti, l. c.

censetur confessarius aliud praecipere voluisse (1). Contra praecepto ter Sacrum audiendi non satisfecit tribus sacerdotibus rem sacram simul peragentibus adsistens, confessarii enim certo certius mens fuit ut tribus Sacrificiis tempore distinctis interesset (2).

CLVII.

Anna, cum per exteras plagas religionis ergo iter haberet, omnia vitae suae peccata sacerdoti confessa est, in quorum poenam ieiunium per triduum agere iussa fuit. In patriam reversa gravique tentata morbo, impos efficitur ieiunio deinceps ferendo; quapropter ad Homobonum confessarium se confert mutationem constitutae sibi poenae quaerens. Cui ille: « Quid petis, nescis; iudicialem mutare sententiam illi uni integrum est qui tulit ». His perterrita verbis, Anna ad Galdinum pergit, qui, ea audita: « Abi in pace », inquit, « bona mulier, poenam quam luere nequis, nec debes ». At Galdini dicto non acquiescens Anna Pammachium adit, qui confessionem iterare iubet, ratus nisi in sacramentali iudicio exploratague causa latam sententiam immutari non posse. Vehementius turbata pia femina ad parochi sui domum properat, eique rem omnem candide narrat. Quam cum audisset parochus: « Vix credibile est », clamat, « tam crassae minervae sacerdotes hac in ditione versari, qui te nequeant angustiis expedire: trino es impar ieiunio? ter Sacro adesto ». Hac commutatione contenta Anna Deo gratias agit: deinde, quoties a confessario opus aliquod sibi iniungitur quod ob affectam valetudinem ferre nequit, illi marte suo aliud sufficit.

Quaeritur I°. An sacramentalis satisfactionis obligatio quandoque ex se ipsa deficiat?

Q. II°. An et cuius auctoritate satisfactio in aliam mutari queat?

Q. III°. An commutatio in sacramentali confessione fieri debeat?

Q. IV°. An ad commutationem faciendam necesse sit confessionem antea factam renovare?

Q. V°. Quid de singulis confessariorum responsis deque postrema Annae agendi ratione?

Quaestionum solutio.

618. — Resp. ad I Q. Sacramentalis satisfactionis obligatio tunc deficit, quum opus in poenam impositum praestari nequit: quippe manifestum exploratumque est, omnes obligationes solvi quae physice vel moraliter impleri non possunt, cum repugnet quempiam ad ea

(1) La Croix, 1281; Laymann, 10; S. Alphonsus, 513; D'Annibale, III, 348, nota 27.

(2) La Croix, 1281; S. Alphonsus, *Homo apost.*, XVI, 57; Gury, *Casus*, II, 533; Frassinetti et D'Annibale, ll. cc.

praestanda obstringi quibus impar est. Neque necesse habes operi a sacerdote iniuncto aliud sufficere, illo enim non alio impletur praeceptum; propterea si illud praestare nequis quod debes, nihil ultra debes. Verum impotentia perpetua sit oportet, nam temporanea obligationem suspendit, non aufert. Hoc aperte tradunt plerique theologi, qui a nova satisfactione petenda poenitentem liberant qui iniunctae, etsi sua culpa, oblitus fuerit, vel certe noverit iniqua poena a confessario se oneratum fuisse (1).

619. — Resp. ad II Q. Obligatione manente, potest satisfactio ob iustam causam a confessario commutari. Haec una omnium sententia est, ideo tuta; attamen difficiles explicatus habet: aut enim dicis novam satisfactionem, priori suffectam, partem fieri prioris Sacramenti, et tunc duo erunt eiusdem Sacramenti ministri, deeritque posterioris satisfactioni moralis coniunctio cum Sacramento iampridem absoluto; aut partem vocas posterioris Sacramenti, et tunc prius integrali sua parte carebit. Quam difficultatem sentientes nonnulli arbitrati sunt, in satisfactione commutanda partem aliquam prioris retinendam esse (2). Difficultatis nodum solvere conatus est acutissimus Lugo (3); an fortunate, subdubitare liceat. Forte (dent veniam docti) a veritate non aberraveris, si prius Sacramentum mutilum remanere concedas, idque permitti posse ob eam causam quae sufficiens existimatur satisfactioni commutandae: cum enim agatur de parte ad Sacramenti essentiam non pertinente, videtur ob causam idoneam omitti eam posse sine iniuria Sacramenti, praesertim quia per novam satisfactionem adhuc irrogatur congrua criminibus poena aptumque vulneribus affertur remedium.

Diximus a confessario commutationem fieri posse, etenim ipse unus virtute clavium in Poenitentiae Sacramento ligat et solvit: hinc palam fit, nequire poenitentem arbitratu suo satisfactionem in aliam etiam graviorem commutare. Potest autem commutatio fieri nedum a confessario qui satisfactionem iniunxit, sed et ab alio: nam cum idem sit utriusque tribunal eademque potestas, nihil obstat quominus, reo annuente, instauretur de eadem causa iudicium (4). An vero confessarius inferior poenam mutare valeat quam pro reservatis superior iniunxerat, probabilius et communius doctores negant; receptum enim

(1) Suarez, disp. XXXVIII, sect. X; Lugo, disp. XXV, 87; Reginaldus, *Praxis*, l. VII, 85; Sporer, p. III, c. IV, 552, 582; La Croix, l. VI, p. II, 1275; S. Alphonsus, VI, 515, 520 (et implicite Vasquez, q. XCIV, a. II, dub. IV); Gousset, II, 469.

(2) Antoine, *De Poenit.*, a. III, q. X; Alasia, c.VI, a. II, 10; Bouvier, c. IV, a. IV.

(3) L. c., 102.

(4) Suarez, l. c.; Lugo, 101; Navarrus, *Enchir.*, c. XXVI, 22; Reginaldus, 86-89; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. X, 16; Laymann, l. V, tr. VI, c. XV, 16; S. Alphonsus, 528, 529; D'Annibale, III, 348; Sebastiani, *Summarium*, 499.

est in superioris praecepto inferiorem nil posse. Excipiunt si necessitatis piaeve utilitatis causa intercedat et accessus ad superiorem non pateat, quia tunc eius consensus iure praesumitur (1). Accedit improbabile non esse quod Ballerinius cum Navarro, Vasquez, Bonacina aliisque docet, sublata per superioris absolutionem reservatione peccati, perinde esse ac si peccatum reservatum non fuerit; propterea si inferiori confessario subiiciatur, posse iterum remitti, satisfactione commutata.

620. — Resp. ad III Q. Commutationem nisi in sacramentali confessione peragendam non esse, communis et certa sententia est: actus enim clavium (iurisdictionis scilicet et iudicii) extra sacramentalem confessionem exerceri nequit. Excipiunt si ab eo commutatio fiat qui poenam indixerat, idque tam brevi a peracta confessione intervallo, ut idem iudicium moraliter perseverare censeatur (2).

621. — Resp. ad IV Q. Quaestioni, an peccata saltem praecipua sacerdoti aperiri debeant a quo commutatio est facienda, cum distinctione respondendum. Si commutatio ab eodem sacerdote fiat qui satisfactionem imposuit, isque saltem confusam peccatorum notitiam retineat, non est necesse confessionem ex integro renovare [vide quae diximus de confessione iteranda n. 591 (3)]; si vero alii sacerdoti fiat aut etiam priori qui auditorum criminum penitus oblitus fuerit, disceptatur. Affirmant plerique, et probabilius ratione spectata, quia, incognita causa, nequit instaurari iudicium et congrua poena irrogari (4). Sunt tamen plures qui negant, quia non tam de peccatis quae antea remissa fuere iudicium est ferendum, quam de poenitentis infirmitate et idonea causa satisfactionis commutandae; sufficit autem prioris satisfactionis notitia ut par illi possit iniungi. Prima sententia, quippe probabilior, suadenda; altera, quia vere probabilis extrinseca saltem probabilitate, poterit ad usum deduci cum confessio iteranda nimis onerosa poenitenti sit evasura, neve illam ferat temporis angustia: quandoquidem de re non agitur necessaria ut constet Sacramentum, in qua tutiora sunt omnino tenenda (5).

622. — Resp. ad V Q. Facile est post dicta de singulis sacerdotum responsis iudicare. Erravit Homobonus, nam in sacramentali foro iu-

(1) *Summa Syl.*, v. *Confessio*, I, 31; Reginaldus, 91; Reiffenstuel, 16; S. Alphonsus, 529; Génicot, II, 316.

(2) Vasquez, et Suarez, ll. cc.; Lugo, 110, 111; Sporer, 586, 587; S. Alphonsus, 529; D'Annibale, l. c., nota 23; Génicot (315), qui etiam post longum temporis intervallum commutationem fieri posse retur.

(3) S. Alphonsus, 529; Gousset, II, 470; Génicot, l. c.

(4) Vasquez, dub. III; Suarez, l. c.; Lugo, 108; Reiffenstuel, 17; Laymann, l. c.; Sporer, 588; La Croix, 1295; S. Alphonsus et Sebastiani, ll. cc.

(5) Probabilem hanc sententiam putant Lugo, 109; Sporer, 589; Laymann, Reiffenstuel, S. Alphonsus, Gousset, ll. cc., eamque tuentur Ballerini, *Opus theol. mor.* tr. *De Poenit.*, 535, 536; Génicot, 316 et Costantini, 768.

dicium instaurare non ei tantum integrum est qui tulit, sed cuilibet sacerdoti parem potestatem habenti. Verum dixit Galdinus, si Annae impotentia perpetua fuit, secus non: propterea prius rem inspicere penitus debuisset quam crepare: « Non debes ». Recte Pammachius docuit, nisi in sacramentali iudicio exploratoque causa latam sententiam immutari non posse; minus tamen recte inde consectarium eruit de totius vitae confessione instauranda, onus quippe grave est neque sine certa necessitate cuiquam imponendum. Oppido vera sunt quae parochus demiratus protulit, nimis crassae minervae sacerdotes in ditione sua versari, quibus si semetipsum accensuisset, sententia evasisset perfecta: si enim ceteri plus minus a veritate aberrarunt, parochus extra confessionem poenam mutans tantum ignorantiae suae specimen dedit ut, sin minus collegas superavit, nemini eorum secundum se probaverit. Demum erravit Anna (tametsi excusatione digna, quia a parocho in errorem inducta): nullum enim opus sponte a poenitente susceptum ad sacramentalis satisfactionis meritum evehi potest, ac propterea in locum suffici poenae a confessario iniunctae.

CLVIII.

Rodulpho sacerdoti solemne, est sancta sancte esse tractanda; quapropter ne unquam Poenitentiae Sacramentum profanum fieri sinat, quoties aliquod subit dubium an poenitens Sacramento recipiendo sit paratus, absolutionis formam sub conditione profert: v. c. *si vera locutus es, si es doli capax, si peccatorum sincere te poenitet, si ablata restitues.* At cum quidam poenitens illum sciscitatus esset, liceretne sibi sacram Synaxim accedere, haesit Rodulphus ac dubitare coepit an tuta esset eiusmodi agendi ratio.

Quaeritur I°. An et quandonam possit sacerdos vel debeat sub conditione Poenitentiae Sacramentum conficere?

Q. II°. Quid de Rodulphi agendi ratione?

Quaestionum solutio.

623. — Resp. ad I Q. Recolenda quae diximus de formae conditionalis usu (n. 463): nimirum sub conditione de futuro nunquam fas esse Sacramenta conficere, si matrimonium excipias quod contractus naturam induit; contra, iusta interveniente causa, fas esse ea conficere sub conditione de praeterito vel de praesenti, nam per Sacramentum hac ratione collatum fortasse prospicitur homini Sacramenti auxilio indigenti, per conditionem vero reverentiae Sacramenti cavetur, si fors ad irritum cadat. Ex hac doctrina, quasi corollaria, duae fluunt regulae quae duplici quaestioni propositae apprime respondent, scilicet quando possit, quando vero debeat Poenitentiae Sacramentum sub conditione conferri.

Prima regula: Poenitentiae Sacramentum tunc potest sub conditione confici quum, si absolute conficiatur, ambigitur ne quid officiat Sacramenti sanctitati, sin autem abnuatur, periculum adest privandi hominem spirituali bono notabili, etsi eidem non necessario.

Secunda regula: Poenitentiae Sacramentum tunc potest et debet sub conditione confici quum, si absolute conficiatur, ambigitur ne quid officiat Sacramenti sanctitati, sin autem abnuatur, periculum adest privandi hominem spirituali bono eidem necessario.

624. — Hisce regulis innixus plura resolves.

1°. Potes et debes Sacramentum sub conditione conferre homini quem gravis nec opinatus morbus corripuit, cum dubius es an vivat, vel sit suae mentis compos et aveat Sacramentum; idemque generatim dic de moribundo qui in simili statu sit constitutus (1). Recole dicta nn. 574, 575.

2°. Potes et debes, si timeas ne ille sit rite dispositus qui proxime in vitae discrimine versabitur, ut puta miles praelio ingruente, mercator vela ventis daturus, reus mox capite plectendus, mulier difficili partu imminente, aeger chirurgi scalprum periculose toleraturus (2).

3°. Potes et debes, quum incertum habes an puer vel semifatuus Sacramento suscipiendo sit aptus, et tamen vereris ne grave peccatum admiserit. Idque obtinet etsi mortis periculum non urget aut paschale praeceptum, namque sacerdoti curandum ne quis in mortali culpa diu permaneat (3).

4°. Potes et debes, si confessionem audisti corpore quidem consistens, animo autem excurrens, ideo anxius es an absolutionis verba protuleris necne; vel si poenitens ante discessit quam ea proferres et adhuc prope adstare censetur, nam cavendum est tibi, quoad eius facere potes, ne poenitens quamvis ignorans haereat in peccato (4).

5°. Potes, et debes, quum grave peccatum sed dubium quis confitetur, nec aliquod anteactae vitae certum peccatum exhibere, valet: cum enim forte is indigeat Sacramenti gratia, satagendum ne careat (5).

6°. Potes quin semper debeas, cum poenitens pius nequit materiam sufficientem et certam exhibere, nempe talia confitetur de quibus dubitas an venialem culpam attingant: hunc aliquoties (semel in

(1) Viva, *Damnatae theses*, Append. *Thesis confixa de confessione*, § XI; La Croix, l. VI, p. II, 1162; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. V, 35, addit. 1; Sporer, p. III, c. V, 622; S. Alphonsus, VI, 482; Génicot, II, 266; Ferreres, *Epitome*, 765.

(2) Dens, *De Poenit.*, 157; Gury, II, 439; Gousset, II, 473; Génicot et Ferreres, l. c.

(3) Lugo, disp. XVII, 22; Laymann, l. V, tr. VI, c. V, 6; Sporer et Reiffenstuel, ll. cc.; S. Alphonsus, 432; Génicot, II, 266; Ferreres, l. c.

(4) Sporer, 629; S. Alphonsus, 432; Ferreres et Génicot, ll. cc.

(5) Sporer, 622, 629; Reiffenstuel, Génicot et Ferreres, ll. cc.

mense, ait S. Alphonsus) sub conditione decet absolvere, ne fors uberiori Sacramenti gratia privetur (1). Relege quae scripsimus n. 523.

7°. Potes, quin semper debeas, quum animi pendes de iurisdictione tua, neque de iis adiunctis agitur in quibus iurisdictionem Ecclesia supplet. Verum id nisi gravi de causa non fiat, veluti si poenitens diu deberet in mortali peccato manere; est autem monendus ut sibi caveat, si fors deinceps iurisdictio sciatur defuisse (2). Vide dicenda nn. 644, 646.

8°. Demum probabiliter potes, si dubites de bono poenitentis animo ac voluntate, at verearis ne absolutione privatus in delictis sordescat vel grave crimen perpetret, v. c. matrimonium sacrilegus ineat. Hoc tamen perraro, gravissima ex causa et caute admodum fiat, opus enim est periculosae aleae plenum (3). Confer dicta n. 464.

625. — Resp. ad II Q. Ex hactenus dictis iam quisque perspectum habet quam sit notanda agendi ratio Rodulphi, qui quoties de poenitentium animo dubitat, eos indiscriminatim sub conditione absolvit, nedum de praesenti aut praeterito (quod licet interdum) sed et de futuro (quod nunquam licet). Quas exhibuimus regulas ediscat et teneat homo noster, sicque et poenitentium bono magis erit consultum et ancipiti cura vacabit animus. — At quid respondere debuisset poenitenti roganti an sibi liceat sacram Synaxim accedere? — Cum incertum sit an poenitens divinam gratiam recuperaverit, non potuisset Rodulphus respondere: *Accede securus*, sed hoc tantum: *Temetipsum interroga, et pro tuae conscientiae dictamine age* (4).

CLIX.

Ephysius, postquam per plures annos facultate ab Episcopo suo obtenta sacramentales confessiones excipiendi usus esset, certior fit a falso Episcopo se ordines sacros suscepisse.

Caelestinus novensilis sacerdos, absente Episcopo, periculum fecit quo ad sacramentales confessiones excipiendas idoneum, se probaret, statimque a Vicario generali ad ministerium suum explendum missus fuit; at post paucos dies, Episcopo redeunte ac suffragiorum arca reserata, Caelestinus deficiens ineptusque inventus est.

(1) Sporer, 622; Reiffenstuel, l. c.; S. Alphonsus, 432 et *Homo apost.*, tr. XVI, 6; D'Annibale, 335; Génicot et Ferreres, ll. cc.

(2) Suarez, disp. XXVI, sect. VI; Sporer, p. III, c. VI, 721; S. Alphonsus, 432; Génicot et Ferreres, ll. cc.

(3) La Croix, l. VI, p. I, 110, p. II, 1789; S. Alphonsus, 432; Gury, II, 439; Gousset, II, 473 (a quo citantur Dens, Opstraet, Du Jardin aliique); D'Annibale, Génicot et Ferreres, ll. cc.

(4) Gousset, 474; Tanquerey, 279.

Marcus parochus, quum sive intra sive extra suae dioeceseos fines iter habet, curialium suorum quos forte huc illuc offendit confessiones excipit quin ab Episcopo loci facultatem exquirat.

Antonius Episcopus, postquam episcopale munus renunciaverit, familiarium suorum confessiones audire pergit.

Paulus sacerdos ab alieno Episcopo ab sacras expeditiones, vulgo missiones, in quadam suae dioeceseos paroecia obeundas accersitus, alias vero ab eiusdem paroeciae rectore ad Dei verbum ibi praedicandum vocatus, Poenitentiae Sacramentum ministrat, ratus utraque vice hoc sibi certe ab Episcopo permitti.

Quaeritur I°. Quid sit ordinis quidque iurisdictionis potestas, ad Sacramentum Poenitentiae quod attinet?

Q. II°. An ad validam licitamque Sacramenti dispensationem utraque requiratur?

Q. III°. An approbatio a iurisdictione discriminetur?

Q. IV°. Quotuplex distinguitur iurisdictio et ad quos spectat?

Q. V°. An delegata iurisdictio expressa sit oportet?

Q. VI°. Quid de Sacramentorum vi in singulis speciebus propositis?

Quaestionum solutio.

626. — Resp. ad I Q. Ordinis potestas ea dicitur quae ab Episcopo per manuum impositionem sacerdoti confertur in verum et mysticum Christi corpus; potestas vero iurisdictionis ea est quae sacerdoti confertur ut in subditos sibi designatos ius dicere seu sententiam ferre valeat in foro interno et sacramentali. Altera potestas ab altera maxime distat: nam potestas ordinis per characteris impressionem a Christo ipso confertur, et non secus ac character, cui inhaeret, perpetua est, immutabilis et in omnibus par; contra iurisdictionis potestas (illa una excepta qua pollet R. Pontifex, qui eam supremam et perfectam a Christo immediate accipit) ab homine confertur et minui, augeri, revocari potest (1).

627. — Resp. ad II Q. Ad validam, propterea et ad licitam Sacramenti dispensationem, utraque potestas requiritur. Potestatem ordinis necessariam esse, dogma fidei est a Tridentina Synodo definitum,

(1) Utrum iurisdictionis potestas proxime seu *immediate* in Episcopos a Christo derivetur, an *mediate* hoc est per R. Pontificem, quaestio est a qua dirimenda Tridentina Synodus consulto abstinuit; attamen sententia quam graves doctores cum S. Thoma et Bellarmino profitentur, quamque omnino tenendam remur, docet Episcopos eiusmodi potestatem nisi per R. Pontificem non accipere, cui clavium plena potestas ad Ecclesiae unitatem servandam a Christo credita fuit. Videsis Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Iurisdictio*, n. 23; Aichner, § 24; Rosmini, *Dell'educazione cristiana*, l. II, c. XIV; Lanzoni, *De Ordine*, c. I, a. I, § I, scholion; Lehmkuhl, II, 486.

quod anathemate percellit dicentes *non solos sacerdotes esse ministros absolutionis* (1). Insuper et iurisdictionis potestatem esse necessariam, certa doctrina est fideique proxima, hisce verbis ab eadem Synodo tradita: *Quoniam natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem* (2). Namque sacerdos in Poenitentiae Sacramento ministri et iudicis munere fungitur: qua minister est, ordinis potestate instructus sit oportet; qua iudex, potestate iurisdictionis. Equidem, dum sacerdotio quis insignitur, potestatem accipit in Christi corpus mysticum per ea verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* at potestas haec, radicalis et in actu primo collata, exerceri nequit nisi per iurisdictionis potestatem expediatur (3). Hinc sacerdos qui sciens prudens audet absolvere iurisdictione carens gravi poena plectitur, nam ex novissimo *Iuris pontificii Codice: Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire est ipso facto suspensus a divinis* (4).

628. — Resp. ad III Q. Etsi plerumque approbatio et iurisdictio promiscue usurpantur, re tamen valde inter se differunt et altera sine altera consistere potest. Namque approbatio est authenticum Episcopi testimonium, quo quis confessionibus excipiendis idoneus iudicatur, nempe est actus intellectus iudicantis; nihil autem prohibet quominus confessiones excipiendi potestas, quae per voluntatis actum tribuitur, ei denegetur qui idoneus iudicatur; aut etiam tribuatur alicui, omisso quovis approbationis experimento. Hodie id moris est, ut eodem tempore Episcopus iurisdictionem et approbationem tribuat: hinc obtinuit, ut qui ab Episcopo approbatus dicitur, is et iurisdictionem consecutus censeatur. Tridentina Synodus decrevit, *nullum etiam regularem posse confessionem saecularium etiam sacerdotum audire, nisi aut parochiale beneficium aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias iudicetur idoneus, et approbationem quae gratis detur obtineat* (5).

629. — Resp. ad IV Q. Iurisdictio in *ordinariam* et *delegatam* diducitur: illa ei competit qui officium tenet cui animarum cura adnexa est; haec ab eo recipitur qui ordinaria est instructus; utraque *a iure* dicitur vel *ab homine*, prout ipso iure vel hominis voluntate confertur.

(1) Sess. XIV, can. X.

(2) Sess. cit., c. VII. Cf. et *Codicem iuris canonici*, can. 872.

(3) Lugo, disp. XV, 18 et seq.; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VIII, 3-6; Sporer, p. III, c. V, 652; Billuart, diss. VI, a. II, § I.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 2366.

(5) Sess. XXIII, *De reformatione*, c. XV.

I°. Eos qui ordinaria iurisdictione potiuntur *Codex pontifici iuris* canone 873 hisce verbis enunciat: § 1. *Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio, Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt.* § 2. *Hac eadem iurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae. ad normam can.* 401, § 1. *et Superiores religiosi exempti pro suis subditis ad normam constitutionum* (1). Ad huius canonis explanationem praestat quorundam aliorum canonum statuta recolere. Et 1° quidem canone 198, § 1 illi diserte traduntur qui inter Ordinarios censentur: *In iure nomine* **Ordinarii** *intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus* **nullius** *eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis.* Et § 2. *Nomine* **Ordinarii loci** *seu* **locorum** *veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis.* Quamvis hic *Vicarii Capitularis* expressa mentio non fiat, palam est inter eos ipsum esse censendum qui *deficientibus Episcopis ex iuris praescripto interim in regimine succedunt.* 2°. De *Canonico poenitentiario* explicatius canone 401, § 1 haec statuuntur: *Poenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis.* 3°. *Vicarius oeconomus* (qui nempe ad paroeciam vacantem regendam ab Episcopo designatur) t *Vicarius substitutus* (scilicet qui in locum parochi absentis sufficitur) vi canonum 473 et 474, in iis quae ad animarum curam spectant, idem possunt ac parochus. 4°. *Superiores religiosi exempti* ex canone 488, n. 8° sunt: *Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes.* 5°. *Vicarii* et *Praefecti Apostolici* ex canone 294, in suis territoriis Episcopis residentialibus aequiparantur. 6°. Ad *Nuntios* et *Internuntios* quod attinet, ex canone 267 inspiciendae facultates a Sancta Sede illis collatae.

II°. Delegata iurisdictio ea est quae ab ordinariam habentibus demandatur: non tamen omnes qui ordinaria iurisdictione potiuntur eam delegare queunt. *Codex iuris canonici* haec habet canone 874, § 1: *Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum sae-*

(1) De Cardinalium iurisdictione vide et canonem 239, § 1.

cularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur. Et canone 875, § 1: *In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514, § 1* (idest diu noctuque in religiosa domo degentium) *iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorumdem Superior ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis.* Ex his patet, neque parochos, neque eorum vicarios, neque canonicos poenitentiarios ordinariam iurisdictionem delegare posse. — At quaeres, num parochus ad confessiones suorum audiendas vocare queat parochos seu alienae seu suae dioeceseos, cum parochi iurisdictionem ab Episcopo non accipiant sed a iure. Sententiam negantem omnino tenendam putamus, quam S. Congregationis Concilii responsa confirmant. Nam quaerentibus: *An curati unius dioecesis vocati a parochis alienae dioecesis possint in ista audire confessiones absque licentia Episcopi,* respondit die 3 decembris an. 1707: *Affirmative quoad subditos, negative quoad alios* (1). Item quaerentibus: *An provisus de parochiali per concursum censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa dioecesi in qua illam parochialem obtinet,* respondit: *Censeri ad audiendas confessiones dumtaxat in ea civitate vel oppido ubi sita sit parochialis, non autem passim per totam dioecesim.* Ceterum hodie alicubi ex consuetudine, alicubi ex Episcoporum voluntate, ferme ubique parochi, coadiutores titulares et vacantium paroeciarum rectores pro tota dioecesi approbati censentur (2).

630. — Resp. ad V Q. Delegatio explicita vel saltem tacita necessaria est, praesumpta vero seu interpretativa non sufficit. Re enim vera delegatio eiusmodi esse debet quae iurisdictionem conferat, sine qua Sacramentum non fit; delegatio autem praesumpta nondum existit sed potius datura censetur, propterea inepta est Sacramento perficiendo. Hoc diserte traditur a Tridentina Synodo illis verbis *approbationem obtineat*; praesumpta autem iurisdictio obtenta non est. Firmatur etiam hoc canone quod in *Codice pontificii iuris* continetur: *Ad confessiones valide audiendas opus est iurisdictione scripto vel verbis expresse tradita* (3). Aliud de tacita dicendum videtur, modo de ea certis omnino indiciis constet, veluti si quis Episcopo praesente, sciente nec contradicente, confessiones excipiat, vel ab eodem in auxilium parochi mittatur, hisce enim in adiunctis silentium consensui aequivalere censetur (4).

(1) Contradicit Ballerinius (*Opus theol. mor.*, tr. *De Poenit.*, 377 et seq.), cuius sententiam Lehmkuhl, *non omni probabilitate destitutam* retur (II, 488, nota).

(2) S. Alphonsus, 544; Gury, II, 552; Gousset, II, 478.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 879, § 1. Hoc in canone inspecto, etiam tacita posthac inepta videri potest, requiritur enim *expresse tradita.*

(4) Laymann, 15, 16; Sporer, 710-712; S. Alphonsus, 557, 570; Lehmkuhl, II, 492.

631. — Resp. ad VI Q. Ephysius, ordinis potestate destitutus, frustra confessiones accepit. Contra valide Caelestinus eas excepit, quippe qui, etsi non approbatus, iurisdictionem ab Episcopi Vicario obtinuerat. Marcus quoque valide curialibus suis Sacramentum ministravit, parochus enim ubique locorum iurisdictionem excercere valet in subditos suos, quam a iure habet. Nihil fecit Antonius, nam ordinaria iurisdictio muneri adnexa, abdicato a se munere, perit. Valide egit Paulus in prima facti specie, tacita iurisdictione usus, quae, omnibus inspectis, expressae aequiparari videtur; minime vero in altera, usus iurisdictione praesumpto seu existimata.

CLX.

Methodius parochus, cum per exteras regiones iter haberet, Poenitentiae Sacramentum nonnullis petentibus tribuit, quorum alter in sua paroecia paucis ante diebus domicilium fixerat, alter a paroecia sua paulo ante discesserat alio domicilium translaturus, alter modo in sua modo in vicina paroecia negotiandi causa versabatur, alter demum pervagabatur huc illuc nullibi domicilium fovens.

Ambrosius episcopus vetuit ne quisquam paschali tempore suae dioeceseos fines transiliret alioque se conferret sua peccata confessione expiaturus, secus confessio pro infecta haberetur: hoc Episcopi iussu posthabito, nonnulli extra dioecesim peccata sua confessi sunt.

Reginaldus regularis sacerdos, cuiusdam ephebaei pueris instituendis rector, si quando animi causa a dioecesi sua cum alumnis secedit, confessiones sive sodalium sive alumnorum suorum excipere solet quin ab Episcopo loci facultatem expetat, ratus eam non esse necessariam, cum de iurisdictione contentiosa exercenda non agatur.

Quaeritur I°. An et quatenus ratione domicilii vel quasi-domicilii quis alterius subditus in Poenitentiae Sacramento constituatur?

Q. II°. An et quatenus ratione consuetudinis?

Q. III°. An et quatenus sacerdotes regulares suis subditis Poenitentiae Sacramentum conferre valeant?

Q. IV°. Quid de valida Sacramenti collatione in propositis factorum speciebus?

Quaestionum solutio.

632. — Resp. ad I Q. Incolae et advenae ratione domicilii vel quasi-domicilii iurisdictioni Episcopi et parochi loci obnoxii fiunt ab eo temporis puncto quo domicilium vel quasi-domicilium ibi fixerunt. Acquiritur autem domicilium et quasi-domicilium animo et facto, ut alias explicuimus (n. 94). Et quia duobus in locis domicilium vel quasi-domicilium quis fovere potest, utriusque loci Episcopo et paro-

cho potest subditus esse, propterea et a sacerdotibus ab Episcopo approbatis Poenitentiae Sacramentum recipere valet (1).

633. — Resp. ad II Q. Vagi, qui nullibi sedem fixam habent, ratione consuetudinis illius Episcopi et parochi subditi fiunt in cuius dioecesi et paroecia obiter morantur, ne quasi exleges subdantur nemini careantque Sacramentis. Idem dicendum de peregrinis, qui quamquam certum domicilium habent, vi consuetudinis ubique receptae cuivis sacerdoti approbato eo loci in quo peregrinantur confessionem suam peragere possunt (2). Idque (quidquid olim senserint nonnulli doctores) etiamsi ex industria alio se conferant, nempe animo se subducendi a proprii Pastoris iurisdictione et iudicio, non enim fraudulenter agunt qui iure suo utuntur (3). Quamobrem si Episcopus subditis suis inhiberet quominus extra dioecesim Poenitentiae Sacramentum quaererent, nullius roboris hoc iussum esset: quippe universali consuetudini, quae ab Ecclesia vim habet, derogare Episcopis non est (4). Exceptio olim pro eo fiebat qui ad alienam dioecesim *in fraudem reservationis* se contulisset, nempe ad eum praecipue finem absolutionem obtinendi a peccato reservato: hoc enim expressis verbis a Clemente X, Const. *Superna* cautum fuerat (5). Hodie per Decretum iussu Benedicti XV a Congregatione S. Officii die 16 iulii anni 1916 datum exceptio illa sublata est. En Decreti verba; *A peccatis in aliqua dioecesi, reservatis absolvi possunt poenitentes in alia dioecesi, ubi reservata non sunt, a quovis confessario, sive regulari, sive saeculari, etiam si praecise ad absolutionem obtinendam eo accesserint* (6). Cui Decreto cohaeret hic *iuris pontificii* canon: *Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit, reservatio omni vi caret* (7).

634. — Resp. ad III Q. Regulares vi privilegii Poenitentiae Sacramentum subditis suis tribuere valent, eodem Clemente X citata Constitutione haec statuente: *In monasteriis ac etiam collegiis, ubi iuxta regularia instituta vivitur, possunt tam praelati regulares quam confessores regularium eorum monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium qui inibi sunt vere de familia et continui commensales, non autem illorum qui tantum ipsis inserviunt.* Et Tridentina Synodus ab Episcoporum iurisdictione personas eximit

(1) *Summa Sylv.*, v. *Domicilium*; Suarez, disp. XXV, sect. II; Laymann, l. V, tr. VI, c. X, 5, 6; S. Alphonsus, 569; D'Annibale, I, 86.

(2) Suarez, l. c.; Laymann, 7, 9, 10; S. Alphonsus et D'Annibale, ll. cc.

(3) Laymann, 10; S. Alphonsus, 589; D'Annibale, III, 322.

(4) Gury, II, 555; *Vindiciae Alphonsianae*, p. V, q. XI, contradicente Ballerinio (ad Gury, II, 555).

(5) La Croix, l. VI, p. II, 1631; S. Alphonsus, 589.

(6) Vide *Acta Apostolicae Sedis*, an. VIII, vol. VIII, pag. 315.

(7) *Codex iuris canonici*, can. 900, § 3.

quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia (1). Hinc novitii, famuli diu noctuque in religiosa domo manentes, ibique cibum sumentes, hoc privilegio fruuntur; non vero ruricolae, operarii seu mercenarii diurni, qui extra monasterii septa pernoctant (2). De regularium alumnis seu convictoribus, qui studiorum causa sub eorum obedientia vivunt, an familiarium nomine ac iure censerentur, olim quaestionis erat. Plerique negabant, quia de regularium familia dici nequeunt, non enim iis famulantur sed pecuniam solvunt ut victum et institutionem sibi comparent; idque firmari putabant decreto S. Congregationis Episcoporum et Regularium diei 21 iunii 1848. Plures tamen probabilem affirmantium sententiam rebantur, tum quia et alumni convictores familiaribus annumerari solent, tum quia plures Regulares Ordines ut Benedictini, Theatini, Sodales a Somascha, Clerici infirmorum ministri (immo et saeculares Congregationes S. Sulpitii et S. Spiritus) hoc privilegio donati sunt; iamvero privilegiis quibus unus Ordo auctus est gaudent et ceteri ex doctrina de privilegiorum communicatione (3). Hinc concludebant, regulares probabili iurisdictione in convictores suos potiri (4). Hodie quaestio omnis dirempta est, ex quo *Codex iuris canonici* diserte constituit, in clericali religione exempta fas esse Superiori delegatam iurisdictionem conferre ad confessiones excipiendas tam suorum sodalium quam eorum qui in religiosa domo *educationis, aut hospitii, aut infirmae valetudinis causa diu noctuque degunt* (5).

635. — Resp. ad IV Q. Priori poenitenti, ratione inchoati domicilii sibi subdito, valide Methodius Sacramentum dedit; secundo invalide, qui, translato domicilio, subditus esse desierat; valide tertio, ratione quasi-domicilii; invalide quarto, in quem nulla iurisdictione pollebat, nisi ab Episcopo loci eam obtinuisset.

Cum peregrini vi universalis consuetudinis fiant subditi eius loci in quo confessionem suam absolvunt, Ambrosii iussum eorum confessionem non potuit irritas facere, seu iurisdictionem adimere quam

(1) Sess. XXV, *De regularibus*, c. XI.

(2) Gury, II, 563; Tanquerey, 505; Lehmkuhl, II, 512.

(3) S. Alphonsus, *Homo apost.*, tr. XX, *De privilegiis*; D'Annibale, I, 104, nota 21. Hic obiter animadverte, privilegiorum communicationem post *Codicem iuris pontificii* promulgatum iam non obtinere, nam haec in canone 613, § 1 leguntur: *Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione.*

(4) Hanc sententiam neque approbare neque improbare videtur S. Alphonsus (583), probabilem vero putant Gury, II, 564 et *Casus*, II, 554; Tanquerey, 506; Lehmkuhl, 513; Zaninetti, 2257. Videndus et Pennacchi (Append. XXVII) qui tamen neganti sententiae adstipulatur.

(5) *Codex iuris canonici*, can. 875, § 1 et can. 514, § 1.

sacerdotibus loci ab Episcopo approbatis Ecclesia seu R. Pontifex tribuit.

Reginaldus (nisi a S. Sede privilegium suo Ordini concessum fuerat, alumnos convictores instar familiarium habendi) ante novi *Codicis* editionem iurisdictione probabili usus fuisset; post recentiora autem *Codicis* statuta iurisdictione certa usus est.

CLXI.

Caelestinus, cruris amputationem non sine vitae periculo in nosocomio toleraturus, Poenitentiae Sacramentum avet; at quia peccata sua confessario nosocomii, qui sibi sanguine iunctus est, aperire erubescit, Camillum sacerdotem rogat confessionem suam excipiat. Renuit Camillus, quia, cum alienae sit dioeceseos, nullam in Caelestinum iurisdictionem habere se putat. Haec resciens Albertus, sacerdos apostata in eodem nosocomio valetudinis causa receptus, ad Caelestini confessionem audiendam ultro se offert. At, confessione vix incoepta, en Caelestini parochus curialem suum invisurus: haeret primo Caelestinus, incertus debeatne parocho suo confessionem ex integro renovare; subinde, ne actum agat, incoeptam cum Alberto perficit.

Quaeritur I°. An et quatenus ratione periculi mortis cuivis sacerdoti quis confiteri possit?

Q. II°. An in tali eventu iurisdictio sacerdotis a divino vel humano iure sit repetenda?

Q. III°. An et quatenus simplex sacerdos coram approbato absolvere valeat?

Q. IV°. Quid in proposita facti specie de singulis sit iudicandum?

Quaestionum solutio.

636. — Resp. ad I Q. Ratione periculi mortis cuilibet sacerdoti, etiam non approbato, quisque fit subditus: hoc ex omnium confesso certissimum est. Sane Tridentina Synodus diserte loquitur: *Pie admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut in articulo mortis nulla sit reservatio, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt* (1). Esto Synodum de absolvendo a reservatis loqui; verba tamen eius, *a quibusvis peccatis*, amplissima sunt, propterea ad reservata non coarctanda. Neque minus diserte *Rituale R.* loquitur: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere* (2). Consonat et *Codex pontificii iuris* canone 882, quem referemus infe-

(1) Sess. XIV, c. VII.
(2) *De Sacram. Poenitentiae.*

rius (n. 638). Hic quaestio moveri potest, an iurisdictio in mortis articulo dumtaxat sacerdotibus omnibus tribuatur, vel saltem in periculo mortis iam proximo, nempe quum, desperata aut vix desperata salute, mors proxime secutura timetur. Quidam hoc docuerunt; at communior et vera sententia in quovis prudenti mortis periculo iurisdictionem dari contendit; in quo periculo versari censentur proelium aut arduum iter terrestre vel maritimum inituri, peste infectis ministrantes, mulieres laboriose pariturae, infirmi cum vitae discrimine chirurgi ferrum passuri. Et sane, quamvis Tridentinum Concilium de mortis articulo loquatur, *Rituale R.* de periculo loquitur; in praesenti autem quaestione articulus et periculum mortis in iure canonico aequiparantur (1). Praeterea ratio *ne aliquis pereat* non minus in mortis periculo quam in articulo urget, si enim illud temporis punctum expectandum esset quo moribundus extremos trahit spiritus, non pauci sine Sacramenti subsidio e vita migrarent (2).

637. — Resp. ad II Q. Sunt qui iurisdictionem hanc a divino iure manare contendunt, nimirum in ipsa sacerdotis ordinatione cum potestate clavium a Christo conferri (3). Communius tamen ab Ecclesia repetendam docent, tum quia nullo solido argumento evinci potest iure divino conferri, tum quia satis animarum saluti consulitur si ab Ecclesia, Christi fidelium pia matre, conferri dicatur (4). Ceterum quaestio haec, ad praxim quod attinet, vix ullius momenti est.

638. — Resp. ad III Q. Plerique theologi ante quam *Codex pontificii iuris* prodiret valde probabiliter negabant simplicem sacerdotem coram approbato absolvere posse, tum quia ratio necessitatis (*ne aliquis pereat*), quam Tridentini Patres commemorant, praesente approbato iam deficit; tum quia *Rituale R.* expressis verbis ait *si approbatus desit confessarius*, et *Rituali* consonat *Catechismus Tridentini Concilii* diceus, *si proprii sacerdotis facultas non datur* (5). Verum tam multis exceptionibus sententiam suam circumscribebant, ut ad praxim devenientes parum a sententia affirmante distare viderentur. Namque etiam simplici sacerdoti confiteri permittebant si quando approbatus nequiret nolletve confessionem excipere; si haereticus esset, vel excommunicatus, vel apostata, vel complex in peccato turpi, vel in aliena dioecesi approbatus (hi enim omnes perinde ac simplex sacerdos iurisdictione carent); si poenitens approbatum exhorreret aut aegre eidem

(1) Can. *Si quis suadente*, 17, q. 4, et cap. *Eos qui*, *de sent. excom* in 6.

(2) Navarrus, *Enchir.*, c. XXVI, 31; Reginaldus, *Praxis*, l. I, 59; Suarez, disp. XXVI, sect. IV; Lugo, disp. XVIII, sect. II; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VIII, 13, addit; Laymann, l. V, tr. VI, c. XII, 13; S. Alphonsus, VI, 561.

(3) Canus, *Relect. de Poenit.* p. V; S. Thomas idem sentire videtur, *Supplem.* q. VIII, a. VI et in IV *Sent.*, dist. XX, q. unica, a. 1, quaestiunc. II.

(4) Suarez et Lugo, ll. cc.; Lehmkuhl, II, 508.

(5) *De Sacram. Poenit.*, n. LXXII.

confiteretur; si maius bonum a simplici sacerdote expectaret; si approbatus superveniret post confessionem incoeptam; item si confessio apud non approbatum invalide peracta renovanda esset, quia inchoatum iudicium apud eundem iudicem perficiatur oportet (1). Sententia affirmans, etsi pauciorum, vera probabilitate pollebat, quia Tridentinae Synodi verba et vetustissima consuetudo cuivis sacerdoti generatim absolvendi in mortis articulo facultatem tribuunt; ratio autem *ne aliquis pereat* id exposcere videtur. Huic sententiae maxime suffragabatur S. Congregationis Officii responsum die 29 iulii an. 1891 datum: *Non sunt inquietandi qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis concessam a sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset sacerdos approbatus: nec qui tenent validam esse absolutionem in eodem articulo mortis concessam a peccatis reservatis sive simpliciter sive cum censura per sacerdotem non habentem iurisdictionem in reservata, etiamsi advocari seu adesse facile potuisset sacerdos habens praedictam iurisdictionem* (2). At quod hactenus disceptabatur, explorati iuris nunc est, nam *iuris pontificii Codex* quaestionem finit hoc canone: *In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus* (3).

639. — Resp. ad IV Q. Potuit Caelestinus ob mortis periculum peccata sua Camillo, etsi non approbato, confiteri si ruborem ponere nequivit et sacerdoti sibi sanguinis vinculo iuncto confiteri non est ausus. Camillo inscite prorsus autem renuente, potuit et Alberto apostatae exomologesim suam facere, cum sacerdotes omnes Concilium Tridentinum absolvendi potestate in mortis articulo instructos declaraverit. Neque, parocho adveniente, opus fuit incoeptam apud Albertum confessionem abrumpere et coram parocho instaurare, nam iurisdictio Alberto collata ad sacramentale iudicium instituendum tamdiu perdurat donec inchoatum iudicium ad exitum perductum fuerit.

CLXII.

Anacletus parochus et Basilius sacerdos in eius paroecia degens facultate carent confessionis excipiendae, alter quia per simoniam parochiale beneficium obtinuit, alter quia ob occultum crimen suspensionis poenam incurrit: nihilo tamen secius uterque christianae plebi

(1) Suarez et Lugo, ll. cc.; Laymann, 14; Reiffenstuel, tr. IV, dist. III, 33; Sporer, p. III, c. VI, 723; S. Alphonsus, 562.

(2) Reginaldus, 61, cum Navarro, Barbosa, Diana, Ballerini (ad Gury, II, 551). Probabilem autem hanc sententiam pronunciant Lugo et Reiffenstuel (ll. cc.); Sporer, 725; Gury, II, 551; Lehmkuhl, l. c.; Tanquerey, 494.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 882.

rei ignarae Poenitentiae Sacramentum ministrare pergit. At cum res Episcopo innotuisset, utrumque per publicum edictum omni iurisdictione destitutum declaravit; quod edictum ignorantes quaedam mulieres parocho et Basilio iterum iterumque peccata sua confessae sunt. Interim Victor, eiusdem paroeciae sacerdos, ne christianus populus Sacramentis privetur, confessiones audit, quamvis ex oblivione facultatem confessiones excipiendi opportuno tempore non renovaverit.

Quaeritur I°. An error communis cum titulo colorato iurisdictionem conferat in Poenitentiae Sacramento?

Q. II°. An error communis sine titulo?

Q. III°. An privatus error?

Q. IV°. Quid de acceptis ab Anacleto, Basilio et Victore confessionibus

Quaestionum solutio.

640. — Resp. ad I Q. Praenotandum, titulum diduci in *verum*, *coloratum et putativum* seu *praesumptum*: verus, qui aptus est iurisdictioni conferendae, quamque reipsa confert; coloratus, qui veri tituli speciem prae se fert, at ob occultum quo laborat vitium ineptus est; putativus, qui putatur existere quum neque re neque specie adsit.

Communis censetur error, quum tituli vitium vel defectus latet omnes vel plerosque; *privatus* vero si error paucorum est.

His declaratis dicimus, extante errore communi cum titulo colorato, Ecclesiam iurisdictionem supplere: quae una omnium est sententia. Probatur ex iure canonico, quod ratam habuit suamque fecit romanam legem *Barbarius*, ff. *de officio praetoris*, statuentem illius gesta valere qui communiter tanquam iudex receptus est, quamvis reipsa non sit (1). Firmatur ratione: cum enim Ecclesiae, ceu optimae matri, filiorum suorum bonum maxime sit cordi, iure censetur hoc in eventu iurisdictionem tribuere, ne Christi fideles damnum patiantur aut perpetuis anxietatibus teneantur (2).

641. — Resp. ad II Q. Deficiente titulo colorato, an Ecclesia communis boni intuitu adhuc iurisdictionem suppleat, diu disceptatum fuit. Negabant permulti, quorum sententiam *communiorem* S. Alphonsus appellat: negabant, tum quia iura de errore cum titulo dumtaxat loquuntur, tum quia publicum bonum id postulat ne quis legitimo carens titulo publico fungatur officio, tum quia hoc in damnum magis quam in bonum Christi fidelium redundaret, impiis enim sacerdotibus ansa praeberetur christianam plebem decipiendi pravaque dogmata disseminandi (quae postrema ratio non satis firma S. Alphonso videtur).

(1) Cap. *Infamis*, 3, q. 7.

(2) Reginaldus, *Praxis*, l. I, 99; Sanchez, *De matrim.*, l. III, disp. XXII, 13; Bonacina, *De matrim.*, disp. IX, q. II, p. VIII, 25; Sporer, p. III, c. VI, 741; La Croix, l. VI, p. I, 112; S. Alphonsus, VI, 572.

Decretum etiam S. Congregationis Concilii afferebant die 11 decembris anni 1683 datum, quo confessiones a quibusdam regularibus titulo carentibus exceptae, communi non obstante errore, irritae declarabantur (1). Attamen contraria sententia, solidis fundamentis innixa, plures gravesque patronos nacta est. Hi, animadvertentes boni communis rationem, sive adsit sive desit titulus coloratus, aeque urgere, merito contendebant praesumendum esse, Ecclesiam suorum filiorum bono aeque prospicere velle iurisdictionem supplendo. Facili autem negotio a S. Congregationis responso se expediebant, dicentes, in ea facti specie illud fuisse prolatum a qua communis error exulabat, nam regulares de iurisdictionis defectu a parocho moniti fuerant: hinc Benedictus XIV, qui in sua *Notificatione* LXXXIV diserte rem narrat, quaestionem dirimere non est ausus (2). Ex quibus generatim inferebant, hanc sententiam, quippe quae vere probabilis est, licite ad praxim deduci, agitur enim de licito probabilis iurisdictionis usu (3). Quod si iurisdictionem dicas esse dubiam, saltem iis in adiunctis ea uti licebit in quibus ratione erroris communis iurisdictione dubia uti fas est (4). Ita illi.

Haec libuit nobis quasi historice de hac quaestione enarrare; hodie enim omni controversiae *Codex iuris canonici* finem posuit edicens: *In errore communi, aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno* (5).

642. — Resp. ad III Q. — Si error privatus seu paucorum sit, certum est Ecclesiam iurisdictionem non dare, tum quia paucorum error facile detegi et reparari potest, tum quia sapientis gubernatoris non est singulis privatorum incommodis occurrere, quum id vix fieri queat sine publici boni detrimento (6).

643. — Resp. ad IV Q. Anacletus et Basilius ratione erroris communis cum titulo colorato valide ante Episcopi edictum Poenitentiae Sacramentum ministrarunt, Ecclesia iurisdictionem supplente; post vero quam Episcopus eos omni iurisdictione destitutos declaraverit, deficientibus titulo et communi errore, mulieribus id ignorantibus Sa-

(1) Busembaum (apud S. Alphonsum, 571); *Summa Sylvestrina*, v. *Confessor*, I, 15; Sanchez, 49; La Croix, 115; Alasia, c. VIII, a. I, 13; Scavini, III, 479.

(2) Reginaldus, 100; Suarez, disp. XXVI, sect. VI; Lugo, disp. XIX, 28-30; Billuart, diss. VI, a. III; Gury, II, 548; Gousset, II, 484; D'Annibale, I, 79; III, 321; Bucceroni, *De Poenitentia*, IX, 769. Hanc sententiam merito *probabilem* iudicant S. Alphonsus, 573, et Tanquerey, 479; et Ferraris (*Bibliotheca*, v. *Confessarius*, 42) *magis piam* appellat, quamvis oppositam *Communiorem* agnoscat.

(3) Zaninetti, 2251 cum Marc.

(4) Lehmkuhl, II, 505; Tanquerey, l. c.

(5) *Codex iuris canonici*, can. 209.

(6) Reginaldus, 99; Sanchez, 5; Bonacina, Billuart, Gury, Bucceroni, ll. cc.; Génicot, II, 331.

cramentum non valuerunt conferre. Ante editum *Pontificii iuris Codicem* incertum erat an Ecclesia iurisdictionem ob solum communem errorem suppleret; propterea Victori non licuisset confessiones excipere et absolutionem impertire nisi sub conditione, iisque in adiunctis in quibus dubia iurisdictione uti fas erat; at post *Codicem* editum valide et licite ob christianae plebis necessitatem ea uti potuit. Quamquam omnino ei satagendum fuisset, ut facultate ex oblivio amissa quamprimum muniretur. Diximus *ob christianae plebis necessitatem*, sunt enim qui, dempta necessitate, graviter illum peccare contendunt qui Ecclesiam quodammodo cogit ad iurisdictionem supplendam (1).

CLXIII.

Theopistum die festo poenitentium peccatis Sacramento expiandis incumbentem gravis dubitatio subit, num tempus tributae sibi ab Episcopo iurisdictionis elapsum fuerit: quid faciet? illi innixus sententiae, quae iurisdictionem probabilem ab Ecclesia suppleri contendit, perstat in officio suo. Subinde ab hominem gravi morbo laborantem accersitus, qui parocho suo peccata ob nimiam verecundiam confiteri renuebat, eidem innixus sententiae confessionem eius excipere non veretur. Alias, cum acceptae iurisdictionis tempus certo transiisset, puerorum confessiones audit, ratus cuivis sacerdoti fas esse a venialium peccatorum nexibus absolvere, saltem vi perpetuae consuetudinis in Ecclesia obtinentis.

Quaeritur 1°. An liceat et valeat absolutio quum dubia vel probabilis est confessoris iurisdictio?

Q. II°. Rectene in omnibus Theopistus se gesserit, et an confessiones ab eo exceptae sint iterandae?

Quaestionum solutio.

644. — Resp. ad I Q. De iurisdictione bifariam dubitari potest, nempe *negativo* dubio vel *positivo:* illud tunc adest quum nulla vel inepta quidquam affirmandi aut negandi praesto sunt argumenta (istiusmodi dubium ferme in ignorantiam recidit); hoc quum probabilia argumenta suppetunt, quibus innixi probabile de re aliqua iudicium ferre valemus, quamvis non sine aliqua errandi formidine (istiusmodi dubium in opinionem recidit). Priore dubio extante, dubia erit iurisdictio; probabilis vero extante posteriore. Rursus dividitur dubium in *dubium iuris* et *facti:* illud adest, quum sub opinione theologorum probabili est iurisdictionem adesse, seu in facultate cuipiam legitime tributa quidquam contineri; hoc quum incertum est an factum seu titulus existat ex quo iurisdictio pendet, v. c. an Episcopus facultatem

(1) Génicot, II, 331. Abs re non erit canonem 2366 *Codicis pontificii iuris* n. 627 relatum recolere.

tribuerit, an revocaverit, an tempus facultati exercendae praestitutum iam praeterierit. Dubium facti dubiam iurisdictionem efficit, dubium iuris probabilem facit (1).

645. — Quibus positis, I°. Si dubium de iurisdictione negativum est, ideoque iurisdictio dubia, in confesso est omnium Sacramentum conferre non licere citra gravem necessitatem. Sane qui de sua iurisdictione dubius Sacramentum conficit, evidenti periculo illud frustrandi se committit, quod sine gravi Sacramenti iniuria fieri nequit. Necessitate autem extante, Sacramentum sub conditione conferendum, monito poenitente de dubia Sacramenti vi, ut saltem per contritionem perfectam sibi consulat: qua ratione tum poenitentis bono tum Sacramenti reverentiae, quoad eius fieri potest, cavetur. Haec necessitas extare censetur, non tantum in mortis periculo, sed et si praeceptum annuae confessionis vel Communionis urgeat, si poenitens Eucharistiae sumptionem vel S. Sacrificii celebrationem sine infamiae vel scandali periculo omittere nequeat, aut etiam si diu in peccato debeat remanere (2). Scite animadvertit Suarez, in eiusmodi necessitate posse quidem poenitentem sacerdoti dubiam iurisdictionem habenti sua confiteri peccata, non tamen obligatione hoc praestandi teneri: etenim, si necessitas sit extrema, cuiusvis sacerdotis iurisdictio certa est; si vero extrema non sit, posita dubia Sacramenti virtute, contritio sufficiens erit, immo necessaria ad poenitentis securitatem. Haec obtinent etiam in dubio facti, nam dubium facti (ut monuimus) dubiam iurisdictionem facit.

646. — II°. Si extet dubium iuris et positivum, quod talibus rationum momentis nitatur quae iurisdictionem vere probabilem ostendant, communis doctorum sententia est Poenitentiae Sacramentum valide confici. Nititur haec sententia potissimum in consuetudine omnium aut fere omnium confessariorum absolvendi cum probabili iurisdictione, quam consuetudinem theologi communiter testantur. Cum autem hanc consuetudinem perspectam habeat nec improbet Ecclesia, dicendum iurisdictionem ab ea ob animarum bonum suppleri, si forte opinio de iurisdictionis existentia a veritate aberrat: quapropter sacerdos cum probabili iurisdictione absolvens, per principium reflexum fit certus se ab Ecclesia iurisdictione muniri (3). Idque nunc definiti

(1) Confer quae scripsimus in opusc. *De regulis ad certam nobis conscientiam praestandam*, n. 13, et Lehmkuhl, II, 503.

(2) Suarez, disp. XXVI, sect. VI; Lugo, disp. XIX, 28; Reginaldus, *Praxis*, l. I, 102; Sporer, p. III, c. VI, 720; La Croix, l. VI, p. II, 2571; Voit, II, 743; S. Alphonsus, VI, 751, etc.; Génicot, II, 330 et ceteri.

(3) Suarez, l. c.; Lugo, 30; Reginaldus, 103; Lessius, *De iust.*, l. II, c. XXIX, 68; Viva, *Damnatae theses*, in prop. I Innocentii XI, n. XX; Sporer, 717; La Croix, l. VI, p. I, 117; Billuart, diss. VI, a. IV, § II; S. Alphonsus, 573; Bucceroni, IX, 771; Génicot, l. c. Ex his alii hanc sententiam *veram*, alii *in praxi tutam*, alii *tutissimam*, alii *moraliter certam* vocant.

iuris est, postquam in novo *Codice* hic canon fuit insertus: *In errore communi aut in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno* (1).

647. — Haec de *valido* probabilis iurisdictionis usu. Ut autem *licite* eadem quispiam utatur, *gravis necessitatis vel magnae utilitatis causam* S. Alphonsus requiri contendit, quia Ecclesia, iusta deficiente causa, censeri nequit confessariorum libertati connivere velle (2). Limitationem hanc nonnulli tanquam novam, consuetudini contrariam, viamque scrupulis, anxietatibus et confessorum arbitrio aperientem reiiciunt (3). Verum novam plane non esse ex eo liquet quod plures gravesque theologi qui ante S. Alphonsum floruerunt eidem consentiunt. Nam Suarez confessarios ac poenitentes monet, certiori vel saltem probabiliori via utantur, *nisi aliqua causa gravis vel rationabilis urgeat*; quod Suarezii monitum Reginaldus approbat (4); La Croix *rationabilem causam operandi* requirit (5); Sporer cum Marchantio aliisque *mortaliter peccare* affirmat sacerdotem *sine ulla rationabili causa* probabili iurisdictione utentem (6); Collet et Billuart *gravem urgentemve causam* exposcunt (7); Antoine *nisi in necessitatis casu* hoc licere contendit (8). Incommodis autem quae obiiciuntur satis occluditur via, si prae oculis habeantur graves causae quas (ut mox dicemus) S. Doctor enumerat (9). Quaestionis punctum (ni fallimur) in eo est, an universalis consuetudo sit absolvendi etiam sine gravi seu rationabili causa: de quo ambigi potest, cum plures insignesque theologi consuetudinem testantes hanc simul causam requirant. S. Alphonsus ceu sufficientes has causas recenset: 1° si poenitens auxilio consiliove egeat confessarii iurisdictionem tantum probabilem habentis; 2° si huic confessario complex sit ignotus, notus vero certa iurisdictione praedito; 3° si prudenter timeatur ne confessario certae iurisdictionis poenitens renuat integram confessionem facere; 4° ne poenitens aversionem suspicionemve damnosam confessarii incurrat; 5° si annuae confessionis praeceptum urgeat, si peculiaris indulgentia sit lucranda, si periculum adsit diu non confitendi. Hisce causis Sporer

(1) *Codex iuris canonici*, can. 209.

(2) S. Alphonsus, 573, cui consentiunt Bouvier, c. VII, a. II, § IV; Gousset, II, 485; Scavini, III, 477; Del Vecchio, II, 705.

(3) Ballerini (ad Gury, II, 549 et *Opus theol. mor.*, tr. *De Poenitentia*, 631-633) sui accedunt Frassinetti, II, nota 136; D'Annibale, III, 321; De Varceno, *De Poenitentia*, c. VI, a. II, § 2; Lehmkuhl, III, 507; Bucceroni, l. c. aliique recentiores.

(4) Suarez et Reginaldus, l. c.

(5) La Croix, l. VI, p. I, 109, 118.

(6) Sporer, 717.

(7) Collet, c. IX, a. III, q. VI; Billuart, l. c.

(8) Antoine, *De Poenitentia*, c. III, q. V.

(9) Vide *Vindicias Alphonsianas*, p. V, q. IX.

addit magnum poenitentium concursum, deficientibus sacerdotibus qui certa polleant iurisdictione. Quidquid sit de hac S. Doctoris sententia, quam veluti historice tangere placuit, hodie vi canonis superius relati, indubium est etiam citra gravis necessitatis vel magnae utilitatis causam licite absolutionem conferri. Qui tamen eam contulit cavere debet, ut, necessitate transacta, opportunis subinde facultatibus quam citius instruatur.

648. — Resp. ad II Q. In prima facti specie valide et licite Theopistus egit, Ecclesia iurisdictionem supplente. Item in altera specie, nam in mortis periculo quivis sacerdos Poenitentiae Sacramentum conferre valet. Demum male prorsus se gessit puerorum confessiones excipiens, opinione fretus plurium theologorum docentium, quemlibet sacerdotem vi perpetuae consuetudinis in Ecclesia obtinentis potestate absolvendi a venialibus praeditum esse. Nam, praeterquam quod et pueri lethaliter delinquere possunt (in quo eventu Theopistus debuisset eos inabsolutos dimittere), post decretum ab Innocentio XI, die 12 februarii anni 1679 editum nefas est opinionem illam ad praxim deducere. En Decreti verba: *Non permittant (Episcopi) ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo aut Ordinario. Si parochi et confessarii, etiam regulares, aut quicumque alii sacerdotes secus egerint, sciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum et Ordinariorum iustam et rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam regulares, etiam Societatis Iesu.* An eiusmodi confessio, nedum illicita, irrita sit habenda plures negant, perpetuam Ecclesiae consuetudinem praetendentes (1). Verum, cum Ecclesia per R. Pontificem tam gravibus verbis sacerdotibus omnibus absolute inhibuerit tales confessiones excipere, iure censetur consuetudinem illam (si vere obtinebat) reprobare et abolere voluisse (2). Hanc posteriorem sententiam, cui adhaeremus, *probabilem* S. Alphonsus appellat, quin de prioris probabilitate suum iudicium efferat (3). Confessiones autem quas Theopistus accepit iterandae non sunt, nam priores probabiliter ob errorem communem valuere; graviter aegrotantium confessio certe valuit; confessiones vero puerorum qui venialibus tantum peccatis tenebantur, quamvis forte irritae cesserint, necessario iterandae non erant, quippe venialia peccata ad necessariam Sacramenti materiam non pertinent.

(1) Laymann, l. V, tr. VI, c. X, 2; Lugo, *De Poenit.*, disp. XVIII, 41; Sporer, *Theol. sacram.*, p. III, 667; Bonacina, disp. V, q. VII, p. I, 8; Busembaum (apud S. Alphonsum, VI, 543); La Croix, l. VI, p. II, 1489); Voit, I, 682; Gury, II, 551; Ballerini-Palmieri, tr. *De Poenit.*, 555; Zaninetti, 2236. Est tamen animadvertendum, ex his theologis non paucos ante Innocentianum Decretum suam protulisse sententiam.

(2) Antoine, *De Poenit.*, c. III, q. XIII; Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Confessarius*, a. I, 11, 12; Benedictus XIV, *Instit.*, 86, n. 7: D'Annibale, III, 318, nota; Tanquerey, *De Poenit.*, 471.

(3) S. Alphonsus, l. c.

CLXIV.

Leonardus sacerdos regularis, ab Episcopo dioeceseos in qua moratur approbatus, tum sodalium suorum, tum virorum ac mulierum eiusdem dioeceseos, tum virginum Deo sacrarum sive in coenobiis sive foris degentium confessiones audit. His rescitis, Praelatus Ordinis confessionis ministerium Leonardo interdicit, Episcopus vero ad periculum iterum subeundum illum advocat. Utrique Leonardus obtemperare detrectat: Praelato, quia iurisdictionem ab eo non habet; Episcopo quia approbatione semel obtenta privari nequit. Ad haec Leonardus peccata sua cuivis sacerdoti confiteri solet, sive saeculari sive regulari, sive approbato sive minus, prout sese offert occasio.

Quaeritur I°. An et a quo regularis sacerdos ad confessiones audiendas sit approbandus?

Q. II°. An et a quo iurisdictionem accipiat?

Q. III°. An ad confessiones monialium audiendas peculiaris approbatio requiratur?

Q. IV°. Cuinam regulares valide ac licite peccata sua confiteri possint?

Q. V°. Quid de Leonardo iudicandum?

Quaestionum solutio.

649. — Resp. ad I Q. Sacerdos regularis proprie dictus (quo nomine ille accipiendus qui solemnia nuncupavit vota et propterea ab Episcopi iurisdictione exemptus est) saecularium confessiones audire nequit nisi ab Episcopo per examen (si illi videbitur) aut alias idoneus iudicetur et approbationem gratis dandam obtineat. Haec conceptis verbis Tridentina Synodus sanxit, decreto quod superius retulimus (n. 628), et firmatur propositione XIII[a] ab Alexandro VII damnata: *Satisfacit praecepto annuae confessionis qui confitetur regulari Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste repulso.* Potest Episcopus vi Const. *Apostolici ministerii* Benedicti XIII regularibus facultatem confessiones audiendi tribuere *limitatam quoad locum, vel tempus, vel personarum genus;* idoneis per examen inventis negare non potest, neque datam revocare sine iusta causa ad confessionem pertinente, ex Const. *Superna* Clementis X; potest tamen ad examen vocare quos sine examine probaverat (1).

Ad confessiones sodalium suorum excipiendas iure pontificio (Clementina *Dudum*, § *Statuimus, de sepulturis*) statutum erat ut regularis sacerdos approbatione Praelati sui indigeret; veterem autem hac

(1) Suarez, disp. XXVIII, sect. VII; Reginaldus, *Praxis*, l. I, 202; Sporer, p. III, c. VI, 674; La Croix, l. VI, p. II, 1545; Viva, *Damnatae theses*, in prop. XIII Alexandri VII, n. I; S. Alphonsus, 550, 551, *Homo apost.*, tr. XX, 103.

de re disciplinam Tridentina Synodus intactam reliquit (1). Huic iuri per novum *Codicem* derogatum fuit, nam canone 874, § 1 sancitum est: *Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur; sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris.* Ex hoc canone fit manifestum, valide quidem agere sed illicite religiosum illum qui sine licentia saltem praesumpta sui Praelati iurisdictione utitur a loci Ordinario accepta (2).

650. — Resp. ad II Q. Posita approbatione seu Praelati seu Episcopi, regularis sacerdos a R. Pontifice iurisdictionem accipit: nimirum, R. Pontifex religioso Ordini iurisdictionem delegat, Ordo vero per Praelatos regularibus approbatis committit; haec autem Praelati seu Episcopi approbatio *necessaria conditio* est, qua deficiente, regularis in sodales suos vel saeculares homines iurisdictionem non consequitur (3). Nihil tamen obstat quominus Episcopus una cum approbatione iurisdictionem in suos subditos regulari conferat (quod hodie fieri solet), sicque ex duplici veluti fonte in regularem iurisdictio dimanet. In quo eventu peccat quidem contra obedientiam Praelato suo debitam regularis sacerdos qui, eo renuente, saecularium confessiones audit, verumtamen valide audit vi iurisdictionis ab Episcopo acceptae (4). Quod extra dubitationem omnem iamdiu positum erat, cum Sacra Episcoporum ac Regularium Congregatio die 2 martii an. 1866 declaravisset, *religiosum non approbatum iuxta leges sui Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii valide saecularium confessiones excipere;* nunc autem ex canone 874 *Codicis pontificii iuris* luculenter patet.

651. - Resp. ad III Q. Ad monialium in monasteriis degentium confessiones excipiendas approbatio non sufficit quam Episcopus pro saecularium confessionibus audiendis tribuit, sed specialis requiritur. Hoc a Clemente X Const. *Superna* et a Gregorio XV Const. *Inscrutabili* scitum est: propterea confessiones ab eo exceptae qui hac peculiari approbatione caret, irritae prorsus sunt. Diximus *confessiones monialium in monasteriis degentium*, nam recens S. Congregationis de Religiosis decretum, die 3 februarii an. 1913 editum, de monialibus extra monasterium versantibus haec statuit, quae disciplinam antea vigentem notabiliter mutant: *Si quando Moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, liceat iis in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semipublico, confessionem peragere*

(1) La Croix, 1487.

(2) Fanfani, *De iure religiosorum*, 117.

(3) Laymann, l. V, tr. VI, c. X, 19; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VIII, 15.

(4) Laymann, l. c.; Sporer, 682; Alasia, c. VIII, a. I, 39; Lehmkuhl, II, 497; Tanquerey, II, 503; Ballerini ad Gury, II, 563.

apud quemvis Confessarium pro utroque sexu approbatum (1). Hoc ipsum in novissimo *Iuris pontificii Codice* can. 522 sancitum fuit (2). Ad haec ex eodem *Codice: Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere* (3).

652. — Resp. ad IV Q. Vi disciplinae superioribus saeculis usque ad dies nostros vigentis ac RR. Pontificum auctoritate sancitae, regulares in monasterio nisi sacerdotibus sui Ordinis atque a Praelato constitutis confiteri poterant: extra monasterium vero, itineris socio; deficiente autem socio idoneo, cuivis sacerdoti tam regulari quam saeculari saltem approbato (4). Hodie tamen, S. Congregationis de Religiosis decreto die 5 augusti anni 1913 dato, huic disciplinae derogatum fuit. Namque vi huius decreti statuitur, *ut Confessarii omnes totius orbis a locorum Ordinariis approbati omnium Sodalium cuiuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere, quin de licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere teneantur, atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire queant* (5). Idque in *Iuris pontificii Codice* novissimo iisdem fere verbis firmatum est (6).

653. — Resp. ad V Q. Vi approbationis ab Episcopo obtentae, ex novissimis statutis potuit Leonardus sodalium suorum confessiones audire, potuit etiam saecularium virorum ac mulierum item et sacrarum virginum extra monasterium versantium, non autem virginum in claustro degentium, nisi graviter aegrotaverint, vel specialem ipse ab Episcopo facultatem obtinuerit. Male se gessit sive Praelato suo sive Episcopo parere detrectans, uterque enim, iusta extante causa, poterat illi confitendi ministerium inhibere, illumve ad examen revocare: an vero adhuc valide confessiones saecularium audire perrexerit, ex Episcopi mente iudicandum, nempe videndum an Episcopus iurisdictionem cum approbatione tributam revocare voluerit donec illum idoneum per novum periculum probaret. Post indultum superius memoratum valide ac licite cuivis sacerdoti a locorum Ordinariis ap-

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, an. V, vol. V, p. 64.

(2) Facultas quae canone 520 et 522 religiosis feminis tribuitur quemlibet confessarium expetendi vel adeundi, datur *ad animi quietem, ad maiorem in via Dei progressum, ad conscientiae tranquillitatem*: quae servanda sunt, secus de confessariis ordinariis et extraordinariis vix actum esset. Vide Fanfani, *De iure religiosorum*, 110.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 523.

(4) Laymann, 20; La Croix, 1524; S. Alphonsus, 575; Gury, II, 557; Lehmkuhl, 511.

(5) *Acta Apostolicae Sedis*, an. V, vol. V, p. 431.

(6) *Codex iuris canonici*, can. 519.

probato, peccata sua confiteri potuit; an vero etiam non approbato, disputabatur. S. Alphonso communior visa est et probabilior affirmantium sententia (1); attamen post responsum contrarium S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 3 iunii anni 1864 datum (2), et recitatum S. Congregationis de Religiosis decretum et *Codicis pontificii iuris* statutum (can. 519), quae de sacerdote approbato tantum loquuntur, negantium sententia tanquam certa habenda est (3).

CLXV.

Alipius sacerdos in ea sententia est, usum reservandi peccata vinculum esse improvide sacerdotibus iniectum, propterea sacerdotes ad confessiones audiendas approbatos a quovis peccato valide absolvere posse; Antonius eiusmodi usum acerrime carpit quasi noxium christianis, quos a Sacramento deterret; Paulus novitatis dumtaxat illum insimulat. Hinc Alipius, sibi cohaerens, poenitentes reservati criminis reos sine haesitatione absolvit; Antonius dimittit ut superioribus se sistant; Paulus monet ut opportuniore tempore ad se revertantur.

Quaeritur I°. Quid sit reservatio et quibus de causis inducta fuerit?

Q. II°. An sit in Ecclesia potestas reservandi peccata?

Q. III°. Ad quos haec potestas pertineat?

Q. IV°. Cuiusmodi esse debent peccata ut prudenter reserventur?

Q. V°. Quid agendum confessario qui poenitentem reservatione innodatum invenerit?

Q. VI°. Quid de trium sacerdotum doctrina et agendi ratione?

Quaestionum solutio.

654. — Resp. ad I Q. Reservationis nomine venit iurisdictionis in Sacramento Poenitentiae limitatio, ob quam potestas adimitur a certis peccatis absolvendi, quae peccata reservata dicuntur. Ex hac definitione palam fit, reservationem primario ac directe confessarium afficere, cuius potestatem certis limitibus perstringit; secundario autem et indirecte afficere et poenitentem, qui absolutionem a tali confessario consequi nequit (4). Triplicem ob causam reservatio inducta est, nempe ut atrociora crimina severiori poena coerceantur, ut graviora vulnera a peritioribus medicis curentur, ut a quibusdam peccatis efficacius Christi fideles retrahantur.

655. — Resp. ad II Q. Catholicam doctrinam Tridentina Synodus hisce verbis luculenter profert: *Magnopere ad christiani populi disci-*

(1) S. Alphonsus, 575.

(2) Apud Tanquerey, 599.

(3) Fanfani, *De iure religiosorum*, 102; Sebastiani, *Summarium*, 406.

(4) Reiffenstuel, tr. XIV, dist. IX, 1, 2; S. Alphonsus, VI, 581; Tanquerey, *De Poenitentia*, 520.

plinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia quae a Deo sunt ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen non in destructionem, liceat pro illis in subditos suos tradita super reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa quibus excommunicationis censura adnexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati, non tantum in externa politia sed etiam coram Deo vim habere. Subinde eos anathemate percellit qui hanc reservandi potestatem Episcopis negant (1).

656. — Resp. ad III Q. Illi omnes peccata sibi reservare possunt, qui ordinaria iurisdictione potiuntur: quibus enim integrum est iurisdictionem alteri committere, integrum esse debet commissae iurisdictionis limites definire, exceptis Vicario Generali et Capitulari nisi ex speciali mandato (2). Quo posito, reservandi potestatem habent:

I°. R. Pontifex in universa Ecclesia pro ordinaria ac suprema qua pollet iurisdictione in totum christianum orbem; reservato autem R. Pontifici peccato, adimitur omnibus sacerdotibus ab eo absolvendi facultas, ne exclusis quidem Episcopis, qui cum iurisdictionem proxime a R. Pontifice accipiant, ea mensura accipiunt quae a R. Pontifice definitur.

II°. Episcopi in sua dioecesi; reservato autem Episcopo peccato, adimitur sacerdotibus dioeceseos, ne quidem parochis exceptis, absolvendi facultas, quamvis enim parochi ordinariam in sua paroecia iurisdictionem obtineant, ab Episcopi tamen iurisdictione non eximuntur.

III°. Praelati regulares ceterique quasi episcopali iurisdictione praediti in suo quisque Ordine, monasterio et ditione. Ne tamen modus in reservandis peccatis excederetur, Clemens VIII Const. *Sanctissimus* undecim casus recensuit, praeter quos nequeunt Praelati regulares, sine Capituli generalis matura discussione et consensu pro toto Ordine, vel Capituli provinciali pro provincia, alios casus reservare.

Parochi, etsi ordinariam in sua paroecia iurisdictionem habent, iam nequeunt peccata reservare ex quo sacerdotes ab Episcopo approbati iurisdictionem ab eo accipiunt, quam parochus coarctare nequit (3).

Recolenda sapientissima monita omnibus singulisque locorum Ordinariis iussu Benedicti XV per Decretum S. Congregationis S. Officii die 13 iulii anni 1916 tradita, quae magna ex parte in *Codicem iuris*

(1) Sess. XIV, *De Poenitentia*, c. VII et can. XI.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 893.

(3) Reiffenstuel, n. 3, addit.; Laymann, l. V, tr. VI, c. XII; Sporer, p. III, c. VI, 728; S. Alphonsus, 578, 583; Tanquerey, 523, 524.

pontificii hisce canonibus inserta leguntur: *Casus servandi sint pauci omnino, tres scilicet, vel ad summum quatuor, ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis, ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium extirpandum et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam. — Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes abstineant quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata, et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit* (1).

657. Resp. ad IV Q. Cuiusvis peccati reservatio valida est, quippe quae absolvendi potestatem aufert; ut autem sit prudens atque ideo in aedificationem et non in destructionem cedat, peccatum reservandum debet esse mortale, externum, completum, certum, post pubertatem admissum, et ex gravioribus et atrocioribus tantum.

1°. *Mortale.* Sane venialium reservatio, praeterquam quod plures a Sacramento arceret, plerumque incassum fieret, cum venialium remissio sine Sacramento obtineri queat. Hoc ipsum dicendum de peccato quod, etsi ex obiecto sit grave, veniale fieri contingat ob ignorantiam vel materiae consensusve defectum: cum enim obligatio illud confitendi non adsit, eluderetur reservatio. Si tamen quod in se leve est ex adiunctis grave fieret (puta ratione scandali), reservari posset.

2°. *Externum.* Quamvis in foro conscientiae de internis Ecclesia iudicare valeat, reservatio peccati interni expediens non esset, quia anxietatibus aperiret viam, consuetudini adversaretur, reservationis fini non responderet. Huc facit illud: *Cogitationis poenam nemo patitur.* Idque obtinet etiamsi actus exterior levis in se ob malam agentis voluntatem lethalis evadat (puta si digito virginem Deo sacram tangas affectu libidinoso; aut leviter clericum percutias, graviter eum tundere volens), voluntas enim prava quae inficit actum intus latet in animo, propterea poenam fugit.

3°. *Completum*, nempe opere consummatum, nisi expresse etiam operis attentatio reservetur. Namque in odiosis versamur, ex regula autem iuris: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Hinc, reservatis homicidio, incestu, sodomia, reservationem non incurrit qui percussit, qui ad vitandam prolem onanismo usus est, qui imperfectae sodomiae operam dedit.

4°. *Certum*, ea scilicet certitudine quae prudens dubium seu iuris seu facti excludat. Nam si factum seu delictum incertum est, iniuste plectitur quasi certum, idque consonat regulae iuris: *In poenis benignior est interpretatio facienda.* Si autem incertum est ius, lex incerta non ligat, ex alia regula iuris: *Contra eum qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda.*

(1) *Codex iuris canonici*, can. 897 et 898. Vide et *Acta Apostolicae Sedis*, an. VIII, vol. VIII, pag. 313.

5°. *Post pubertatem admissum*, videlicet post quartumdecimum annum completum si mas peccavit, post duodecimum si femina; quippe immaturae aetati aequum est indulgere (1). Haec (ut monuimus) ad prudentem reservationis usum.

6°. *Ex gravioribus et atrocioribus*. Etenim, cum reservatio eo spectet ut per graviorem poenam graviorum criminum horrorem ingerat ab iisque efficaciter deterreat, inconsulto prorsus quae minus gravia sunt eiusmodi poena multarentur.

658. — Resp. ad V Q. Cum reservatio idcirco fuerit inducta ut, avocato ad superius tribunal iudicio, sui criminis atrocitatem reus sentiat, aeger salubriora remedia a peritiore medico percipiat, reservationis fini apprime congruit ut qui reservati criminis vinculo irretitus est ad illum remittatur a quo solvi potest. Hoc Tridentina Synodus disertissime tradit: *Extra articulum mortis sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant* (2). Si tamen poenitens id moleste ferret, aut sine notabili incommodo praestare nequiret, suadet caritas ut confessarius humaniter eum dimittat donec, obtenta facultate, ad se redeuntem absolvere valeat (3). Immo quandoque posset, confessarius illico directe eum absolvere, nempe in mortis articulo; quandoque vero indirecte saltem ob prementem necessitatem, ut inferius videbimus (n. 672).

659. — Resp. ad VI Q. Trium sacerdotum doctrina a veritate maxime abhorret. Sane Alipii sententiam Pius VI explosit, a quo pseudo-synodi pistoriensis propositio, *asserens reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus et sonum vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem*, confixa fuit tanquam *falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Tridentino Concilio contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva* (4). Falsa quoque et Tridentinae Synodo iniuriosa est Antonii sententia, non enim a Sacramentis deterrere dicenda est reservatio, quae iusta de causa ad superiorem iu-

(1) Suarez, disp. XXIX, sect. III; Lugo, disp. XX, sect. II; Reginaldus, *Praxis*, I, 125-128; Laymann, 3; Reiffenstuel, 4; Sporer, 730-733; La Croix, l. VI, p. II, 1604-1606; Billuart, disp. VI, a. VI, § I; Collet, c. IX, § IV; Benedictus XIV, *De Synodo*, l. V, c. V, 5; S. Alphonsus, 582-583; Gousset, II, 491; Tanquerey, 525-526. Censet Génicot (II, 344) impuberes a reservatione non eximi quia *Codex pontificii iuris* de iis non loquitur; verum (si quid videmus) ex *Codicis* silentio praepropere infertur impuberes reservationi obnoxios esse, etiamsi reservans eorum non meminerit. Ne nobis excidat, reservationem odiosam rem esse: *odia* autem *sunt restringenda*.

(2) Loc. cit.

(3) Laymann, 9-10; S. Alphonsus, 584; Voit, II, 846; Gousset, II, 495; Tanquerey, 537.

(4) Constit. *Auctorem fidei*, prop. XLIV.

dicem reum, ut eius bono consulat, remittit. Paulum qui reservationis usum novitatis insimulat, erroris arguunt historica documenta quae eiusmodi usum vel a prioribus saeculis obtinuisse demonstrant. Alipii agendi ratio pessima est, quippe sine potestate absolvens, Sacramentum irritum facit: Antonii vero per se commendanda, quia Ecclesiae menti consona, nisi aliud suadet caritas; commendanda etiam Pauli agendi ratio, quoties poenitentium bonum id postulare videtur, quod ex rerum ac personarum adiunctis aestimare oportet.

CLXVI.

Germanus peccatum admisit quod Episcopus, adnexa censura, sibi reservaverat: reservationis ignarus illud Eusebio sacerdoti confitetur, qui pariter reservationem ignorans Germanum absolvit. Re deinceps cognita, uterque angitur, incertus quid faciat.

Quaeritur I°. An ab incurrenda reservatione peccati cum censura excuset ignorantia?

Q. II°. An excuset ab incurrenda reservatione peccati sine censura?

Q. III°. An et quatenus absolutio sit valida quam confessarius tribuit reservationis ignarus?

Q. IV°. Quid Germano et Eusebio agendum, reservatione cognita?

Quaestionum solutio.

660. — Resp. ad 1 Q. Bifariam reservatio peccati cum censura fieri potest: nimirum vel propter adnexam censuram reservatur peccatum, vel peccato reservato censura superadditur.

Si primum contingat, inter doctores convenit, ignorantiam a reservatione incurrenda liberare. Cum enim tota reservationis ratio sit censura, quidquid a censura liberat, liberat a reservatione; at vero censura ab ignorante non incurritur, quippe quae contumaciam in peccante requirit; ergo nec reservatio. Hinc *casus papales,* quos vocant, nempe R. Pontifici reservati, quia principaliter ob censuram reservantur, scientiam in peccante requirunt (1). Duo excipiebantur censuram adnexam non ferentes; hodie vi *Codicis* novissimi *unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos* (2). Praeterea huius criminis reus excommunicationem speciali modo Apostolicae Sedi reservatam incurrit (3). Quapropter, si forte ob

(1) Suarez, disp. XXIX, sect. II; Laymann, l. V, tr. VI, c. XII, 2; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. IX, 5-7; Illsung, tr. II, disp. I, a. II, § III; La Croix, l. VI, p. II, 1614; S. Alphonsus, 580; Sebastiani, *Summarium,* 476.

(2) *Codex iuris canonici,* can. 894.

(3) *Codex iuris canonici,* can. 2363.

censurae ignorantiam ab ea eximatur, non eximitur a reservatione peccati.

Si alterum contingat, nempe reservato peccato censuram adiungi (quod in casibus episcopalibus, seu ab Episcopo reservatis, nonnunquam fieri solet), an ignorantia reservationis excuset, controvertitur. Plures negant, dicentes peccatum *per se* reservari, reservationi autem deinde censuram superaddi, qua efficacius a peccato patrando peccatores retrahantur; quapropter licet per ignorantiam fugias censurae vinculum, vinculum reservationis non fugis (1). Contradicunt alii, rati censuram et reservationem indissolubili nexu inter se contineri; ac propterea, quem ignorantia a censura eximit, et a reservatione eximere (2). Utraque sententia probabilis; at quia ex reservantis mente tota res pendet, ea in primis inspicienda est; et si de ea non constiterit, reservationis ignarus iure censeri potest eam fugere, nam *Contra eum qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.*

661. — Resp. ad II Q. Contemnenda non est illorum sententia, qui ignorantiam reservationis ab ea incurrenda excusare contendunt: nemo enim inficiabitur reservationem ad atrociora crimina punienda inductam fuisse, propterea poenae rationem habere; poenam autem ab ignorantibus non incurri, contumacia deficiente, tralatitium est (3). Communior tamen et longe probabilior sententia negat ignorantiam eximere a reservatione; nam reservatio directe et primario confessarium respicit, cuius iurisdictionem limitat; cum igitur confessarius in reservatis iurisdictione careat, neminem prorsus ab iis absolvere valet. Ad poenitentes quod attinet, reservatio medicinae magis quam poenae rationem habet, quippe quae ad peritiores medicos eos mittit curandos. Detur et poenae rationem in reservatione inesse, hac vero propter ignorantiam deficiente, reservationem ex hoc capite corruere; at quia ratio medicinae non deficit et propterea reservationis finis adaequate non cessat, ideo reservatio adhuc sustinetur (4). Hanc sententiam

(1) Laymann, l. 1, tr. V, p. II, c. VI, 10; La Croix, l. VI, p. II, 1614; Habert, *De Poenitentia*, c. VII, q. 11; Alasia, c. VIII, a. III, 5; S. Alphonsus, 582; 9, 11; Tanquerey, 528.

(2) Sporer, p. III, c. VI, 735 (cum Diana aliisque a S. Alphonso citatis); Ballerini ad Gury, 571, et *Opus theol. mor.*, tr. *De Poenitentia*, 724-732 et Append. *De casuum reservatione*; D'Annibale, I, 350.

(3) Hanc quorumdam veterum sententiam e cineribus excitavit Ballerinius, ad Gury, II, 571 et *Opus theol. mor.*, l. c., cui e recentioribus nonnulli adhaesere.

(4) Reiffenstuel, 6, addit. IV; Sporer, et Illsung, ll. cc.; La Croix, 1608; Habert, l. c.; Alasia, l. c.; Voit, II, 838; S. Alphonsus, 581; Ferraris, *Biblioteca*, v. *Reservatio casuum*, 3-39; Lehmkuhl, II, 525; *Vindiciae Alphonsianae*, p. V, q. XII; D'Annibale, I, 343; Tanquerey, 529; Costantini, 780; Bucceroni, *De Poenit.*, XI, 706; De Varceno, *De Poenit.*, c. IV, a. IV; Ferreres, *Epitome*, 807; Génicot, II, 345.

omnino tenendam putamus; quia tamen prior non omni probabilitate destituitur, non erit post factum adigendus poenitens ad confessionem iterandam. Ceterum, ad anxietates omnes e medio tollendas subditorumque bonum efficacius promovendum, Episcopo satagendum erit, ut reservata peccata quae sint, subditi non ignorent. Quod consentaneum est Decreto a Congregatione S. Officii die 13 iulii anni 1916 iussu Benedicti XV edito, in quo haec verba leguntur: *Curent omnino (Episcopi) ut ad certam fidelium notitiam, quo meliori eis videbitur modo, eaedem (reservationes) deducantur: nam quaenam earum vis si lateant?* (1).

662. — Resp. ad III Q. Duplex est nobis hypothesis fingenda: nimirum 1° vel agitur de peccato *simpliciter*, idest *per se* reservato, non propter censuram neque cum censura adnexa; 2° vel de peccato propter censuram reservato.

In I[a] hypothesi cum reservatio confessario facultatem adimat absolvendi, confessarius qui reservationis ignarus poenitentem absolvit reservata peccata tantum confitentem, nihil agit. *Reservata peccata tantum confitentem*, inquimus: nam si aliam Sacramento idoneam materiam sufficiat, scilicet peccata non reservata, absolutio valebit, quippe directe in non reservata, indirecte vero in reservata cadens. Errore autem cognito, debet poenitens directe absolutionem a facultatem habente obtinere et confessarius curare ut eam obtineat, nisi rerum adiuncta suadeant ut poenitens indirecte absolutus in bona fide relinquatur (2).

In II[a] hypothesi ex novissimis *Codicis* statutis absolutio valida censenda est, dumne censura sit ab homine vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. En *Codicis* verba: *Si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura et peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne censura sit ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata* (3). Hac in hypothesi, cum una reservationis ratio sit censura, ea sublata, reservatio corruat necesse est.

663. — Resp. ad IV Q. Si Episcopus propter censuram peccatum sibi reservavit, absolutio valuit quam Germano Eusebius impertivit: nam vi pontificii statuti, censurae vinculo resoluto, desinit et peccati reservatio. Quod si Episcopus peccatum per se reservaverit, censura deinceps superaddita, adhuc valere absolutionem putamus, etenim cum probabilis sit sententia quae docet, poenitentem reservationis ignarum eam effugere, Eusebius absolvens iurisdictione probabili usus est, in

(1) Vide *Acta Apostolicae Sedis*, An. VIII, vol. VIII, pag. 314. Quod monitum et in *Codice iuris canonici*, perhibetur (can. 899, § 1).

(2) S. Alphonsus, 596 et 265; Gury, II, 578; Tanquerey, 538. Vide et Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxix, mense maii; Costantini, 784, 1°.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 2247, § 3.

quo eventu (si forte sententia a veritate aberrat) iurisdictionem Ecclesia supplet (Vide n. 646). Demum, si certo constet Episcopum noluisse poenitentem reservationis ignarum ab ea eximere, valuit absolutio si Germanus simul cum peccato reservato alia non reservata confessus est (quippe indirecte in reservatum, directe in caetera cadens); si vero reservatum tantum est confessus, absolutio irrita cessit; in quo postremo eventu directam reservati absolutionem subinde quaerat oportet, deque ea quaerenda ab Eusebio monendus erit.

CLXVII.

Minutius animi causa ad pagum in proxima dioecesi situm identidem se conferre, ibique Aemilio bonae frugis sacerdoti exomologesim sacram facere solet, tum ut verecundiae consulat, tum ut absolutionem facilius consequatur. At Aemilius ter illum absolvere detrectat: prima vice quia peccatum admisit in confessarii dioecesi reservatum, altera vice quia reservatum in dioecesi poenitentis, tertia quia in utraque; cumque de negata sibi absolutione Minutius conquereretur, Aemilius iurisdictionem sibi deesse respondit, quia reservatio, quatenus poena est, poenitentem afficit, quatenus iurisdictionis coarctatio, confessarium.

Celsus religiosum Ordinem ingressus bis crimen patravit quod loci Episcopus sibi reservaverat: prima vice sacerdoti sui Ordinis, altera sacerdoti saeculari illud confessus est et ab utroque absolutus recessit.

Quaeritur I°. An peregrinus absolvi queat a peccato quod in dioecesi confessarii reservatum est?

Q. II°. An absolvi queat si in sua dioecesi tantum sit reservatum?

Q. III°. An possit si in utraque?

Q. IV°. An regulares Episcoporum reservationi sint obnoxii?

Q. V°. Quid in duplici proposita facti specie?

Quaestionum solutio.

664. — Resp. ad I Q. Iuverit haec duo quae alias diximus (n. 633, 654) in memoriam revocare: 1° peregrinum ratione universalis consuetudinis subditum fieri Episcopi loci ubi peregrinatur, 2° reservationem primario ac directe confessarium afficere, cuius iurisdictionem limitibus coarctat. Ex his prono fluit alveo responsum propositae quaestioni: etenim, si peregrinus vi consuetudinis ubique receptae perinde est habendus ac subditus loci, iam fit manifestum absolvi non posse a peccato quod in confessarii dioecesi reservatum est, cum confessarius potestate careat in reservatis (1). Equidem huic communi

(1) Suarez, disp. XXX, sect. I; Laymann, l. V, tr. VI, c. X, 10; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. IX, 10, addit. II; Voit, II, 840; Alasia, c. VIII, a. III, § IV, 4; S. Alphonsus, VI, 581-588; Gousset, II, 503; Gury, II, 573.

sententiae pauculi hodie refragantur, qui ab Episcopo peregrini iurisdictionem extraneo confessario delegari contendunt, qua praeditus confessarius valide absolvit a peccato quod peregrini Episcopus non reservaverat (1). Verum (praeterquam quod non est necesse ad delegationem Episcopi confugere ut peregrinorum bono consulatur), cum peregrini subditi loci constituantur vi universalis consuetudinis ab Ecclesia approbatae (cui neque Episcopis derogare fas est), eiusmodi Episcoporum delegatio, si quid videmus, gratis fingitur, quippe nullo argumento demonstratur Episcopos sacerdotibus alienae dioeceseos eam reipsa tribuere. Quapropter a communi sententia non esse recedendum putamus, quae post editum *Iuris pontificii Codicem* certa est (2).

665. - Resp. ad II Q. A sacerdote regulari absolvi posse, Clemens X diserte declaravit Const. *Superna* hisce verbis: *Posse regularem confessarium, in dioecesi in qua approbatus est, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse.* Posse autem et a sacerdote saeculari absolvi, communis sententia est, iis cohaerens quae supra diximus, nimirum peregrinum subditum fieri Episcopi loci; ex quo consequitur, absolvi posse a sacerdotibus loci quorum iurisdictio per reservationem non est coarctata. Excipiendus erat ex citata Const. *Superna* peregrinus qui *in fraudem reservationis* dioecesim suam reliquisset: quae fraus tunc adesse censebatur, quum unica vel praecipua migrandi causa fuerat propositum effugiendi sui Pastoris iudicium (3). Haec tamen exceptio per Decretum S. Officii quod supra (n. 633) retulimus hodie sublata est.

666. – Resp. ad III Q. Si in utraque dioecesi peccatum reservatum est, ex communi sententia peregrinus ob rationem supra dictam a simplici confessario absolvi nequit: quippe cum fiat incola loci, ab eo nequit absolvi qui eo loci facultate in reservatis caret (4).

667. — Resp. ad IV Q. Regulares ab Episcopi iurisdictione exempti, si quid peccaverint quod sibi Episcopus reservavit, reservationem non incidunt, propterea a confessoribus sui Ordinis absolvi possunt. Idque

(1) Videndi Ballerini-Palmieri, tr. *De Poenitentia,* 722-723; Lehmkuhl, II, 522; Tanquerey, 535; Zaninetti, 2277; Génicot, II, 329.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 874. Disertius adhuc legislatoris mentem declaravit Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos. Vide *Acta S. Sedis*, an. mcmxx, n. 13, pag. 575.

(3) Suarez, Laymann, Alasia, Gousset, Gury, ll. cc.; La Croix, l. VI, p. II, 1631; S. Alphonsus, 589.

(4) Navarrus, c. XXVII, 261; Suarez, l. c.; Alasia. 4; S. Alphonsus, 587; Lehmkuhl, II, 522.

nedum de regularibus professis sed et de eorum novitiis ac familiaribus dicendum. Ita ex Constit. *Superna* atque ex iure pontificio (1). At si confiteantur sacerdoti saeculari qui iurisdictionem ab Episcopo limitatam habet, non videntur absolvi posse (2). Huic responsioni consentanea sunt quae in decreto S. Congregationis a nobis relato (n. 652) leguntur, nimirum confessarios omnes ab *Ordinariis locorum approbatos* religiosorum sodalium confessiones excipere valere, et absolutionem impertire *a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis*, quin de reservatis ab Episcopo ulla fiat mentio.

668. — Resp. ad V Q. Prima et tertia vice recte se gessit Aemilius, quippe qui sine Episcopi venia iurisdictione carebat in reservatis. Male vero secunda vice se gessit absolutionem Minutio detrectans, qui cum animi causa extra dioecesim suam se conferre ibique, quasi occasione arrepta, exomologesim sacram peragere soleret, in fraudem reservationis non egit; immo etsi egisset, sublata hodie clementina exceptione, Minutius fuisset absolutione donandus. Infirma autem ratione ad absolutionem negandam usus est Aemilius, etsi enim reservatio, qua poenitenti molesta est, quamdam poenae rationem habet, primario tamen et directe confessarium afficit cuius iurisdictionem coarctat; potuisset ergo, integra sibi iurisdictione manente, Minutium absolvere.

Celsus, quamvis adhuc novitius, a sacerdote sui Ordinis validam absolutionem accepit, minime vero a sacerdote saeculari: nam ille integra iurisdictione pollebat, hic contra iurisdictione per Episcopi sui reservationem diminuta.

CLXVIII.

Liberius, quoties de reservatione dubitat, poenitentes absolvit, sive dubitet an poenitens ex deliberata voluntate peccaverit, sive dubitet an peccatum ex reservantis mente sub reservatione cadat, sive an in reservatorum tabula sit descriptum, sive quum incertus est an obtenta ab Episcopo ad tempus facultas a reservatis absolvendi iam desierit.

Quaeritur. An in quovis de reservationis dubio fas sit absolvere, quidque de Liberio sentiendum?

Quaestionis solutio.

669. — Resp. ad Q. Multifariam de reservatione dubitari contingit: per singulas dubitationis species discurramus. 1° Si dubites an poenitens ex deliberata voluntate peccaverit, de peccati gravitate dubitas; cum autem non reserventur peccata nisi gravia et certa, adest

(1) C. *A nobis*, 21, *De sent. excom.*; c. *Ne aliqui*, *De priv. in* 6°.

(2) S. Alphonsus, 575; Gury, *Casus*, II, 583; Tanquerey, 532, nota; Génicot, 337.

dubium facti in quo reservatio deficit. 2° Si dubites an ex reservantis mente peccatum in reservatione contineatur, in dubio iuris versaris, abestque reservatio: nam cum ex legis vitio dubitatio surgat, incerta lex est eiusque obligatio nutat (1). 3° Si dubites an in reservatorum tabula peccatum certe admissum sit descriptum, vertitur dubium circa factum quod iurisdictionis titulum constituit; et si dubium huiusmodi negativum sit, dubiam iurisdictionem facit, propterea eo durante, nefas est ob periculum frustrandi Sacramentum absolutionem dare, nisi urgente gravi necessitate et sub conditione, monitoque poenitente de dubia absolutionis vi. 4° Idipsum dic si dubites an facultatis tibi ab Episcopo tributae tempus transierit, namque de iurisdictione dubitas; hinc absolvere nequis nisi urgente necessitate, ut in dubio praecedenti (Recole dicta nn. 644, 645, 648). Post haec nihil erit negotii quid de Liberio sentiendum sit iudicare (2). Ceterum iuverit meminisse, confessarium sine debita facultate a reservatis absolvere praesumentem, ipso facto suspensum a confessionibus audiendis manere (3).

CLXIX.

Fulvius parochus, festo die Sacrum facturus, admissi criminis reminiscitur quod Episcopi reservationi subest: deficiente idoneo confessario, sui criminis dolet et Sacrificium offert, ne murmura vel scandala in populo cieantur. Alias, in idem crimen prolapsus atque in aliud Episcopo non reservatum, levem praeteritae vitae culpam sacerdoti confitetur ut ab utroque crimine indirecte solvatur. Alias demum, cum iterum in reservatum incidisset quin alius criminis conscius esset, perfectam contritionem elicere non valens, satius ducit a Sacro abstinere.

Quaeritur I°. An, sacerdote idoneo deficiente, obligatio sit reservata confitendi sacerdoti potestatem in reservata non habenti?

Q. II°. An in omnibus Fulvius recte se gesserit?

Quaestionum solutio.

670. — Resp. ad I Q. Per se non adest obligatio peccata reservata ei confitendi cui iurisdictio per reservationem adempta fuit. Etenim ideo peccatorum confessio facienda est, ut absolutio obtineatur; porro haec nisi ab eo obtineri nequit qui absolvendi facultatem habet: quapropter si quis unice reservatum peccatum sacerdoti non idoneo confiteretur, irrita erit eius absolutio. Diximus *per se*, nam quandoque per accidens poterit haec obligatio adesse. Sane ex communiore sen-

(1) Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Reservatio casuum*, 40; Billuart, *De Sacr. Poenitentiae*, diss. VI, a. VI, § 1; Gousset, II, 491-492; Génicot, II, 344.

(2) Videsis Gury, *Casus*, II, 587-589; Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxv, mense februarii.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 2366.

tentia (quam propediem n. 672 efferemus) simplex confessarius non omni iurisdictione caret in reservati criminis reum, quamvis enim adimatur ei potestas in reservata, non adimitur in cetera: quapropter a non reservatis directe absolvere potest, a reservatis vero indirecte. Quibus positis, si iusta urgensque intersit causa (puta Sacrum faciendi, Eucharistiam aliudve Sacramentum sumendi vel ministrandi), nisi alia divinae gratiae recuperandae suppetat ratio, debet reservati criminis reus, idoneo sacerdote deficiente, simplici confessario peccatum aliquod confiteri, a quo absolvatur directe, sicque Dei gratiam consequatur. Deinceps tamen, quum poterit, directam reservati criminis absolutionem a sacerdote idoneo obtineat oportet (1).

671. — Resp. ad II Q. In priore specie si nullo, praeter reservatum, tenebatur crimine, potuit Fulvius peccatum aliquod praeteritae vitae, etiam leve et antea per Sacramentum remissum, simplici confessario aperire ut indirecte reservati absolutionem consequeretur; quia tamen peccata iam directe remissa non sunt necessaria Sacramenti materia, licuit ei per contritionem perfectam sibi Dei gratiam comparare quin ad confessionem recurreret. In altera specie male se gessit: cum enim alio, praeter reservatum, gravaretur crimine, debuisset hoc simplici confessario aperire ut ab eo directe absolveretur, tum quia peccatum huiusmodi ad necessariam Sacramenti materiam pertinet, tum quia integritas formalis confessionis omnino servanda est quum materialis servari nequit. In tertia demum specie potuit a Sacro celebrando abstinere; immo debuit, perfectam contritionem elicere non valens; si tamen celebrandi aderat necessitas, debuisset per alicuius peccati, levis etiam vel iam remissi, satagere ut per confessionem Dei gratiam recuperaret (2).

CLXX.

Abundius, facultate carens absolvendi a peccatis quae sibi Episcopus reservaverat, Lucillam, Cornelium et Arnobium a reservatis absolvit: illam ne per hebdomadam in mortali peccato magna cum animi anxietate relinquat; istum ne prolixam implexamque suorum criminum narrationem apud alium sacerdotem cogat iterare; hunc ne, paschali tempore iam desinente, a sacra mensa prohibeat vel ad Episcopi sedem satis longe distantem mittat.

Quaeritur I°. An citra mortis periculum quibusque de causis simplex confessarius a reservatis ab Episcopo absolvere possit?

Q. II°. Quid de Abundio in singulis factis?

(1) S. Alphonsus, VI, 265, 585, 596; Gousset, II, 497; Gury, II, 577; Tanquerey, 534 ceterique communiter.

(2) S. Alphonsus, l. c.; Lehmkuhl, II, 538; Gury, *Casus*, II, 390-391.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

672. — RESP. AD I Q. Cum in articulo vel periculo mortis, Tridentina Synodo docente, *nulla sit reservatio*, quilibet sacerdos a quibusvis peccatis directe absolvere potest. Citra mortis periculum generatim non licet simplici sacerdoti absolutionem impertire, tum quia frustraretur reservationis finis (qui fuit graviorum criminum iudicium ad superius tribunal avocare), tum quia confessionis integritas, quoad eius fieri potest, curanda est. An vero eiusmodi absolutio sit valida, communis et probabilior sententia affirmat, modo sufficientem materiam poenitens exhibeat in quam reservatio non cadat. Ratio est, quia per reservationem non penitus adimitur sacerdoti iurisdictio sed ex parte tantum: nimirum adimitur in reservata, in cetera relinquitur. Quamobrem simplex confessarius directe a non reservatis absolvere valet, a reservatis vero indirecte, quatenus unum peccatum sine altero remitti nequit. Ut autem liceat indirecte a reservatis absolvere, in confesso omnium est iustam urgentemque causam requiri, monendumque esse poenitentem ut idoneo sacerdoti deinceps se sistat directam absolutionem consecuturus (1). Non equidem ignoramus, paucos cum Marchantio et Diana opinatos fuisse in necessitate simplicem confessarium directe absolvere posse, Ecclesia iurisdictionem supplente (quam sententiam Sporer sibi non displicere affirmat, etsi *singularem* appellat, oppositam vero *communissimam*) (2). Nos tamen a communissima recedendum non putamus, tum quia Tridentinum Concilium expressis verbis nos docet, *extra mortis articulum sacerdotes nihil posse in casibus reservatis* (3), tum quia poenitentium bono per indirectam absolutionem satis consulitur quin sit necesse ut Ecclesia iurisdictionem suppleat.

Causae autem ob quas licet indirecte a reservatis absolvere sunt necessitas in qua versatur poenitens absolutionem statim obtinendi, damnum quod secus incurreret, vel magnum quo privaretur bonum diu in peccato manens. Hinc fas est indirecte poenitentem absolvere qui sine infamiae nota dicteriis vel scandalo a Sacro celebrando vel Eucharistia sumenda abstinere nequiret, praesertim instante annuae Communionis praecepto, item qui diu in mortali peccato deberet consistere (4). Immo quandoque (ut mox dicemus) directe etiam absolvere licet, quia reservatio omni vi caret. Ceterum animadvertimus, de ab-

(1) CANUS, *Relect. de Poenit.*, concl. 3; LAYMANN, l. V, tr. VI, c. XII, 10; REIFFENSTUEL, tr. XIV, dist. IX, 20; BONACINA, disp. V, q. VII, p. V, § III, 5, 6; FERRARIS, *Bibliotheca*, v. *Iurisdictio*, 35; VOIT, II, 846; S. ALPHONSUS, VI, 585, 596; LEHMKUHL, II, 535; GURY, II, 575; TANQUEREY, 534, 538; SEBASTIANI, *Summarium*, 477; GÉNICOT, II, 348.

(2) SPORER, p. III, c. VI, 754-756.

(3) Sess. XIV, *De Poenitentia*, c. VII.

(4) S. ALPHONSUS, 585 cum ceteris citatis doctoribus.

solutione a reservatis Episcopo dumtaxat haec esse intelligenda, nam si de reservatis R. Pontifici ob annexam censuram institueretur quaestio, aliter ea nobis esset solvenda.

Demum quaedam sunt rerum adiuncta in quibus ex *pontificii iuris Codice* reservationi vis adimitur. *Ipso iure* (en ipsa *Codicis* verba) *a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum parochi, aliive qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum habere contingat.* Et rursus: *Quaevis reservatio omni vi caret: 1°. Cum confessiones peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa: 2°. Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; 3°. Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit* (1). Cum negata absolvendi facultas ipso iure hoc canone impertiatur, vis reservationi adimi videtur: sed contra manet, saltem quia poenitens ad simplicem confessarium redire cogitur ac deinceps (si forte recidat) confessarium adire suadetur necessariis facultalibus instructum (2).

673. — Resp. ad II Q. Ex rerum adiunctis de Abundii agendi ratione iudicandum. Nempe, nisi facilis ad Episcopum vel idoneum confessarium Lucillae patuisset aditus, licuit Abundio eam absolvere, quippe grave censetur incommodum per hebdomadam in mortali peccato remanere. Licuit ei et Cornelium absolvere, grave enim incommodum est prolixam implexamque confessionem apud alium sacerdotem iterare; attamen, si nulla urgebat absolvendi necessitas, potuisset Abundius absolutionem differre donec ab Episcopo facultatem obtinuisset a reservatis absolvendi. Idem dic de absolutione Arnobio impertita, praesertim quia omissio S. Communionis paschali tempore vix contingere potest sine aliqua infamiae nota, dicteriis et scandalo.

CLXXI.

Tertullus antequam sacerdotio initiaretur turpes cum Pomponio sermones miscuit: sacerdos factus illum non veretur absolvere, ratus Ecclesiae leges complicis absolutionem prohibentes stricte esse interpretandas, odia enim sunt restringenda; propterea nomine *peccati turpis contra sextum Decalogi praeceptum* turpiloquium non venire sed turpe factum et a personis diversi sexus admissum, quandoquidem sexto praecepto nisi adulterium non prohibetur. Absolvit et Verecundam,

(1) *Codex iuris canonici*, can. 899, § 3 et can. 900.
(2) Vermeersch, *Summa*, 362 et Génicot, II, 348.

quam frustra ad libidinosos actus incitaverat, tametsi ex confessione comperiat eam interius consensisse: quae enim exterius consentire renuit, complex dici nequit. Absolvit et Martinam quacum peccavit ignotus: ecquis enim suam debet turpitudinem prodere? Caeciliae quoque in peccato turpi sibi complicis confessionem excipit ut eam soletur, eam tamen non absolvit.

Quaeritur I°. Quid iura statuunt de confessione et absolutione complicis in peccato turpi?

Q. II°. Quid nomine peccati turpis et complicis venit?

Q. III°. An quandoque complicis absolutio valeat et liceat?

Q. IV°. Quid de Tertullo?

Quaestionum solutio.

674. — Resp. ad I Q. Quid hac de re iura decernant edisserunt nobis haec Benedicti XIV scita, quae in Const. *Sacramentum* leguntur: *Omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus,.... interdicimus et prohibemus ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tanquam impertita a sacerdote qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus. Et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, maioris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi facultatem nobis solis nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.* Haec Pius IX Const. *Apostolicae Sedis* confirmavit, excommunicatione latae sententiae speciali modo R. Pontifici reservata animadvertens in *absolventes complicem in peccato turpi, etiam in articulo mortis, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem.* In novo *Juris pontificii Codice* excommunicatio *specialissimo modo* S. Sedi reservatur hoc canone: § 1. *Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in articulo mortis, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.* § 2. *Eamdem excommunicatione non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia*

ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est (1). Recole dicta n. 478, nota. Plerique theologi benedictinum decretum a communi peccatorum reservatione maxime discriminari atque instar legis irritantis habendum esse sentiunt, qua confessario iurisdictio omnis in complicem adimitur, adeo ut, excepto mortis articulo, nedum a peccato turpi sed neque a ceteris directe complicem absolvere non valeat, verba enim *nulla atque irrita omnino sit* etc. id aperte significare videntur (2). Sunt tamen non pauci qui valde probabiliter rentur iurisdictionem adimi dumtaxat ad absolvendum directe a peccato turpi, minime vero a ceteris, nam Benedictus XIV auctoritatem et iurisdictionem auferri decernit ad absolvendum ab huiusmodi culpa : hinc quandoque evenire posse contendunt, ut indirecte quidem sed valide et licite complex absolvatur (3). Demum animadverte, ex *Codice pontificii iuris* sacerdotem qui in mortis periculo *extra necessitatis casum* complicem absolvit, *illicite* quidem agere, non tamen invalide (4).

675. — Resp. ad II Q. Peccati turpis nomine venit quodvis luxuriae peccatum grave, exterius expressum, mutuum et certum. 1°. *Quodvis luxuriae peccatum,* sive tactus, sive aspectus, sive colloquia; lex enim non distinguit et ratio in qua lex nititur verba factaque turpia iuxta respicit. De hoc iam ambigi nequit post S. Officii responsum die 28 maii anni 1873 datum. 2°. *Grave,* nam quae levia sunt, sive ex se ipsis sive ex advertentiae consensusve defectu, aequum non est gravi poena plectere. 3°. *Exterius expressum:* nam quae intus in animo latent exteriori eaque gravi poena coercere alienum est ab Ecclesiae moribus et instituto: attamen qui exterius nulla prorsus ratione obsistit,

(1) *Codex iuris canonici,* can. 2367.

(2) S. Alphonsus, VI, 555; Scavini, III, 368; Gury, *Casus,* II, 612; Del Vecchio, II, 722; Costantini, 785.

(3) Alasia, c. VIII, a. V, append. 6; Pavone, *Spicilegio,* § 156; D'Annibale, *In const.* « *Apostolicae Sedis* », 87; Tanquerey, 670; Génicot, II, 352. Huic sententiae pondus addere videtur S. Poenitentiariae auctoritas, quae interrogata an censuras incurrat absolvens complicem qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit, die 16 maii anni 1877 respondit: *Privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi et annexam excommunicationem, quatenus confessarius illum absolverit,* **esse in ordine ad peccatum turpe** *in quo idem confessarius complex fuit.* In hanc quoque sententiam ii descendant oportet qui absolutionem valere docent, sive confessarius non animadvertens complicem absolvat, sive complex ex oblivione turpe crimen reticeat (Scavini, 485; Del Vecchio, 772; Rebaudengo, *De Poenit.,* 127; Lehmkuhl, II, 1203, nota 2; Sebastiani, *Summarium,* 483; Cerato, *Censurae vigentes,* n. 105; Ferreres, *Epitome,* 811): qui enim poterit absolutio valere adempta prorsus facultate absolvendi a quovis peccato? Ceterum, si poenitens, in necessitate Communionis recipiendae versetur, satius erit tutiusque curare ut perfectae contritionis actum eliciat. Vermeersch, *Summa,* 673.

(4) *Codex iuris canonici,* can. 884.

iam censetur consensum praestare, ideoque complex esse. 4°. *Mutuum*, nempe ultro citroque commissum et utrique committenti notum, secus ea deesset quam complicitatem appellant. 5°. *Certum*: quia si crimen dubium est dubio facti, *in poenis benignior est interpretatio facienda*; si dubio iuris, incerta lex est ideoque obligandi vi destituta. Ex his palam fit, quis complex sit in peccato turpi: nimirum quicumque socius est criminis (sive mas sive femina, sive puber sive impuber, sive clericus sive laicus) et consensum socio peccati exterius manifestat, is complex habendus est; quod si consensus exterius non appareat, complicitas abest (1).

676. — Resp. ad III Q. Ex Constitutione *Sacramentum* et explicatius ex Const. *Apostolici numeris* Benedicti XIV, item ex Const. *Apostolicae Sedis* Pii IX in mortis articulo (idem dic de proximo et probabili mortis periculo) valide et licite sacerdos socio sui criminis absolutionem impertiri potest, modo desit alius sacerdos etiam ad confessiones non approbatus qui confessionem excipere valeat; qui sacerdos deesse censetur si accersiri aut accedere nequeat *sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo*. Monet tamen Benedictus XIV, gravis inobedientiae reatum et constitutas a se poenas non effugere sacerdotem illum qui infamiae vel scandali periculum sibi confingit, vel illud antevertere et removere de industria neglexit; quamvis pro formidando mortis articulo non auferatur ei, licet indigno, necessaria iurisdictio, *ne hac occasione aliquis pereat*. Probabile est valide ac licite absolvi complicem cui in reliquo vitae curriculo alius sacerdos nunquam adfuturus censetur: is enim perinde se habet ac si in mortis periculo constitutus esset (2). Valide etiam et licite absolvitur, si adsit sacerdos publice interdictus, excommunicatus vel suspensus, quippe sine manifesto infamiae vel scandali periculo hic vocari non posset (3). Item si moribundus alium confessarium ita abhorreat, quia forte inimicum vel consanguineum, ut in periculo sacrilege confitendi versetur, namque hic quoque ratio urget *ne quis pereat* (4). Demum (quod evidens est) si alius sacerdos confessionem excipere detrectet.

677. — Resp. ad IV Q. Errat toto coelo Tertullus affirmans turpiloquia peccatis turpibus accensenda non esse, nam praeterquam quod obviae verborum significationi assertum hoc adversatur, hodie (quidquid olim quidam censerint) per declarationem S. Officii superius me-

(1) S. Alphonsus, 554; Scavini, 368; Gury, II, 588; Tanquerey, 665, 666; DelVecchio, 772; D'Annibale, III, 324; Lehmkuhl, 1201-1202; Tanquerey et Cimetier, *De censuris*, 95; Pichi, *Censurae sententiae latae*, n. 40; Génicot, l. c.

(2) D'Annibale, 324, nota 38 cum Ballerinio ad Gury, II, 587; Sebastiani, 483.

(3) Gury, *Casus*, II, 627; Lehmkuhl, 1204; Tanquerey, 672; Génicot, 354.

(4) Lehmkuhl, l. c.; Gury, 586; D'Annibale, *In const. « Apostolicae Sedis »*, 86; Sebastiani, l. c.

moratam omne dubium sublatum est. Nec minus enormiter errat quum contendit, contra sextum Decalogi praeceptum nisi per adulterium non peccari, quandoquidem neque aniculas latet quidquid in castitatem offendit eo praecepto prohiberi. Neque illud interest utrum ante vel post sacerdotium susceptum turpiter quis peccaverit, tum quia lex non distinguit, tum quia post S. Poenitentiariae decretum, die 22 ianuarii anni 1879 editum, de hac re dubitare non licet (1). Quapropter, nisi Pomponius ab alio confessario ante fuerat absolutus, non potuit Tertullus illum directe absolvere a peccato turpi, quippe qui omni auctoritate et iurisdictione ad absolvendum ab huiusmodi peccato carebat; propterea debuisset illud ad alium sacerdotem remittere a quo directam absolutionem consequeretur. Diximus non potuisse Tertullum complicem suum *directe absolvere a peccato turpi*, quia cum probabile sit per benedictinam legem non adimi iurisdictionem nisi quoad peccatum turpe, si forte Pomponius bona fide ac rite paratus ad Sacramentum accedens cum turpi peccato alia confessus est, potuit gravi exstante causa valide et directe ab hisce absolvi, indirecte autem ab illo, saltem ob probabilis iurisdictionis usum, quem ob gravem necessitatis vel utilitatis causam licere vidimus (n. 647). Attamen, excepta huiusmodi gravi necessitatis vel utilitatis causa, vix unquam hoc licere putamus ob periculum utrique complici imminens et reverentiam Sacramento debitam.

Verecundam valide Tertullus absolvit: nam etsi utrinque peccatum fuit, deficiente exteriori consensu, complicitas defuit.

De Martinae absolutione alii aliter sentiunt. Qui benedictinam legem irritantem dicunt, qua nempe omnis adimatur sacerdoti complici iurisdictio, invalidam absolutionem pronunciant, propterea contendunt etiam cum sui infamia debere sacerdotem sine absolutione complicem dimittere (2). Verum ratio infamiae et scandali vitandi, ob quam a lege benedictina et poena eximitur sacerdos in mortis articulo, hic quoque urget: vix enim concipi potest quomodo poenitentem rite paratum confessarius queat non absolutum dimittere quin et se ipsum infamet, et gravis criminis suspicionem ingerat, et scandalum poenitenti praebeat. Quapropter probabile nobis est, talibus in adiunctis potuisse indirecte saltem Martinam absolvi (3).

Caeciliam audiens nec absolvens nullam Tertullus poenam incurrit, namque in *absolventes* poena lata est; vix tamen a gravi culpa excusandus, tum quia, deficiente absolvendi facultate, causa deest confes-

(1) Lehmkuhl, 1202 et *Casus*, II, 1034; Pichi, l. c.; Ferreres, *Epitome*, 811. Contradicunt Ballerini-Palmieri et Génicot, 352, sed eorum auctoritas, quantacumque sit (ita Tanquerey et Cimetier, l. c.) vim recitati Decreti elidere nequit.

(2) Ita sentit Gury, *Casus*, II, 616-618.

(3) Zaninetti (2289) cum Formisano, Berardi, ac Ballerinio, Génicot, 353.

sionem excipiendi, tum quia nequeunt commoveri sordes quin uterque criminis socius periculum incidat se iterum spurcificandi.

CLXXII.

Attilia, postquam cum Eligio parocho suo turpiter peccasset, in gravem incidit morbum. Probe sciens a sui criminis socio absolvi non posse, vaferrima mulier simulans confessionem suam alii sacerdoti fecisse, parochum rogat ut sacrum sibi Viaticum deferat. Accurrit parochus; at femina, antequam Christi corpus accipiat, turbam secedere iubet, perinde quasi secretum aliquod parocho aperire vellet: remota autem turba, absolutionem petit. Parochus doli ignarus haeret primum, dein Attiliam tanquam in mortis articulo constitutam absolvit.

Quaeritur I°. Rectene parochus egerit?

Q. II°. Quid si parochus fraudis gnarus fuisset?

Quaestionum solutio.

678. — Resp. ad I Q. Sunt qui affirmate pronunciant, absolutionem tali poenitenti tributam, quippe imparato, irritam prorsus esse, nam ex iuris regula: *Nemini sua fraus et dolus patrocinari debent* (1). Id oppido verum est quum de poenitente imparato ac citra mortis periculum posito agitur; attamen si poenitens cum de turpi peccato tum de sacrilego dolo sincere doleat et poenitudinis signa sufficientia promat, absolvi potest et debet. Cum enim in tam acri momento alius sacerdos sine famae iactura et scandalo advocari nequeat, iam restituitur sacerdoti complici ablata iurisdictio, *ne hac occasione aliquis pereat*. Itaque si Eligius Attiliam suorum peccatorum vere contritam perspexerit, recte cum ea se gessit (2).

679. — Resp. ad II Q. Quamvis gravissimo scelere se inquinaverit parochus, sacrilegae fraudis conscius et particeps, dicendus tamen Attiliam vere poenitentem valide ob mortis periculum absolvisse, at poenas non effugisse in absolventes constitutas (vide n. 676). Immo, si antequam absolveret parochus tantum facinus sincero animo ac perfecta contritione detestatus fuisset, sunt qui a censura illum eximunt: nam qui caritatis et iustitiae praeceptum implet, nullatenus peccat, quin potius non implendo peccaret; si autem non peccat absolvens, nec poenam iucurrit, exulat enim poena ubi exulat culpa (3). De hoc tamen, quod benedictinae Constitutionis statuto adversatur, liceat nobis subdubitare. Neque nos movet ratio in qua huiusce opinionis fautores nituntur: nam confessarius complicem suum absolvens non ideo dicendus poenam incurrere ob caritatis et iustitiae praeceptum quod

(1) Lambertini, *Casus*, mense augusti anni mdccxlvi.
(2) Gury, *Casus*, II, 624 cum Coller.
(3) Lehmkuhl, II, 1206 cum Van der Velden.

implet in praesenti, sed ob pontificium vetitum quod antea violavit. Quidquid de hoc sit, verendum ne perversus sacerdos, ad poenam eludendam, perfectam animi poenitudinem sibi fingat qua reipsa caret, ut sibi Deoque fucum faciat : verum si nosmetipsos decipere valemus, non decipitur Deus.

CLXXIII.

Ab anno plus minus Arnulphus in blasphemias identidem prorumpere solet, pollutionis crimine bis terve in hebdomada se maculat, ebrietati quolibet fere die festo indulget ; paschali tempore Ursicino sacerdoti peccata sua dolens confitetur ab eoque absolvitur. Elapso anno, ac paschali tempore recurrente, redit Arnulphus ad Ursicinum eadem peccata referens ; quia tamen emendationem promittit, Ursicinus illum absolvit doctrinae innixus Aquinatis dicentis : *In foro poenitentiae credendum est poenitenti pro et contra se* (1) ; et : *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, debemus eum ut bonum habere* (2). Post alterum annum revertitur Arnulphus iisdem prorsus peccatis oneratus, cumque Ursicinus absens esset, Hieronymo peccata sua pandit. Hic, recidivi hominis relapsus cum audisset, absolvere eum recusat nisi se ipsum probet per quindecim dies antequam revertatur. Cui cum respondisset Arnulphus, Ecclesiam nisi annuam confessionem non praecipere, seque diligentiorem futurum in lapsibus cavendis, Hieronymus eum absolvit.

Quaeritur I°. Quid discriminis inter habituatum et recidivum?

Q. II°. Quaenam circa habituatos absolvendos regula tenenda est?

Q. III°. Quaenam circa recidivos?

Q. IV°. Quid de Ursicini doctrina atque agendi ratione?

Q. V°. Quid de Hieronymo?

Quaestionum solutio.

680. Antequam propositis quaestionibus ac proxime subsequentibus expediendis admoveamus manum, meminisse iuvabit sacerdotem in Poenitentiae Sacramento administrando iudicis iuxta ac medici personam gerere ; hinc evenire potest ut qua iudex poenitentem absolutione dignum agnoscat, qua medicus vero absolutionem differre debeat ut eius bono consulat. Neque violati iuris conqueri poenitens potest, qui ad Sacramentum recipiendum paratum se sentit : nam etsi ad absolutionem ius habet, non tamen habet ad eam statim obtinendam, sed quum confessario magis expediens visum fuerit. Quippe et confessarius ius habet duplicis sui muneris exercendi, ut scite Lugo animadvertit, neque a poenitente prohiberi potest quominus in absolu-

(1) *Quodlib.*, I, a. XII.

(2) II^{a} II^{ae}, q. LX, a. IV.

tione impertienda utrumque exerceat (1). Ceterum, si confessarius certo noverit poenitentem rite paratum esse, poenitens autem in dilationem non consentiat, ex *Codicis pontificii iuris* statuto absolvendus est. En *Codicis* iussum : *Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est* (2). Ex his iam liquet, quam difficile sit certis regulis definire quando absolutio illico poenitenti sit danda, quando differenda, quando vero neganda, namque sagacitati ac prudentiae confessoris relinquitur ita se gerere ut dum iudicis partes agit, eas quae medici sunt non obliviscatur. Praecipuas quas hac de re trademus regulas ex S. Alphonsi penu deprompsimus, quem ingenium, doctrina, rerum usus, vitae sanctitas, Apostolicae Sedis praeconia nobis quam maxime commendant.

681. — Resp. ad 1 Q. Per actum seu bonum seu malum inchoatur habitus, quatenus proclivitas quaedam in voluntatem inducitur ad eundem actum repetendum (3). Attamen ut habitus reipsa contractus censeatur, aliquam actuum frequentiam theologi requirunt, quae maior minorve esse potest pro peccantis indole, voluntatis studio, peccati natura, propinquitate inter actum et actum : re enim vera, experientia teste, compertum habemus facilius habitum induci si peccans pravo instinctu naturae ad malum feratur, si vehementiori studio adhaereat malo, si peccatum exterius consummetur, si lapsum inter et lapsum brevis temporis mora intercedat. Ex S. Alphonsi sententia si quis opere exteriori quinquies in mense peccat (modo inter lapsum et lapsum intervallum aliquod adsit) habitum induisse dicendus ; ei vero qui luxuriae indulget sat erit semel in mense peccasse (4). Hisce praeiactis, *habituatum* seu *consuetudinarium* theologi illum appellant qui habitum contraxit necdum antea confessus est, nempe qui post contractum habitum prima vice confessionem facit. *Recidivum* autem illum vocant qui eodem vel eodem fere modo in peccata quae confessus est relabitur ; propterea ut recidivus quis dicatur, necesse est post confessionem in eadem peccata reciderit (5).

(1) Lugo, disp. XIV, sect. X, cui concinunt Viva *Damnatae theses,* in prop. LX Innocentii XI ; nn. VII et VIII ; S. Alphonsus, VI, 454 ; Rebaudengo, *De Poenit.*, 169 ; Tanquerey, 578 ; Bucceroni, *De Poenit.*, 809 ; Génicot, II, 366.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 886.

(3) Rosmini, *Psicologia*, 938, 939 ; *Compendio di Etica*, 513. Utiliter etiam ea conferes quae de habitibus leguntur in *Antropologia*, 750 et seq. et in *Trattato della coscienza*, 326-328.

(4) S. Alphonsus, *Homo apost.*, tr. ultim. 8, *Praxis*, 70 ; Gaume, *Manuel des confesseurs*, 351 ; D'Annibale, III, 336.

(5) Hanc recidivi notionem hodierni theologi exhibent ab ea aliquantulum diversam quam veteres huic vocabulo tribuebant. S. Alphonsus, 459 ; Bouvier, c. VIII, a. III, § II, sect. IV ; Gury, II, 632 ; Gousset, II, 542 ; Gaume, l. c. ; D'Annibale, III, 338 ; Tanquerey, 634 ; Ferreres, *Epitome*, 828. Videsis Ballerinium ad Gury, II, 632 et *Opus theol. mor.*, tr. *De Poenitentia*, 222-223.

682. — Resp. ad II Q. Habituatus, qui nempe prima vice peccata sua confitetur, si verae poenitentiae communia praebeat argumenta, generatim est absolvendus. Sane pravus habitus, etsi iamdiu contractus, cum sincera voluntate consistere potest qua poenitens sua detestatur peccata et emendationem pollicetur; propterea, cum nulla subsit dubitandi ratio, fides ei adhibenda est. Ad hoc, cum poenitens rite paratus ad absolutionem ius habeat, iniuste et inconsulto Sacramenti gratia privaretur, qua iuvante facilius pravum habitum exuere valeret (1). *Generatim*, inquimus, habituatum esse absolutione donandum, nam excipiunt: 1° si remedia ad extirpandum habitum prorsus necessaria reiiceret, quod malae voluntatis infirmique propositi indicium esset (2); 2° si habitum valde radicatum gerat, namque ad medicinam quandoque conferre potest ut aliquandiu absolutio ei differatur (hoc tamen raro atque ad breve tempus expedire putamus, cum Sacramenti virtus ad poenitentem roborandum atque in proposito firmandum maxime conducat) (3); 3° si poenitens sit clericus turpibus assuetus sacrisque ordinibus initiandus, velitque ad eos nondum emendatus accedere: cum enim ad sacros ordines recipiendos *positiva*, ut aiunt, vitae integritas et sanctitas requiratur, qui tali inquinatus vitio ad eos contendere audet, Sacramento Poenitentiae recipiendo imparatum se ostendit; propterea; nisi forte extraordinaria prorsus exhibeat contritionis signa (quod raro admodum contingere solet, neque facile est praesumendum) sine absolutione est dimittendus. Quanto autem temporis spatio ante sit probandus quam ascensus ad sacros ordines ei permittatur, non una omnium sententia est: alii quippe integrum annum, alii plures menses, alii ad minimum trimestre requirunt; fortasse melius dicendum, ex personae et rerum adiunctis iudicium ferendum esse (4). Ceterum clerico qui in Venerem vehementer proclivem se sentit, neque omni nisu pravum habitum exstirpare conatur, suadendum ut clericali militiae valedicat, etenim ut plurimum (luctuosa experientia teste), sacerdotio suscepto, in eodem libidinis coeno volutabitur, seque (fortasse et alios) in aeternae salutis discrimen proiiciet (5). Optimum sane consilium, quandoquidem vix unquam potest quispiam illud penitus eiicere quod sibi natura insitum est:

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

(1) La Croix, l. VI, p. II, 1820; Billuart, diss. VI, a. X, § VI; S. Alphonsus, 459; Reuter, *Neo-confessarius*, p. III, c. I, q. IV, 178; Gousset, 543; Gaume, l. c.; Gury, II, 633; D'Annibale, 337; Ferreres, l. c.

(2) Tanquerey, 633; Ferreres, l. c.

(3) S. Alphonsus, *Homo apost.*, 8; *Praxis*, 70; Gaume, l. c.

(4) Habert, *De Ordine*, p. I, c. III; S. Alphonsus, VI, 63, et seq.; *Praxis*, 78, 79; Gaume, 359; Frassinetti, II, nota 470; Lehmkuhl, 760; D'Annibale, III, 293, nota 9; Malacrida, *Avvertenze di S. Carlo per i confessori* (ad n. 37); Scavini, I, 464; Ferreres, *Epitome*, 871.

(5) Malacrida, l. c. et Génicot, II, 27.

683. — Resp. ad III Q. Recidivus qui eodem modo post confessionem in eadem peccata relapsus est, suspicionem ingerit sat firmo proposito caruisse: qui enim firmiter proponit, saltem aliquandiu a peccatis abstinet, aliquos conatus exerit ad ea cavenda, rarius cadit, quapropter eiusmodi recidivus infirmi propositi praesumptionem in praesenti contra se habet. Quae cum ita sint, ut confessarius de bona recidivi voluntate firmoque proposito prudens iudicium ferre illumque absolvere queat, signum aliquod, praeter communia, requiritur quo mala praesumptio concutiatur (1). Haec peculiaria signa, quae S. Alphonsus (verbo potius quam sensu inconcinno, ut ait D'Annibale) *extraordinaria* vocat, plura sunt. En praecipua quae a theologis recensentur: 1° vehementior animi dolor per lacrimas, suspiria, verba ex intimo pectore prodeuntia expressus: 2° minor relapsuum numerus, diuturnior in bono proposito constantia, fortiores conatus exerti et exantlati labores ad tentationes superandas; 3° exquisitior diligentia in periculis fugiendis et confessoris monitis consiliisque servandis: 4° confessio sponte omnino quaesita, idest non consuetudine facta, vel ad morem cuipiam gerendum, vel ad implendum paschale praeceptum, sed studio divinae gratiae recuperandae, ac melioris vitae instituendae; 5° vividior miserrimi sui status cognitio, sive ex peculiari Dei illustratione, sive ex confessoris hortationibus vel audita concione, sive ex metu divinae vindictae, sive ex obitu parentis consanguinei vel amici aliave publica aut privata calamitate, sive ex acrioribus conscii animi morsibus concepta: 6° promptus ad Sacramentum reditus post relapsum, libens voluntas luendi poenas quas confessor iniunxerit (2). Horum ac similium signorum aliquod vix unquam aberit a poenitente qui vere paratus est; quod si abesse contingat, pii et industrii confessoris erit toto pectore incumbere ut illud a poenitente eliciat.

684. — Hisce animadversis, ut iam cominus agamus, aliter cum recidivo dubie disposito, aliter cum satis disposito confessarius se gerat oportet. 1° Si recidivus sit *dubie dispositus*, idest nullum ex recensitis bonae voluntatis peculiare signum prae se ferat, absolutio ei est differenda, hoc namque postulant Sacramenti reverentia ac poenitentis bonum, quibus sacerdos tanquam iudex et medicus consulere debet (3). Quod si gravis urgeat absolvendi causa, v. g. ad vitandam

(1) Laymann, l. V, tr. VI, c. IV, 10; Sporer, p. III, c. II, 332; Segneri, *Il confessore istruito*, c. IV; S. Alphonsus, 459, *Praxis*, 73; Scavini, III, 344; Ferreres, l. c.

(2) Laymann, l. c.; Sporer, 331; Voit, II, 713; S. Alphonsus, 460; *Praxis*, 74; Gousset, 549-550; Gaume, 355; Scavini, 245; Tanquerey, 638; D'Annibale, 341, nota 34.

(3) Segneri, l. c.; S. Alphonsus, 459; D'Annibale, 343; Gury, 637; Tanquerey, 640.

infamiae notam vel scandalum (adderem et periculum relinquendi poenitentem ad longum tempus in peccato, eo magis si metuendum sit ne dimissus non amplius redeat), absolutio dari poterit sub conditione, monito tamen recidivo ut sibi caveat (1). 2° Si recidivus sit *satis dispositus*, generatim est absolutione donandus, ne Sacramenti gratia careat : quandoque tamen confessarius potest, qua medicus, quandoque etiam debet absolutionem differre. Ceterum raro est absolutio differenda si relapsus ex intrinseca fragilitate contingat : si vero ex occasione extrinseca, differatur oportet donec auferatur occasio si voluntaria, vel ex proxima remota fiat si necessaria. Quod si dilatio obfutura magis quam profutura censeatur, recidivo satis disposito absolutio illico tribuenda est (2). Quaeres, quamdiu (si expediens videatur dilatio) recidivo satis disposito absolutio sit differenda? — Respondet S. Alphonsus, relabenti ex intrinseca fragilitate non esse absolutionem differendam ultra decem vel quindecim dies; relabenti ex occasione extrinseca ad longius tempus dilationem esse producendam, nempe etiam ad mensem (3). Haec doctrina duriuscula et paululum emollienda videtur, quum agitur de recidivo satis disposito : periculum enim est ne recidivus sine absolutione dimissus concidat animo et a Sacramento recedat, vel uberioris gratiae auxilio destitutus ruat in peius, hac nostra praesertim aetate in qua fides et pietas maxime refrixere. Idque neque a mente S. Doctoris alienum putamus, qui durum putat homini lethali culpa detento sine absolutione *etiam per diem* manere (4). Ceterum ipse Sanctus fatetur, certam regulam in hoc dari non posse, sed ex rerum adiunctis iudicium ferendum esse (5). Quod si regulam aliquam in praxi sectandam habere cupis, hanc tibi suggerimus quam praebet Gaume : *Quotiescumque signum aliquod tibi praesto est quo permotus prudenter iudicare valeas recidivi voluntatem mutatam esse, illum absolvere potes* (6). Demum hic quoque iuverit scitissimum *Pontificii Codicis* monitum in confessariorum memoriam revocare quod supra retulimus (n. 680).

685. — Resp. ad IV Q. Ursicinus eorum doctrinam profitetur, qui recidivum ceteris poenitentibus aequiparantes, nullum ab eo peculiare seu extraordinarium bonae voluntatis signum requirunt ut absolutione dignus iudicetur, sed nisi manifestis argumentis constet eum imparatum esse, absolvendum docent. Quippe aiunt, relapsum infirmam voluntatem non semper arguere; poenitenti autem qui se para-

(1) S. Alphonsus, 432, 463, *Praxis*, 76; Tanquerey, 640.
(2) S. Alphonsus, 463, *Praxis*, 76; Gousset, 347.
(3) S. Alphonsus, 463, *Homo apost.* 10; *Praxis*, 72.
(4) S. Alphonsus, 490. Concinne et perspicue regulas hac in re a confessario tenendas exhibet D'Annibale, 343.
(5) S. Alphonsus, 343.
(6) Gaume, *Manuel des confesseurs*, 356.

tum affirmat fidem esse adhibendam, quoad de eius malitia manifeste non constet, secus iniuriam ei fieri (1). Verum etsi relapsus per se infirmam voluntatem non demonstrat, quandam tamen huiusce infirmitatis praesumptionem ingerit, quum eadem prorsus ratione quis in peccata relabitur quae prius confessus est; haec autem praesumptio peculiari aliquo bonae voluntatis signo convellatur oportet, ut prudens de poenitentis animo rite parato iudicium confessarius ferre valeat. Neque ullam poenitenti iniuriam facit absolutionem differens quoad praesumptio illa destruatur; cum enim a Domino iudex sit constitutus ut reverentiae Sacramenti ac suscipientis bono prospiciat, nequit Sacramentum dare nisi prudenter iudicet petentem esse paratum. Praeterea, absolutionem differens, de petentis malitia nullum profert iudicium, namque hoc unum iudicat, sufficientia sibi argumenta deesse ad eum paratum iudicandum. Quae cum ita se habeant, a doctrina superius cum S. Alphonso tradita recedendum non putamus, neque Ursicinum probare possumus absolventem Arnulphum hoc tantum nomine quia emendationem promittit.

686. — Resp. ad V Q. Parum sibi constantem Hieronymus se ostendit. Sane primum recte se gessit renuens Arnulphum absolvere cum iisdem peccatis redeuntem ac nullum peculiare firmioris propositi signum afferentem. Dein remissius egit eius verbis cito acquiescens: esto enim Ecclesiam semel tantum in anno confessionem praecipere, at praeceptum non impletur nisi per absolutionem confessio perficiatur.

CLXXIV.

Maurus adolescens, sub paterna potestate constitutus, liberioribus colloquiis et consuetudine utitur cum consobrina sua sub eodem tecto degente. Malefactorum conscientia agitatus peccata sua sincero animo Caecilio confitetur ab eoque absolvitur. Ast a mala tentatus femina in eadem peccata mox relabitur: dolens ad Caecilium revertitur, a quo iterum absolutione donatur. Cum autem tertio recidisset, Caecilius animi pendens fasne sit illum rursus absolvere, satius ducit per hebdomadam absolutionem differre.

Sacrarum commentationum (vulgo missionum) tempore Matthaeus Fulgentio confitetur se cum famula turpiter conversatum fuisse; promittit tamen se nunquam deinceps cum ea peccaturum. Fulgentius eum absolvere detrectat nisi famulam ante dimittat. Quae agendi ratio cum Matthaeo nimis dura videretur, Adalbertum adit qui, fide accepta, eum incunctanter absolvit.

(1) Geraldini, *La quiete dei confessori*, post Ballerinium (ad Gury, II, 635 et *Opus theol. mor.*, tr. *De Poenit.*, 225-240). Ab hac sententia non longe discedit Frassinetti, II, diss. XIV.

Quaeritur I°. Quid sit et quotuplex occasio peccati?

Q. II°. Quomodo confessarius cum iis se gerere debet qui in peccati occasione versantur?

Q. III°. Quid de utriusque confessarii agendi ratione?

Quaestionum solutio.

687. — Resp. ad I Q. Occasionis nomine venit quaelibet res externa quae sive suapte natura, sive ob peculiarem hominis infirmitatem, ad peccandum allicit. *Res externa*, idest extra nos posita, quae enim intra nos sunt (veluti pravi habitus et malae concupiscentiae), etsi ad peccatum impellunt, inter occasiones non censentur. *Suapte natura vel ob peculiarem hominis infirmitatem ad peccandum alliciens*: nam quaedam res eiusmodi sunt quae omnibus, quaedam vero quae infirmioribus tantum peccandi periculum creant; illae *absolute* et *per se*, hae *relative* ac per *accidens* occasiones sunt. Occasio diducitur in *remotam* et *proximam*: illa non est per se nata ad periculum concitandum, quia in ea constituti homines peccare non solent; haec eiusmodi est quae omnes, vel plerosque, vel infirmiores ad peccandum inducit. Remotam occasionem mittimus, quam fugere non iubemur: quandoquidem remotae occasiones ubique occurrunt atque ad eas fugiendas (auctore Paulo apostolo) ex hoc mundo migrare oporteret (1). Occasio proxima, de qua una dicturi sumus, alia *praesens, in esse, continua* est, alia *absens, non in esse, interrupta*; alia *voluntaria* seu *libera*, alia *physice* vel *moraliter necessaria*, quae nempe vel nullatenus vel aegerrime potest auferri.

688. — Resp. ad II Q. — Principio monendi sumus, non omnes regulas quas probatorum theologorum ac S. Alphonsi potissimum vestigiis inhaerentes mox subiiciemus, adeo fixas esse atque inflexibiles ut ab eis vel latum unguem discedere confessario nefas sit: quandoquidem multa sunt et varia rerum personarumque adiuncta quae confessarius diligenter perpendere debet ut Sacramenti reverentiae ac poenitentis bono iuxta prospiciat, modo mitius cum eo, modo severius agendo, prout sibi caritas et prudentia suaserint (2).

Et I° quidem certissimum est, absolutionem iis esse denegandam qui cum possint proximam occasionem in qua versantur dimittere, dimittere nolunt, hi enim evidenter Sacramento recipiendo imparatos se probant. Hinc merito Innocentius XI hanc thesim n. LXI confixit: *Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit.* Hoc ipsum de iis dicendum, qui cum sint in

(1) I *Cor.* V, 10.

(2) Reginaldus, *Praxis*, l. VIII, 19.

occasione proxima necessaria, media adhibere recusant quae ad eam remotam faciendam confessarius praescribit (1).

II°. Iis qui in occasione proxima voluntaria et praesenti versantur plerumque differenda est absolutio donec occasio sublata fuerit, neque facilis poenitentium promissionibus auris praebenda : quippe arduum est eiusmodi occasionibus se extricare, propterea maxime verendum ne poenitens, absolutione obtenta, in mala occasione persistat. Diximus *plerumque*, nam si haud dubia sincerae voluntatis argumenta praebeat, prima vice absolvi potest : item in mortis periculo, vel si deinceps nisi post longum tempus aut difficulter ad Sacramentum redire nequeat, dummodo tamen occasionem se relicturum serio polliceatur (2). Quod si alias promiserit fidemque laeserit, severius cum eo agendum, quippe ut recidivus spectandus.

III°. Si occasio proxima absens sit, bis terve poenitens absolvi potest qui sincero animo se eam derelicturum polliceatur; idque eo magis si aliqua absolvendi necessitas urgeat. Sane, cum occasio absens non sit continua et facilius caveri queat, minus allicit ad peccatum. Quod si post binam vel ternam absolutionem poenitens ad occasionem adhuc revertatur, dimittendus quoad propositum occasionis fugiendae facto comprobaverit (3). Sunt qui cum Lugo docent, eum tantum graviter peccare liberam occasionem non relinquendo quum labendi periculum *moraliter certum* vel saltem *valde probabile* est, propterea benignius agendum cum poenitente qui eiusmodi occasionem non relinquit (4). Quidquid sit de theoretica huius sententiae probabilitate, a S. Alphonsi doctrina recedendum non putamus, cuius hic iuvat verba proferre : *Ubi opiniones propinquius admovent ad periculum peccati formalis, ut accidit in hac materia occasionis proximae, dico quod confessario uti expedit sententiis rigidioribus, sic enim magis consulet suorum poenitentium saluti* (5).

IV°. Si occasio proxima sit physice vel moraliter necessaria, per se loquendo absolvi potest, modo sincere se paratum ostendat ad ea praestanda quae confessor ad occasionem ex proxima remotam faciendam necessaria iudicaverit; plerumque tamen expedit absolutionem differre, praesertim si occasio ad turpe peccatum inducat. Quod si post repetita experimenta eodem prorsus modo poenitens in pecca-

(1) Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VIII, 44; La Croix, l. V, 278; Voit, II, 724; Gousset, II, 561; Lehmkuhl, II, 618; Tanquerey, 622, 628.

(2) Viva, in prop. XLI Alexandri VI, n. XVI; Segneri, *Il confessore istruito*, c. V; S. Alphonsus, VI, 454, *Praxis*, 66; Reuter, *Neo-confessarius*, p. I, c. I, q. II, 173; Rebaudengo, 167; Gousset, II, 561, 562; Gury, II, 630; Gaume, *Manuel*, 317, 318; Tanquerey, 624.

(3) S. Alphonsus, l. c. cum S. Carolo; Gousset, 563; Gury, 630; Tanquerey, 625.

(4) Génicot, II, 373.

(5) S. Alphonsus, 456.

tum relabatur quin probabilis affulgeat emendationis spes, absolutione privandus donec resipiscat vel occasionem abscindat etiam cum gravi suo incommodo, nam *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te* (1). Ita theologi communissime (2). Obloquitur Ballerinius, contendens numquam necessitatem adesse occasionem eiusmodi deserendi cum gravi iactura: nam qui opportunis utitur mediis, etiamsi in necessaria occasione sit constitutus, semper potest peccatum vitare, cum nunquam adsit peccandi necessitas; propterea ceu chimericam reiiciendam esse hypothesim de poenitenti qui nullo modo efficere potest ut periculum ex proximo remotum fiat (3). Est equidem verum, neminem ad peccandum necessario compelli; at si quando poenitens, mediis omnibus adhibitis quae confessor suggessit, vitando peccato imparem se prorsus sentiat, non alia ei peccati cavendi relinquitur via, quam ut ab occasione cum quovis, etiam vitae, dispendio se eripiat: *quam* enim *dabit homo commutationem pro anima sua?* (4). Ceterum ad hoc remedium, quippe extremum, non ante confessor admovebit manum quam cetera inefficacia compererit.

689. - Resp. ad III Q. Maurus, in occasione proxima moraliter necessaria positus, potuit a Caecilio prima vice absolvi, si vere suorum criminum dolentem paratumque se ostenderit ad remedia sibi iniuncta adhibenda: quamquam, nisi peculiaris urgebat absolvendi ratio, consultius fuisset ad experimentum absolutionem aliquantisper differre; idque eo magis post relapsum. Recte autem tertia vice Caecilius absolutionem distulit.

In occasione voluntaria et praesenti Matthaeus versabatur, quae plerumque ante est auferenda quam poenitens absolutione donetur. Non est autem facile negotium de utriusque confessarii agendi ratione proferre iudicium, quippe ex diversis rerum adiunctis tota res pendet. Namque si Matthaeus serio pollicitus fuisset se famulam quamprimum dimissurum, si eam illico dimittere sine gravi incommodo nequibat, si de dimittendi obligatione nondum monitus fuerat, potuisset forsitan a Fulgentio absolvi. At certe praepropera festinatione Adalbertus absolutionem illi impertivit quin singula rerum adiuncta, ut opus erat, sedulo ante pensaret.

(1) Matth. V, 29.

(2) La Croix, l. VI, 261, 268; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. VIII, 46; Suarez, disp. XXXII, sect. II; Alasia, *De peccatis*, diss. I, c. VI, a. I, 19; Voit, II, 732; S. Carolus, *Avvertenze per i confessori*, 45; *Compendium Salmant.* tr. *De Poenit.*, 296; Reuter, 174; S. Alphonsus, 457, *Praxis*, 69; Rebaudengo, l. c.; Scavini, III, 324; Pramaggiore, *De Poenit.*, c. IV, a. III, § 1; Gastaldi, II, pag. 491-492; Gaume, 319, 320; Gousset, 569; Gury, 631; De Varceno, *De Poenit.*, c. VIII, a. I; Tanquerey, 630; Sebastiani, *Summarium*, 491, III.

(3) Ad Gury, II, 631 et *Opus theol. mor.* tr. *De Poenitentia* 192 et seq. Ballerinii sententiae quadantenus accedere videtur Piscetta, I, tr. *De legibus*, 41-43; Génicot (II, 347bis), utroque pollice eidem subscribit.

(4) Matth. XVI, 26.

CLXXV.

Fabiola nuptiis civili dumtaxat ritu cum Terentio initis, eodem cum eo utitur contubernio, ab eoque cogitur quasi uxor viro ad munia sibi praestanda. Sacrarum exercitationum tempore Fabiola flens dolens confessario sua crimina pandit, polliceturque se nulla in re mala deinceps Terentio obedientiam praestituram, immo omnem daturam operam ut nuptiae quamprimum religioso ritu instaurentur.

Quaeritur I°. Quid confessario agendum?

Q. II°. Quid si nuptiae religiose iniri nequeant?

Quaestionum solutio.

690. — Resp. ad I Q. Cum nuptiae civili tantum ritu inter christicolas initae perperam nuptiarum vocabulo nuncupentur, nec nisi turpis concubinatus sint, iam liquet nefas esse Fabiolae coniugalia munia Terentio praestare. Quia tamen civitatis leges iubent civili vinculo nuptos contubernales esse, Fabiola in occasione proxima moraliter necessaria constituta censetur. Quibus positis, si Terentius et Fabiola veri coniuges vulgo putantur, hoc est si ignoratur civili dumtaxat vinculo eos iunctos fuisse, confessario cum Fabiola perinde erit agendum ac cum illis qui in occasione proxima necessaria versantur: nimirum vix prima vice poterit confessor eam absolvere, consultius tamen aget absolutionem differens quoad promissionem suam Fabiola impleverit; quod si non impleverit iterum Terentio consentiens, absolvi nullatenus potest quoad se emendaverit vel a Terentio discesserit. At si palam est matrimonii Sacramentum eos non suscepisse, proindeque concubinarios esse, nullo pacto Fabiola erit absolvenda antequam a Terentio diverterit nuptiasve cum eo religioso ritu instauraverit; quippe publicum scandalum removendum est, neque alia ratione removeri potest (1).

691. — Resp. ad II Q. Si notum est Terentium et Fabiolam coniuges non esse, immo nec esse posse, plana est responsio: nempe, cum neque in praesentiarum neque in posterum sine scandalo simul habitare queant, invicem separentur oportet ut valeant absolutione donari. Salebrosior est quaestio cum in communi aestimatione ceu veri coniuges habentur, neque christianum coniugium inter eos constare potest, puta quia occulto nec dispensabili impedimento tenentur, v. c. si vir ex nefando coitu feminae frater existat. Hac in hypothesi, si sumpto temporis experimento confessarius certior fiat posse eos sine peccato instar fratris ac sororis caste simul habitare (siquidem coniugibus impotentia laborantibus nonnunquam a RR. Pontificibus hoc

(1) *Summa Sylvestrina*, v. *Concubinarius*, 1; Navarrus, c. III, 18; c. XVI, 20; Laymann, l. V, tr. VI, c. IV, 11; Viva, in prop. XLI Alexandri VI, n. XVII; Sporer, p. III, c. II, 328, 329; Voit, II, 727, 728; S. Alphonsus, III, 435-437.

fuit indultum); praeterea si periculum non adsit ne aliquando innotescat, eorum nuptias irritas coram Deo fuisse, videtur confessarius Fabiolam absolvere posse tanquam in occasione necessaria constitutam. Contra si cum Terentio degens se a peccatis non abstinet, item si periculum adest ne cito aut sero publicum oriatur scandalum, adigenda est cum quavis iactura ad Terentii contubernium relinquendum.

CLXXVI.

Flaminia adolescentula saepe choreis interest et colloquia serit cum iuvenibus alterius sexus ob vivax ingenium lepidosque sermones sibi pergratis; hinc fit ut impuris tentationibus sit obnoxia, quibus identidem consentit. Acriter a confessario admonita, respondet, se ad solatium choreis interesse, ad honestum amorem fovendum et congruas sibi nuptias comparandas iuvenum consortium affectare; promittit tamen, a praestando malis tentationibus consensu se deinceps temperaturam.

Quaeritur an Flaminia sit absolutione donanda?

Quaestionis solutio.

692. — Resp. ad Q. Ostendimus alias, certis conditionibus servatis, fas esse actum bonum vel indifferentem ponere quem duplex effectus est consecuturus, alter bonus, malus alter: nimirum si bonum effectum velis, malum autem permittas; si honesta ac sufficiens adsit causa malum permittendi; si bonum proxime et directe quaeras, non quasi per malum (nn. 15, 16). Iamvero actus a Flaminia praestiti in se ipsis mali non sunt, propterea videndum an, adiunctis vel consectariis inspectis, ab eis sit interdicenda. Choreae etiam promiscuae, idest cum personis diversi sexus, modo decenter fiant, nihil in se continent mali; at plerumque talia eas comitantur quae ob proximum peccandi periculum illicitas faciunt, nempe obscoena verba, procaces gestus, inverecundae nuditates; augetur autem periculum quum saltatores vultum obtegunt larva, tunc enim licentius se gerere solent. Ad haec maxime respicientes nonnulli ex SS. Patribus quasi *innocentiae scopulum, Veneris praeludium, pudicitiae sepulcrum, luxuriae instrumenta, diaboli barathrum* choreas damnare in universum non sunt veriti (1). Novissime Benedictus XV vehementer improbavit

(1) *Summa Sylv.*, v. *Chorea:* La Croix, l. V, 272; Mansi, *Epitome* v. *Choreae;* S. Alphonsus, III, 429; Reuter, p. II, c. II, q. III, 112; Gousset, I, 650, 651; II, 565; Scavini, III, 461; Gury, I, 242, 243; Lehmkuhl, I, 802; Marc (apud Zaninetti), 337; Malagrida, *Avvertenze di S. Carlo per i confessori* (ad n. 47); Guillois, *Catechismo,* vol. II, lez. XIX, a. VIII; Gaume, *Manuel des confesseurs,* nota 329; Génicot, I, 241; Ferreres, *Epitome,* 178; Vermeersch, *De castitate,* 203, 411. Choreas, ob multa quibus scatent pericula, insectatur

saltationes illas, deteriores aliis, quae nuper ex barbaria in hominum elegantium morem venerunt, namque *iis saltationibus* (ait R. Pontifex) *nihil inveniri potest aptius ad omnem exuendam verecundiam* (1). S. Franciscus Salesius eas comparat fungis, quorum exquisitiores vix unquam sunt innoxii (2). Idem fere de colloquiis dicendum quae inter diversi sexus personas seruntur: haec colloquia, si de rebus honestis, nihil in se continent mali et ex adiunctis dumtaxat mala fieri possunt. At propter fragilem hominis naturam sive choreae sive colloquia nonnunquam peccandi occasionem praestant: quocirca, si quis suae conscius infirmitatis vel lugenda experientia edoctus, sine idonea causa in has occasiones se ingerit, oppido peccat se temere in peccandi periculum coniiciens, ac pro periculi gravitate peccati gravitas aestimanda est.

His positis, iam ad Flaminiam veniamus. Solatium ex choreis promiscuis capiendum, etiamsi de honestis agatur, sufficiens causa esse potest eas raro admodum ducendi, v. gr. semel aut bis in anno, non tamen frequentandi, praesertim quia Flaminia nedum impuris tentationibus se obviam praebet, sed et illis identidem consentit. Causa sibi congruas parandi nuptias sufficiens esse potest ad colloquia cum iuvenibus miscenda, modo cautiones debitae ad pericula removenda adhibeantur: nimirum colloquia haec raro fiant, neque nocturno tempore aut sine arbitris, nimiumve sint producta. Quia tamen Flaminia pravis tentationibus quandoque consentiens foedatur, absolutionem ei differre proderit saltem ad experimentum. Nam plerumque, auctore S. Alphonso, quum de formali peccati periculo agitur (quod praesertim in lubricis adest), expedit confessarium rigidiorem esse. En ipsissima S. Doctoris verba: *Ubi opiniones benignae proximius reddunt periculum formalis peccati, prout sunt nonnullae auctorum opiniones, v. gr. quoad vitandas occasiones proximas, et aliae id genus, tunc* SEMPER EXPEDIT *ut confessarius utatur, immo dico quod ipse ut medicus animarum* TENETUR *uti opinionibus tutioribus, quae poenitentes ad se servandos in statu gratiae perducunt* (3). Verum maxima prudentia ac lenitate hic opus est, ne forte poenitentes sine absolutione dimissi a Sacramentis alienentur peioresque fiant. Ne nobis excidat Spiritus Sancti monitum: *Qui vehementer emungit, elicit sanguinem* (4). De his redibit sermo (nn. 724-726). Maiore adhuc prudentia ac lenitate opus est sicubi obtinuit atque radices egit mos indulgendi choreis, sive

vehementer venerabilis CAROLUS BASCAPÈ novariensis episcopus, S. Carolo coaevus eiusque sanctitatis aemulator (*Scritti*, Milano, tip. Ramellati, 1650, I parte, *Dei balli* p. 110 e seg).

(1) Encyclica *Sacra propediem* data in Epiphania Domini, an. MCMXXI.

(2) *Introduzione alla vita divota*, p. III, c. XXXIII.

(3) *Systema morale*, coroll., II. Cfr. et l. VI, 456.

(4) *Prov.* XXX, 33.

in privatis domibus, sive in plateis, sive in popinis agitentur. Optimum teneamus S. Augustini consilium Aurelio episcopo datum ad comissationes et ebrietates in Africa frequentes compescendas: *Non aspere, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo quam iubendo; magis monendo quam minando: sic enim agendum est cum multitudine, severitas autem exercenda est in peccata paucorum* (1).

IN TRACTATUM
DE EXTREMA UNCTIONE

CLXXVII.

Asinius parochus Extremae Unctionis Sacramento aegrotos tunc communire solet quum, conclamata iam spe, ad exitum properantes ac pene acturos animam conspicit, idque ne aegroti concidant animo, ingravescat morbus, rumores et querimoniae inter domesticos cieantur; pueros autem linire detrectat qui nondum ad Eucharisticam mensam accesserint. Contra Publius aegrotos vixdum sacro Viatico refectos supremo roborat morientium Sacramento, neque illud abnuit puerulis, feminis instante partu, phreneticis et quibusvis senio deficientibus; iis vero qui diuturno laborant morbo, ut solatium aliquod et auxilium afferat, pluries illud iterare solet; semel etiam surdo muto a nativitate graviter aegrotanti sacram Unctionem sub conditione tribuit, cum dubitaret an ea quae fidei sunt sufficienter nosset, quippe qui in scholis institutus non fuerat; semel et hominem capite damnatum sacro Viatico et Extrema Unctione refecit.

Quaeritur I°. Quaenam sint potissimae parochorum obligationes Unctionis Sacramentum respicientes?

Q. II°. Quid de utriusque parochi agendi ratione sentiendum?

Quaestionum solutio.

693. — Resp. ad I Q. Extremae Unctionis Sacramentum in hoc institutum fuit, ut homo qui post perfectum suae rationis usum periculoso afflictatur morbo, a peccatorum reliquiis mundetur, in spem divinae misericordiae erigatur, morbi aerumnas aequo ferat animo, inferni hostis impetus repellat et, qua expedierit, convalescat (2). Cum tot tantaque beneficia Sacramentum hoc praestet, facile noverit parochus quaenam in eo conferendo sint potissimae officii sui partes.

(1) Epist. LXIV ad Aurelium episcopum.

(2) Concilium Florentinum, *Decretum ad Armenos;* Concilium Tridentinum, sess. XXIV, *De Sacram. Extremae Unctionis*, c. II.

Et I° quidem summopere cavere debet, ne oscitantia sua aut socordia quempiam curialium suorum vita cedere contingat hoc Sacramento non munitum.

II°. Curet ut aegrotum inungat dum adhuc integra eius mens ratioque vigent: hoc enim Sacramentum tempestive piisque animi sensibus susceptum uberiores fert fructus ipsamque corpori salutem quandoque restituit. *Omni studio et diligentia curandum* (ad rem *Codex iuris pontificii*, canone 944) *ut infirmi, dum sui compotes sunt, illud recipiant.* Ut autem parochus id assequatur, vix quempiam suorum gravi morbo tentatum resciverit, solerter invisat, amice alloquatur ad eius sibi benevolentiam conciliandam, quo fiet ut deinde, gliscente morbo, ad Sacramenta suscipienda facilius illum adducat. Immo parochus de sempiterna animarum salute sollicitus curiales suos etiam valentes identidem conveniet, ne ab iis aegrotantibus quasi ominosus repellatur.

III°. Si forte sibi ad infirmum occludatur aditus, ne abiiciat animos, sed in primis rem Deo enixe commendet, mox propinquorum, amicorum, piorumve opera usus, ad infirmi domum revertatur, oret, instet, nihil intentatum relinquat ut homini in extremo agone luctanti subveniat.

IV°. Quia saepenumero maturae ac salutari huius Sacramenti perceptioni errores obesse solent qui popelli mentibus insident, propterea in eos convellendos toto pectore incumbat, plebem suam docendo quanta sit huius Sacramenti virtus quoque animo illud suscipere oporteat, absurdas vero dedocendo opiniones eorum qui semel inunctum cito moriturum putant, nec posse quoad vixerit nudis incedere pedibus, aut eodem cum uxore uti contubernio, aliaque id genus ridicula et superstitiosa in vulgus iactant. Neque praetermittat, saltem pro re nata, domesticos admonere ne aegrotum decipiant, sive morbi gravitatem et periculum occultando, sive ei falsam convalescendi spem iniiciendo et sacerdotem non advocando, aut tunc tantum advocando quum moribundus sensibus iam destitutus agit animam: hac enim ratione se gerentes profecto in caritatem delinquent, morientem hominem Sacramenti effectibus ex toto vel ex parte fraudando. Alicubi (ut in novariensi Dioecesi) reservatur *peccatum eorum qui impediunt quominus infirmo in articulo mortis constituto Sacramento Poenitentiae, vel Eucharistiae, vel Extremæ Unctionis ministrentur.*

V°. Ad haec, quia sancta sancte tractari decet, ea qua par est religione infirmorum Oleum custodiat (1), deferat, dispenset, ritualium librorum statutis ad amussim servatis, inter quae illud solemne habeat

(1) Ex *Codice iuris canonici*, canone 735, *Parochus olea sacra a suo Ordinario petere debet et in ecclesia in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter asservare; nec ea domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia.*

ut superpelliceo amictus et stola aegrotum inungat, etenim haec omittere, nisi in necessitatis articulo, gravi culpa non vacat (n. 501). Hic obiter animadvertimus, renum unctionem, quae in feminis ob decentiam, in viris saltem ex consuetudine, pluribus in locis amitti solebat, posthac ex novissimo *pontificii iuris Codice* semper omittendam esse; pedum vero, qualibet de causa rationabili omitti posse. En decretoria *Codicis* verba: *Unctio renum semper omittatur: unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest* (1).

VI°. Postremo videat ne perfunctorie ac praecipiti celeritate cuncta circa aegrotum agenda perficiat, deinde, quasi sarcina levatus, terga ei vertat illumque in extremis deserat: quippe multa adhuc pietatis officia atque iustitiae Christi sacerdotem manent, cui aeterna hominum salus cordi sit (2).

694. — Resp. ad II Q. *Gravissime peccant qui illud tempus aegroti ungendi observare solent, cum iam omni salutis spe omissa, vita et sensibus carere incipiat.* Haec *Catechismus R.* (3). Profecto sera huiusce Sacramenti administratio vix unquam decedentis animae non obest, quam copiosioribus gratiae caelestis auxiliis fraudat; saepe obest et corpori, quod per Sacramentum maturius susceptum in pristinam sanitatem restitui forsitan potuisset. Est itaque Asinius vehementer improbandus quod hunc pravum morem servet, neque ullo habendae sunt loco causae quas ad se tuendum praetexit: prudenti enim consilio tum aegrotantis formidini tum ceterorum querimoniis obviam itur. Neque minore exprobratione dignus quod pueros linire detrectat quos eucharistico Pane nondum refecit: quandoquidem si doli unquam capaces extiterint, iniuste hoc Sacramento privantur; quod si dubia res est, adiecta conditione, *Si es capax,* sunt liniendi (4).

(1) *Codex iuris canonici,* can. 947, §§ 3 et 4.

(2) Huc spectant plura eaque sapientissima monita quae traduntur in *Rituali R.* (*De Sacram. Extremae Unctionis* et *De visitatione et cura infirmorum*) et in *Actis Conciliorum provincialium mediolanensium* (l. II, *De Sacram. Extremae Unctionis*). Ex *Codice iuris canonici,* can. 468, § 2, *Parocho aliive sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam.* Ut autem opportuno tempore parochus morienti beneficium hoc praestare valeat pernoscere iuvabit proximae mortis indicia. Permulta recenset Gaume (*Manuel des confesseurs,* 399) quorum praecipua haec sunt: anxia respiratio, venae pulsus tenuis, interruptus, formicosus, oculi vitrei, pellucidi, manus tremulae, nasus albescens, ungues lividae, halitus foetidus, singultus frequens, frons algido sudore manans, frigiditas per omnia membra diffusa.

(3) P. II, c. V, n. XVIII.

(4) *Rituale R.* l. c.; Suarez, disp. LXXII, sect. I; Laymann, l. V, tr. VIII, c. IV, 2; La Croix, l. VI, p. II, 2110, 2111; Benedictus XIV, *De Synodo dioeces.* l. VIII, c. VI; S. Alphonsus, VI, 719.

Publii vero agendi ratio, etsi aliquo nomine commendanda, nullo tamen est carpenda. Laudandus sane mos supremo Sacramento infirmos roborandi statim a Sacro Viatico suscepto, modo prudenter servetur: cum enim Viaticum nisi periculose aegrotanti non conferatur, iam licebit et Extremam Unctionem ei conferre: et si fiat, optime factum erit (1). Contra nullo pacto probandus mos ungendi pueruios qui doli nunquam capaces fuere, quippe his frustra Sacramentum datur (2). Neque minus notandus mos Extremum Sacramentum indiscriminatim tribuendi feminis instante partu: nisi enim doloribus praeter modum gravibus parturiens torqueatur, periculose aegrotare minime putanda est, sive primum pariat, sive alias vitae periculum in partu obierit (3). In dubio tamen prudenti de periculi gravitate fas esse videtur sub conditione Sacramentum ministrare (4). De phreneticis *Rituale R.* haec habet: *Si infirmus, dum phrenesi aut amentia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur nisi periculum tollatur omnino* (5). Ex quibus verbis patet, Publium phreneticos inungentem non esse damnandum, modo Sacramenti reverentiae prospiciat: quod fieri potest si tunc ungantur quum non agitantur phrenesi, aut somno tenentur, aut vinculis sunt obstricti (6). Optimo iure Publius senio deficientibus morientium Sacramentum non abnuit: quod et rituales libri monent, et Carolus Borromaeus sanctissimus vir fieri statuit (7), et *Codex pontificii iuris*, canone 940, § 1 confirmat. Nam *quasi poma ex arboribus si sunt matura et cocta decidunt*, ait Tullius, *sic senibus vitam aufert maturitas* (8). Et in proverbio est, senectutem ipsam esse morbum et quidem immedicabilem. Ad illos demum quod attinet qui diuturna laborant infirmitate, recolenda *Ritualis R.* verba: *In eadem infirmitate iterari non debet nisi diuturna sit, ut si cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit* (9). Tria nempe *Rituale* requirit ut aegroto Sacram Unctionem liceat iterum conferre: 1° ut morbus sit diuturnus; 2° ut aegrotus aliquantisper (v. c. per mensem circiter) convaluerit, adeo ut mortis periculum, sin minus evanuisse, saltem

(1) S. Alphonsus, 716.

(2) Suarez, Laymann, Benedictus XIV (ll. cc.); S. Alphonsus, 718.

(3) *Acta Concil. mediolan.* l. c.; Benedictus XIV, l. VII, c. V, 1; S. Alphonsus, 713, dub. 3; Sebastiani, *Summarium*, 510.

(4) Lambertini, *Casus*, an. mdccxliv, mense martii. Cf. et *Codicem iuris Canonici*, can. 941.

(5) *De Sacram. Extremae Unctionis.*

(6) La Croix, 2110; Lambertini, *Casus*, an. mdccxlv, mense octobris; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. XI, 26.

(7) *Acta Concil. mediol.* l. c.; S. Alphonsus, 712.

(8) *De senectute*, c. XX.

(9) *Rituali R.* concinit *Codex pontificii iuris*, canone 940, § 2.

minus propinquum evasisse censeatur, quod nonnunquam evenit in phtisi, hydropisi aliisve chronicis morbis: 3° ut in periculum reciderit. Quae tria Publius noster non satis servare videtur, qui indiscriminatim diuturno morbo laborantibus, ut eos soletur et iuvet, pluries Sacramentum conferre solet. Ceterum, si dubitetur an aeger e periculoso morbo relevatus rursus in mortis periculum inciderit, cordati theologi cum Benedicto XIV fas esse rentur Sacramentum iterare, tum quia id congruit veteri Ecclesiae disciplinae, tum quia novo gratiae subsidio expedit aegrotum roborare (1). Quod attinet ad surdum mutum a nativitate neque in scholis institutum, de quo incertum est an christianae fidei mysteria sufficienter noscat, censet D'Annibale sacram Unctionem non esse ei dandam, cum necessaria non sit et vix sit probabile eam valide conferri (2). Verum, cum ipse doceat absolutionem tali homini sub conditione tribui posse, *cum non sit plane indubitatum eum quae ad fidem pertinent ignorare*, non videmus cur Extrema Unctio sit illi abnuenda. Esto, eam necessariam non esse; at si indubitatum non est surdum mutum quae fidei sunt prorsus ignorare, poterit Unctionis Sacramentum illi prodesse, sive ad reliquias peccatorum abolendas quae per sensus, quibus uti valet, admisit (per visum nempe, per gustum, odoratum et tactum), sive ad morbi aerumnas aequo et patienti animo perferendas. Si autem prodesse potest, iam licebit illud sub conditione conferre, conditio enim reverentiae Sacramenti cavet, si forte irritum cesserit (3). Non ergo ex hoc capite Publius improbandus sed laudandus magis, quod surdi muti bono pro sua parte prospexit. Quaeres, an huius aures sint ungendae qui *per auditum* nunquam *delinquere* potuit. — Sunt qui negant; verius tamen affirmandum, potuit enim, sin minus opere, desiderio delinquere. Ceterum si forte unctio non proderit, non nocebit (4).

Demum quod attinet ad sacrum Viaticum damnatis ad mortem ministrandum, teste Benedicto XIV cui concinit Bouvier, non ubique eadem agendi ratio semper obtinuit, nam in Gallia et Hispania ob reverentiam tanto Sacramento debitam eis denegabatur; secus vero in Italia, Germania et alibi (5). Hanc consuetudinem servandam esse

(1) Benedictus XIV, *De Synodo dioec.*, l. VIII, c. VIII, 4; S. Alphonsus, VI, 715; Gousset, II, 624; Tanquerey, *De Extrema Unctione*, 771; Lehmkuhl, I, 725; Guillois, *Catechismo*, vol. III, lez. XXIX.

(2) D'Annibale, III, 259.

(3) In hanc demum sententiam et Bucceroni concedit (*De Sacramentis*, IV, 385).

(4) Similis huic quaestio fit de caeco nato, an eius oculi sint ungendi. Vide S. Thomam (in *Supplemento*, q. XXXII, a. VII), cui per errorem (quandoque bonus dormitat Homerus) negantem sententiam tribuit Clericatus (*Erotemata*, c. CXXVII, q. 15).

(5) Benedetto XIV, *Del Sacrificio della Messa*, n. CLXXIII; Bouvier, *De Eucharistia*, c. V, a. I.

Summus Pontifex docet, quippe quae magis consentanea est christianae pietati ac plectendorum saluti, idque auctoritate S. Pii V confirmat (1). Quapropter hodie vix dubitare licet etiam capite damnatos sacro Viatico esse roborandos, tum quia in extremo vitae discrimine tanto subsidio non sunt fraudandi, tum quia morte imminente praeceptum urget Viaticum suscipiendi, etsi fortasse ieiunium violaverint (2). Nullo ergo modo improbandus, sed potius laudandus Publius qui capite damnatum sacro Viatico reficiendum curavit. Contra Extrema Unctione illum inungens male prorsus se gessit, hoc enim Sacramento nisi homini gravi infirmitate laboranti conferri nequit (3).

Ex hactenus dictis lucet claris argumentis, utrique parocho nostro acrius esse adnitendum ut muneris sui partes in Sacramentis conficiendis et probe calleat et diligenter servet, ne in re tanti momenti deficiens cum sibi tum suis grave inferat damnum.

CLXXVIII.

Aurelius sacerdos, absente parocho, hominem infirmum accedit, quem gravi morbo laborantem conspicatus, illico supremis decedentium Sacramentis munire curat. Haec inter ecce parochus advenit, qui vehementi ira commotus Aurelium hisce verbis aggreditur: « Quae, malum, est ista tanta audacia atque amentia? num ignoras, sacerdotes haec parochorum iura usurpantes gravi culpa et pontificia censura teneri? Vide ne unquam feceris et consule rationibus tuis ».

Quaeritur I°. Peccentne et aliqua censura multentur sacerdotes extrema decessuris Sacramenta conferentes, imprudente parocho vel invito?

Q. II°. Quid de Aurelio et parocho sentiendum?

Quaestionum solutio.

695. — Resp. ad I Q. Extrema nuncupamus Poenitentiae, Eucharistiae per modum Viatici et Unctionis Sacramenta. Iamvero, etsi quilibet dum sacerdotio initiatur potestatem accipit Sacramenta haec conficiendi, attamen ut Poenitentiam, quae instar iudicii est, valide administrare possit, cetera autem Sacramenta licite praestet, iurisdi-

(1) *De synodo dioecesana*, l. VII, c. XI.

(2) S. Alphonsus, l. VI, 291; Gury, II, 322; Gaume, *Manuel des confesseurs*, 250; D'Annibale, III, 298, n. 24; Génicot, II, 202; Lehmkuhl, 197. Liceat nobis praeclarum pastoralis sollicitudinis exemplum memorare quod praebuit Antonius Rosminius, qui dum Roboreti parochi munus obiret, hominem supremo perimendum supplicio tanta prosecutus est caritate ut eum ad mortem aequo animo perferendam, immo in sui criminis poenam peroptandam, adduxerit. Vide *Gli ultimi giorni di Felice Robol*, Torino, tip. Marietti, 1837.

(3) Génicot, II, 422; Lehmkuhl, 722.

ctione instruatur oportet. Hoc iure pontificio districte statutum est (1), et in iure divino nititur (2), namque, ovium ac pastorum divisione posita, omnino decet illas ab his pasci, nequaquam ab aliis (3). Quibus in universum praenotatis, iam per singula extrema Sacramenta nobis percurrere licet.

696. — Poenitentiae Sacramentum (quidquid in more institutisque maiorum positum fuerit) omnis sacerdos conferre valet quem Episcopus ad hoc munus explendum idoneum suspexit probavitque (n. 628). Id enimvero sapientissime cautum fuit, ne uni parocho, forte minus accepto, admissa nostra pandere debeamus, sed detur optio illum e probatis sacerdotibus eligendi qui cum doctrinae tum sanctitatis et prudentiae laude nostros sibi magis meruisset animos. Hoc tamen distat parochum inter et simplices sacerdotes, quod illius iurisdictio, quippe quae ordinaria est, in eos qui sibi subditi sunt ubivis exercetur; horum vero, quippe quae ab Episcopo est demandata, dioeceseos finibus terminatur. Ad hoc, quia omnia ordine fieri decet, nemini in aliena paroecia Sacramenta ministrare integrum est nisi eius rectore connivente, neve etiam aegrotorum confessionem excipere quin ante vel post quam id muneris obierit certiorem ea de re parochum faciat idque iure dioecesano certa lege alicubi sancitum fuit (4).

697. — Eucharistiam imprudente vel invito parocho ministrare fas non esse, communis ante *Codicis pontificii iuris* editionem theologorum fuit sententia: id enim parochi iuri officere arbitrabantur (5). Quamquam tacitam parochi veniam vix unquam deesse censebant, nisi mortis ingruente periculo quum ad divinum implendum praeceptum Eucharistia sumenda est (6). Hanc theologorum sententiam sequentes memorati *Codicis* canones ex parte saltem infirmant. *Quilibet sacerdos inter Missam et, si privatim celebrat, etiam proxime ante et statim post, sacram Communionem ministrare potest. - Etiam extra Missam quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus. - Ius et officium sacram Communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos extra ecclesiam deferendi, pertinet ad parochum intra suum territorium. - Ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii. - Communionem*

(1) *Clement.* l. III, tit. IV, *De sepulturis* et l. V, tit. VII, *De privilegiis*, c. I; Concilium Tridentinum, sess. XXIV, *De reform.* c. XIII.

(2) Ioann., XXI, 16; *Ephes.* IV, 11.

(3) Suarez, in III p., disp. XVI, sect. I; Lugo, *De sacram.* disp. VIII, sect. IX.

(4) Scavini, III, 351.

(5) Suarez, disp. LXXII, sect. II; Lugo, disp. XVIII, sect. II; Laymann, l. I, tr. IV, c. VII, 3; Sporer, p. II, c. V, 309, 310; Voit, II, 267; S. Alphonsus, VI, 234.

(6) S. Alphonsus, 235; Aichner, § 127.

privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa est. - Sacram Communionem per modum Viatici sive publice sive privatim ad infirmos deferre, pertinet ad parochum (1). Ex his patet, non licere cuivis sacerdoti, nisi parocho assentiente, Viaticum aegrotis deferre; at si instet aegroti necessitas, cui nequeat parochus nolitve subvenire, cuilibet sacerdoti integrum est illud deferre, iure enim Episcopi venia coniicitur (2). Ad praeceptum paschalis Communionis implendum ex RR. Pontificum Conciliorumque decretis atque ex usu universim recepto ratum erat, oportere ut in sua quisque paroecia ac de parochi manu Sacram Synaxim reciperet, secus praecepto non satis faceret. Hodie tamen huiusce obligationis vinculum relaxatum novimus, ex quo in *Iuris pontificii Codice* haec scripta leguntur: *Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere* (3).

698. — Extremae Unctionis Sacramentum conferre unius parochi est; quocirca gravis culpae expers non erit qui, eo non consentiente, id sibi muneris usurpaverit (4). En *Codicis pontificii iuris* statutum: *Minister ordinarius (E. Unctionis) est parochus loci in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest* (5). Hinc si aegroti necessitas urgeat, parochus autem nequeat vel nolit Sacramentum dare (ut puta si longius abest, vel immerito renuit aegrotum linire, vel quia excommunicatione irretitus a Sacramentis conficiendis arcetur), cuivis sacerdoti etiam regulari fas erit extremo decedentium Sacramento decedentem hominem communire, etenim in his rerum adiunctis parochi, vel Episcopi, vel R. Pontificis venia iure praesumitur (6). Ad haec animadverte, religiosorum ius extrema ministrandi Sacramentia latius hodie patere quam antea, nam in novissimo *iuris pontificii Codice* can. 514 haec statuuntur: § 1 *In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis Eucharisticum Via-*

(1) *Codex iuris canonici*, can. 846, 848, 849, 850.

(2) Suarez et Lugo, ll. cc.; S. Alphonsus, 236.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 859, § 3.

(4) Suarez, *De Sacram.*, p. II, disp. IV, sect. II; S. Alphonsus, 722; Benedictus XIV, *De Synodo dioeces.* l. VIII, c. IV, 7.

(5) *Codex iuris canonici*, can. 938.

(6) Suarez, l. c.; S. Alphonsus, 723; Bouvier, *De Extrema Unctione*, c. IV; Voit, II, 912; Sebastiani, *Summarium*, 509; Génicot, II, 420.

ticum et extremam Unctionem ministrandi (1). § 2. *In monialium domo idem ius et officium habent ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit.* - Ad poenas quod attinet, in Constitutione *Apostolicae Sedis* Pii IX excommunicatio R. Pontificii reservata lata erat in *religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis et Eucharistiae per Viaticum ministrare absque parochi licentia.* At cum in *Codice pontificii iuris* nulla huius poenae mentio fiat, desiisse tenendum est.

699. — Resp. ad II Q. Singula quaeque adiuncta sunt ponderanda, ut rectum de Aurelio et parocho feratur iudicium. Nimirum, si tanta fuit tamque instans aegroti necessitas ut moram non pateretur, optime Aurelius se gessit, propterea immeritus duris verbis fuit a parocho lacessitus; secus iure meritoque exprobratus fuit, quippe qui in alienam segetem, inscio domino vel invito, falcem mittere non est veritus. Attamen pontificiam censuram non incurrit etsi religiosae disciplinae sodalis fuit solemnibusque votis obstrictus, quum hodierno iure haec poena iam non existat.

CLXXIX.

Celerinus sacerdos, ad Tiburtium graviter aegrotantem arcessitus, festinus accurrit; sed vix eius domum ingressus a familiaribus audit, Tiburtium a dimidia fere hora supremum exhalasse spiritum. Quid faciet? Haeret primo; mox, ratus aliquem fortasse igniculum vitae in Tiburtio superesse, sub conditione *Si es capax* illum absolvit, et sub eadem conditione infirmorum Oleo eius frontem inungit haec proferens verba: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti.* Sed vix unctione peracta, en putatus mortuus reviviscit. Haeret magis Celerinus, incertus quid agat; dein sub conditione *Si valide non es inunctus* unctiones omnes a *Rituali R.* praescriptas absolvit.

Quaeritur I°. An putatum mortuum extremis Sacramentis reficiens Celerinus recte se gesserit?

Q. II°. An recte se gesserit redivivum sub conditione inungens?

Quaestionum solutio.

700. — Resp. ad I Q. Mortuo homini Sacramenta tribuere oppido immane facinus est: cum enim Sacramenta pro hominibus viatoribus Christus instituerit, nisi perperam et sacrilege mortuis non tribuerentur. At quando hominis mors contingit? Vulgo creditur tunc temporis evenire mortem, seu animae recessum a corpore, quum respiratio venarumque pulsus desiere; hodie tamen physiologi et medici haud obscuri nominis opinantur, hominis vitam non semper penitus extin-

(1) Non requiritur diuturna in religiosa domo commoratio, sed vix ingressus quis fuerit receptusque animo commorandi ob memoratas causas, Sacramenta ei dare fas erit. Fanfani, *De iure religiosorum*, 93.

gui vixdum respiratio, pulsatio cordis et sanguinis motus cessaverint, sed per aliquod temporis spatium adhuc permanere posse, propterea haec signa mortis indubia non esse. In subitis mortibus (cuiusmodi illae sunt quae per fulmineum ictum, per suffocationem, per catalepsim, per apoplexim, per haemorrhagiam, per asphyxiam eveniunt), ex eorum sententia, per diem et amplius in corpore per speciem exanimi vita potest latere, certumque mortis testimonium tunc tantum habetur cum putrescere corpus incipit. In ceteris autem mortibus, quae nempe vi morbi gradatim procedentis obveniunt, ad horae quadrantem, immo et ad semihoram, vita perdurare potest, membrorumque rigiditas diutius producta certum mortis signum praestat (1). Hisce positis, videtur Celerinus prudenter egisse: cum enim Sacramenta propter homines sint, Poenitentia et Unctio, quae homini in extremis constituto nedum Sacramenta utilia sed necessaria quandoque esse possunt, sub conditione saltem sunt conferenda quum probabile est ea non irrita fieri. Monendi tamen sunt adstantes, ne forte scandalum capiant aut in errorem inducantur, putantes mortuo Sacramentum conferri (2).

701. — Resp. ad II Q. Formam quam Celerinus usurpavit Congregatio S. Officii die 25 aprilis anni 1906 *in casu vere necessitatis sufficere* declaraverat, de conditione adiicienda, aut de quinque sensuum unctione deinceps perficienda, nulla mentione facta. Ex recentiore tamen eiusdem Congregationis decreto diei 9 martii anni 1917, cui concinit *Iuris pontificii Codex*, transacto periculo, unctiones singulae *absolute* (idest sine conditione) sunt perficiendae (3). Quapropter Celerinus, Tiburtium reviviscentem sub conditione inungens, non recte se gessit.

(1) Antonelli, *Medicina pastoralis*, vol. II, 641, 644, 646; Ferrand, *Le moment de la mort*; Ferreres, *La mort réelle et la mort apparente* (apud Tanquerey, *De Sacram.*, 768); et *Epitome*, 864; Sebastiani, *Summarium*, 510. Buccheroni (*De Poenitentia*, VII, n. 754ter), qui tamen moderate huic sententiae adhaerescit; Génicot, II, 422. Vide etiam *Minerva (Rivista delle Riviste)*, anno 1908, n. 43, *La morte apparente e la inumazione prematura*, ubi quae mortis signa certa sunt et explorata, quae vera dubia recensentur. Haec opinio nova omnino non est, namque (teste La Croix, l. VI, p. II, 1164) iamdiu inter medicos fuere quibus persuasum erat, rationalem animam per unum alterumve quadrantem post vulgo existimatam mortem corpori iunctam permanere. Immo Paulus Zacchia, insignis protomedicus romanus qui floruit XVII, in libro IV *Quaestionum medico legalium*, tit. I, q. II, n. 39, tres praecipue enumerat morbos (nimirum apoplexiam, syncopem et uteri suffocationem) in quibus post apparentem mortem vita ad unum alterumve diem latitare potest, remque exemplis confirmat. Legenda monita quae hac de re Mathias Vicario novariensis Episcopus kalendario liturgico suae dioeceseos anno MDCDV sapienter praeposuit.

(2) Reuter, *Neo-confessarius*, p. III, c. VI, q. V, 220; Tanquerey, Génicot et Sebastiani, ll. cc.

(3) Vide *Acta S. Sedis*, vol. IX, pag. 173 et *Codicem iuris canonici*, canone 947, § 1.

IN TRACTATUM
DE ORDINE

CLXXX.

Tonsuram clericalem et minores ordines Bernardus expetit, firmum deliberatum non habens animum superiores ordines suscipiendi seseque Dei famulatui perpetuo mancipandi, sed tum ut clericalis vitae genus ante experiatur quam irrevocabili amplexetur proposito, tum ut militiae oneri se subducat. Postquam vero tonsuram minoresque ordines suscepisset, angitur vehementer: timet enim sacrilegii reum se fecisse, immo ipsam ordinum collationem fuisse irritam, quia Episcopus antequam eos conferret apertissime professus fuerat nolle se indignum quempiam ordinibus initiare.

Quaeritur I°. An tonsura et minores ordines Sacramenta sint?

Q. II°. An peccet qui tonsuram minoresque ordines suscipit sine animo ascendendi ad superiores ordines vel in clericali statu permanendi?

Q. III°. An qui gravis criminis conscius minores ordines suscipit sacrilegium admittat?

Q. IV°. Quid de Bernardi angoribus?

Quaestionum solutio.

702. — Resp. ad I Q. Tonsura neque ordo est neque Sacramentum, sed caeremonia quaedam ab Ecclesia instituta quasi praeambula ac praeparatoria ad ordines suscipiendos. Hoc ratum est apud omnes (1). De ordinibus minoribus controversa res est. Plures veteres theologi, quos inter eminent SS. Thomas et Bonaventura, Sacramenti rationem iis inesse affirmarunt (2). Plerique tamen, praesertim recentiores, ab hac sententia recessere, thesim suam hoc potissime argumento demonstrantes. Ritus illi Sacramentis accenseri nequeunt, qui divinitus non sunt instituti, namque unius est Dei exterioribus ritibus virtutem adnectere gratiam ex opere operato conferendi. At vero luculentis argumentis conficitur, ante III post Christum saeculum minorum ordinum nullum extitisse in Ecclesia vestigium, eosque in christianorum com-

(1) S. Thomas, III[a], *Supplem.*, q. XL, a. II; Laymann, l. V, tr. IX, c. III, 3; S. Alphonsus, VI, 734. Tonsurae usum ab apostolica traditione acceptum *Catechismus R.*, docet: eiusmodi enim usum SS. Dionysius Areopagita, Hieronymus et Augustinus vetustissimi et gravissimi Patres commemorant. Deinde *Catechismus* rationes profert cur capillorum tonsio ad coronae speciem clericis sit praecepta (p. II, c. VII, n. XXVII-XXXI).

(2) S. Thomas, III[a], *Supplem.*, q. XXXIV, a. II; S. Bonaventura, in IV, *Sent.*, dist. XXIV, a. II, q. IV.

modum fuisse ab Ecclesia institutos. Ergo Sacramenta non sunt. Idque auctoritate firmari potest Urbani II, qui in Beneventano Concilio, anno 1091 habito, diserte ait: *Sacros ordines dicimus diaconatum et presbyteratum; hos quidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse* (1).

703. — Resp. ad II Q. Ex Tridentina Synodo illi clericis non sunt accensendi *de quibus probabilis coniectura est saecularis iudicii fraude, non ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse* (2). Immo *Codex pontificii iuris* haec statuit: *Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum, et quos merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros. Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum* (3). Non audemus tamen asserere eum graviter peccare qui, dolo ac fraude seclusis, inferiores ordines suscipit non destinato adhuc animo ad superiores ascendendi, praesertim si ita se gerat animo serviendi Deo in suscepti ordinis ministerio, aut etiam (quasi per experimentum) se ipsum de divina ad sacerdotium vocatione certiorem faciendi (4). Ceterum praefatus *Codex* haec subdit: *Ordinatus tamen qui superiores ordines recipere recuset, nec potest ab Episcopo ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineatur aliave gravis, iudicio Episcopi, obsit causa* (5).

704. — Resp. ad III Q. Cum probabilissima hodieque communis sententia minores ordines neget esse Sacramenta (6), si quis lethalis criminis conscius iisdem initiatur, gravis sacrilegii damnari nequit; attamen quia et minores ordines sunt sacri ritus, reverenter suscipiantur oportet, proinde levi saltem culpa expers non erit qui lethali gravatus crimine ad eos suscipiendos accedit (7).

705. — Resp. ad IV Q. Bernardus ad tonsuram minoresque ordines ea mente accedens ut clericalis vitae institutum experiretur, etsi vo-

(1) Navarrus, *Enchir.*, c. XXII, 18; Vasquez, disp. 237, c. 2; Sanchez, *De matrim.*, l. VII, disp. XXXI, 17; Voit, II, 995; Collet, *De ordine*, c. V, §§ V et VI; S. Alphonsus, 737; Morin, *De sacra ordinatione*, p. II, exercit. XI, cc. I, et seq.; Franzelin, *De Sacram. in genere*, thesis I; Perrone, *De ordine*, c. II, scholia, 81; Lanzoni, tract., *De ordine*, c. I, a. I; Lehmkuhl, II, 729, qui sententiam hanc hodie *communem* vocat.

(2) *De reform.*, sess. XXIII, c. IV.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 793, § 1, et can. 976.

(4) Sanchez, 16; Laymann, c. VII, 2; La Croix, l. VI, p. II, 2229; S. Alphonsus, 785; Ballerini-Palmieri, tr. *De ordine*, 74, 77; Lehmkuhl, *Casus*, II, 684.

(5) *Codex iuris canonici*, can. cit. § 2.

(6) Hanc sententiam tuentur Vasquez, Morinus, Iuvenin, Tournely, Natalis Alexander, S. Alphonsus, et novissime Franzelin et Perrone, quibus consentit Lanzoni (*De ordine*, c. I, a. I).

(7) Ballerini-Palmieri, 70; Lehmkuhl, 683; Génicot, II, 435.

luntate caruit superiores ordines recipiendi aut Dei servitio se perpetuo consecrandi, graviter non videtur deliquisse et fortasse nec leviter: eoque minus peccasse dicendus si ad divinam vocationem melius explorandam ita se gessit. Attamen a gravi culpa vix eum purgari posse putamus, si unice vel praecipue ne stipendia faceret ad clericalem statum se convertit, nam civitatis leges, dumne patenter iniustae, sine piaculo frangi nequeunt, praeterquam quod ceteris plerumque damnum infert qui militiae oneri fraudulenter se subducit, nisi forte huic oneri cives omnes bene valentes subiiciantur. Minores ordines suscipiens mortalis criminis conscius gravis sacrilegii reatum non incurrit, quia ex communi sententia Sacramentum non suscepit. Neque ordinum collatio ideo irrita est censenda quod Episcopus indignis se eos conferre nolle professus est, haec enim verba ad terrorem tantum proferri solent; si tamen certo constaret, noluisse Episcopum nisi dignis ordines conferre, indignus non reciperet (1). Ceterum a gravi culpa eximi non posset Episcopus nolens nisi dignis ordines conferre, quippe qui contra receptam universim consuetudinem ageret, gravissimisque incommodis occasionem praeberet (2).

IN TRACTATUM

DE MATRIMONIO

CLXXXI.

Victor, negotiationis gratia ad exteras regiones profecturus, Cleliae promittit se post reditum in patriam in matrimonium eam ducturum. Huic promissioni libens annuit Clelia. At Victor, negotiatione peracta et in patriam reversus, promissionem implere recusat, initisque cum Lucina sponsalibus, eam sibi coniugem facit.

Quaeritur I°. Quid sint sponsalia, quaque forma hodie sint ineunda ut valeant, quique eorum effectus?

Q. II°. An in foro interno sponsalia privatim inita obligationem aliquam pariant?

Q. III°. An nuda matrimonii promissio acceptata vinculum aliquod inducat?

Q. IV°. Quid de Victore eiusque promissione, sponsalibus et nuptiis?

(1) S. Alphonsus, 784.
(2) Gury, *Casus*, II, 818.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

706. — RESP. AD I Q. Et I°. quidem sponsalia sic possunt cum Nicolao I paucis definiri: *Futurarum nuptiarum promissa foedera*; vel explicatius: *Mutua futuri matrimonii promissio inter personas iure habiles* (1).

II°. Inspecto iure naturae, nulla sponsalibus indicitur forma: honestae enim promissiones mutuae et acceptatae, quavis ratione ineantur, iustitiae vinculum inducunt, quod sine alieni iuris laesione frangi nequit. At quia ex sponsalibus privatim initis multa et gravia saepenumero incommoda oriebantur, R. Pontifici Pio X optimum factu visum est certam sponsalibus formam praefinire, qua non servata, pro infectis haberentur. Itaque per Decretum *Ne temere*, a S. Congregatione Concilii die 2 augusti anni 1907 datum, duplicem formam ad vim sponsalium necessario servandam edixit, alteram *ordinariam*, *extraordinariam* alteram. En ipsa Decreti verba: *Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus* (haec ordinaria forma). *Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur, et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus de quibus supra, scripturam subsignet* (haec forma extraordinaria). Hoc Decretum in *Codicem pontificii iuris* insertum fuit, cuius praestat statuta referre. § 1: *Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus.* § 2. *Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet.* § 3. *At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam*

(1) Ad firmandam sponsalitiam fidem, ruptam vero puniendam, a remotissima antiquitate arrhae tradi consuevere et annulus (a Tertulliano *pronubus* dictus). Arrhae traditio, quae apud Graecos et Romanos iamdiu obtinebat, vel a primordiis Ecclesiae apud christianos obtinere coepit: nempe resiliens a sponsalitia fide sine probata causa datam amittebat arrham, acceptam vero duplam reddere cogebatur. Ad hunc morem respiciens sancta Agnes, terrenas respuens nuptias ut caelestibus inhiaret, ita tyrannum allocuta est: *Annulo suo subharravit me Dominus meus Iesus Christus et tamquam sponsam decoravit me corona.* Hodie a sacerdote, post acceptum nubentium consensum (ideoque matrimonio iam inito) benedicitur annulus et sponso traditur, qui anulari sponsae digito illum immittit quasi pignus fidelitatis coniugalis servandae. (Vide *Rituale R., De sacram. matrimonii*). Etiam in secundis mulieris nuptiis annuli benedictio non est omittenda. (S. R. C. 27 augusti, an. 1836).

matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur (1).

III°. Plura ex hoc canone eaque magni momenti inferre licet de sponsalium effectibus. 1° Sponsalia ad formam praescriptam inita obligationem inducunt promissum servandi, idest matrimonii ineundi, nisi iusta adsit causa quae obligationem solvat. 2° Sponsalia, etsi valide inita, nullam dant actionem ad matrimonii celebrationem petendam, sed tantum ad damnorum reparationem, si qua debeatur: haec autem actio (ex authentica declaratione) ad *forum mixtum* pertinet, nempe ad ecclesiasticum et civile (2). 3° Promissio matrimonii, non servata canonica forma, nullam etiam in foro conscientiae vim habet neque dat actionem ad damnorum reparationem obtinendam. 4° Nullum posthac ex sponsalibus rite initis oritur canonicum impedimentum seu dirimens, seu impediens (3).

707. — Resp. ad II Q. Ante novi *Codicis* editionem ambigi poterat an etiam in foro interno irrita essent censenda, adeo ut nullam obligationem parerent: nam pontificium Decretum de hoc prorsus silebat. Plerique, rati Ecclesiam ob publicum bonum posse *sociales contractus*, quos vocant, irritos facere, contendebant eiusmodi sponsalibus omnem et in foro conscientiae vim ademptam esse, 1° quia pontificium Decretum forum inter et forum non distinguit; 2° quia sociales contractus in foro externo irriti in interiori quoque irriti censentur; 3° quia secus incommodis adhuc pateret aditus, quibus removendis Decretum conditum fuit; 4° quia S. Congregatio super negotiis extraordinariis die 5 novembris anni 1901 irrita in utroque foro sponsalia declaravit sine publica scriptura in Hispania et America celebrata (4). His contradicebant alii, tum quia non satis constare putabant, velletne Ecclesia naturalem obligationem ex honesta promissione ortam perimere, adeo ut ei qui rem bonam promisit liceret sine probata causa fidem frangere; tum quia Decreti finem satis obtineri arbitrabantur, si in foro exteriori sponsalia sine effectu haberentur. Nullum ambigendi locum novus *Codex* reliquit, diserte statuens canone 1017 superius relato, eiusmodi promissionem *in utroque foro* irritam esse.

708. — Resp. ad III Q. Qui privatis sponsalibus naturalis obligationis adhuc vim tribuebant, eo magis in nuda matrimonii promissione hanc vim inesse rebantur ex iustitia vel fidelitate saltem nascentem. Hodie tamen ex verbis *Codicis* modo relatis certum est, Ecclesiam et in foro conscientiae eiusmodi promissioni omnem vim auferre vo-

(1) *Codex iuris canonici*, can. 1017.

(2) Vide *Acta Apostolicae Sedis*, an. X, vol. X, pag. 345.

(3) Vide Ferrazza, *Gli impedimenti matrimoniali*, c. I et quae de publicae honestatis impedimento nn. 739 et 740 sumus dicturi.

(4) Pezzani, *Commentarium*, n. 36; Tanquerey, *De Sacramentis*, 949; Zaninetti, 2954; Lehmkuhl, II, 843.

luisse. At si forte per dolum vel fraudem altera pars fuerit ab altera decepta, procul dubio iniuria et damnum innocenti illata sarcienda sunt (1). Idque *Codex* ipse confirmat aiens: *Datur tamen actio, ad reparationem damnorum, si qua debeatur* (2). Et si damnum nisi per matrimonium reparari nequeat (ut puta si femina dellorata fuerit) obligatio esse potest illud contrahendi (3).

709. — Resp. ad IV Q. Post haec palam est, nullo conscientiae vinculo Victorem teneri nuptias cum Clelia ineundi, propterea ad sponsalia et nuptias cum Lucina licite transire potuisse. Verumtamen iniuriam et damna, si qua intulit Cleliae, omnino reficiat oportet: omne enim ius laesum instaurandum esse, ipsa naturae lex clamat (4). Et si damnum reparari nequeat nisi per matrimonium, obligatio adesse potest illud contrahendi (5).

CLXXXII.

Ubaldus, post sponsalitiam fidem Verecundae datam, nuptias cum Symphorosa magis sibi convenire putans, cum ea sponsalia init firmatque iuramento et carnali copula, ob quam Symphorosa prolem concipit.

Quaeritur I°. An Ubaldus cum Symphorosa rem habens in iustitiam peccaverit?

Q. II°. Utram ex duabus sponsis ducere debeat?

Q. III°. An, nuptiis cum alterutra celebratis, alteri quidquam debeat?

Quaestionum solutio.

710. — Resp. ad I Q. Quaestio quam expediendam aggredimur haec est: an sponsalia utrique contrahenti ius tribuant, nedum matrimonium sibi promissum exigendi, sed ne altera pars extraneo copiam sui corporis faciat, ita ut si alteri se commisceat in iustitiam offendat. Plerumque theologi quaestionem hanc sic solent efferre: an sponsorum fornicatio specialem iniustitiae pravitatem imbuat. Tres sunt hac de re sententiae, quas Lugo et S. Alphonsus probabiles rentur: prior utrique sponso, altera sponsae dumtaxat ius denegat, tertia utrique tribuit (6). Postremae sententiae subscribimus, quam magis receptam ac

(1) Lehmkuhl, l. c.; Génicot, I, 569, II, 411; Sebastiani (*Summarium*, 532), qui docent promittentem obligatione etiam gravi quandoque teneri promissum servandi si, eo non servato, gravia alteri parti damna contingerent; secus ex fidelitate, quae sub levi obligationem inducit promissionem servandi.

(2) *Codex iuris canonici*, can. 1017, § 3.

(3) Pighi, *De Sacram. Matrimonii*, n. 10.

(4) Videsis Rosmini, *Diritto*, vol. II, 1108.

(5) Pighi, *De Sacramento Matrimonii*, n. 10.

(6) Lugo, *De Poenitentia*, disp. XVI, 178; S. Alphonsus, VI, 847.

probabiliorem putamus (1). Re enim vera, per sponsalitiam promissionem utraque pars ius acquirit ne altera cuipiam sui corporis usum per matrimonium tradat; hoc autem ius videtur exposcere ne corporis usus tradatur alteri per fornicationem quae semper foedissima est. Praeterea, etsi sponsalia ius *in re* contrahentibus non conferunt, ius tamen conferunt *ad rem*, nempe ad corporis usum per nuptias consequendum; porro ius habens ad rem, ius etiam habet ne res ante deterior fiat quam sibi tradatur; per fornicationem autem corpus seu persona fornicantis deterioris conditionis efficitur. Ad haec, nonne apud theologos iurisque peritos tralatitium est, alterutro sponsorum fornicante, alteram partem sponsalium obligatione liberari, quia *frangenti fidem non est fides servanda?* At si fides est rupta, iam iustitia violata est. Demum thesis nostra confirmari potest ex ipsa conscientia seu persuasione sui iuris quae in parte innocente inest et manifestatur per illum displicentiae sensum quem philosophi italice appellant *risentimento giuridico*, quique violati iuris index et testimonium existit (2). Ex his iam licet concludere, Ubaldum cum Symphorosa rem habendo in iustitiam peccasse. Argumenta quibus thesis nostra conficitur gravem (ni fallimur) in utroque sponso alterius ius violante iniustitiam evincunt, propterea non consentimus cum Génicot (II, 445) qui ob extrinsecam doctorum auctoritatem probabile retur levem esse. An graviter iustitiam laeserit vel minus, non satis constat ex diversa theologorum sententia (3).

711. — Resp. ad II Q. Sponsalia irrita nequeunt per iuramentum convalescere, nam *iuramentum non est vinculum iniquitatis* (4). Eo minus per copulam firmari queunt, etenim ius e prioribus sponsalibus ortum non aufertur per iniuriam iisdem factam (5). Quandoque caritas parti laesae suadere potest de iure suo concedat ad grave alterius damnum praecavendum, puta infamiam vel scandalum: *quandoque*, inquimus, quia cum gravi incommodo caritas non obligat (6). Patet itaque Ubaldum Verecundam debere sibi coniugem ducere, nisi de iure suo ipsa sponte remittat.

(1) Laymann, l. V, tr. X, p. I, c. I, 6; Alasia, c. V, a. II, 39; Billuart, diss. II, a. IV; Voit, II, 1168; Carrière, *De matrim.*, 367; Aichner, § 160; D'Annibale, III, 512; Tanquerey, 959; Ballerini-Palmieri, tr. *De matrimonio*, 165-191; Bucceroni, *De matrimonio*, I, 932; Génicot, II, 445.

(2) Vide Rosmini, *Diritto*, I, 581, 582, 638.

(3) Censet D'Annibale iniuriam in femina gravem esse, in viro levem; Génicot levem in utroque: nonne dicenda in utroque gravis?

(4) C. *Quemadmodum*, *De iureiurando*.

(5) Sanchez, *De matrim.*, l. I, disp. XLIX, 5; L, 2; Navarrus, *Enchir.*, c. XXII, 26; Laymann, 5; Sporer, p. IV, c. I, 265, 266, 268; La Croix, l. VI, p. III, 74; S. Alphonsus, 848; Tanquerey, 960.

(6) Sanchez, disp. XLIX, 6; Sporer, La Croix, S. Alphonsus, ll. cc.

712. — Resp. ad III Q. Si cum Symphorosa nuptias ineat, debet Ubaldus ex iustitia iniuriam et damna Verecundae illata reficere, veniam petendo, augendo dotem (si opus fuerit), curando ut nuptias sibi convenientes inveniat aliave ratione (prout rerum adiuncta postulaverint); praeterea arrhas, si quas accepit, reddat oportet, datasque non repetat. Quod si Verecundam in matrimonium ducat, videndum an Symphorosa priorum sponsalium conscia in sui copiam Ubaldo praestandam libere consensit, vel ignara aut decepta; si primum damna sibi imputet ex suo crimine obvenientia; si alterum, debet Ubaldus iniuriam et damna sarcire, quemadmodum de Verecunda in priore hypothesi diximus, insuper et nasciturae prolis alendae expensas sustinere.

CLXXXIII.

Tarsillae, ob proximam viri mortem lacrimanti, pollicetur Philippus se eam vix orbatam viro in matrimonium ducturam. Serenatur Tarsilla (muliebri lacrima nil citius arescit) et Philippo libens consentit. At vix Tarsilla viro presserat oculos, en Lucretius contendens sponsalitiam fidem ante priores nuptias sibi obligatam nunc demum, quia potest, solvat.

Quaeritur I°. An sponsalia a coniugatis inita sint valida?

Q. II°. An per nuptias cum tertia persona contractas sponsalia dissuantur?

Q. III°. Utri Tarsilla debeat se uxorem dare?

Quaestionum solutio.

713. — Resp. ad I Q. Eiusmodi sponsalia indecora prorsus sunt et turpia, proinde illicita; praeterea cum inita sint inter personas ad matrimonium coeundum inhabiles, ipso iure irrita censentur (1).

714. — Resp. ad II Q. Certum est, obligationem sponsalium matrimonio durante cessare. An vero obligatio haec per matrimonium auferatur penitus, in disceptationem venit. Namque affirmant quidam, contendentes matrimonii vinculum, quippe quod natura sua perpetuum est fortiusque vinculo sponsalium, horum obligationem solvere (2). Verum contraria sententia probabilior nobis est: etenim cum matrimonii vinculum per coniugis mortem solvi possit, universim perpetuum dici nequit; quapropter, matrimonio durante, sponsalium obligatio quasi in suspenso manet ob temporaneum matrimonii impedi-

(1) Cap. *De eo qui duxit in matrimonium*; Lambertini, *Casus*, an. mdccxlix, mense ianuarii, Cas. I; Bouvier, *De matrim.*, c. II, a. I; Gury, *Casus*, II, 842; D'Annibale, II, 300, nota 11; III, 505.

(2) Laymann, l. V, tr. X, p. I, c. 22; Sanchez, l. I, disp. XIV, 2; Ballerini, ad Gury, II, 733 et *Op. theol. morale*, tr. *De matrimonio*, 264-274; Génicot, II, 446.

mentum; hoc autem remoto, robore suo constat. Quamobrem putamus innocenti fas esse sponsalium implementum urgere (1).

715. — Resp. ad III Q. Dicimus in primis, Philippi in promissione sponsalium vim non inesse, tum quia etsi Tarsilla consensit, non tamen repromisit, deficiente autem repromissione sponsalia non constant; tum quia promissio verbo tenus facta post Decretum *Ne temere* vim sponsalium non habet; tum quia etiamsi per scripturam debita forma exaratam Philippus matrimonium spopondisset, adhuc irrita fuissent sponsalia quippe quae inter personas inhabiles coiri nequeunt. Nulla ergo obligatione nubendi Philippo Tarsilla tenetur. Contra, matrimonii vinculo per viri obitum resoluto, sponsalia cum Lucretio revivisscre putamus, cui (nisi aliud obsit) Tarsilla se nuptui dare debet.

CLXXXIV.

Theresia cum Augusto consobrino suo sponsalia contraxit, hac duplici conditione adiecta, *Nisi pater meus intra annum dissenserit* et *Si ab impedimento Sedes Apostolica dispensaverit*. At cum antequam laberetur annus Theresiae pater cessisset e vita, necdum petita fuisset dispensatio, sponsalitiam fidem Theresia Raymundo obligavit.

Quaeritur I°. Quid censendum de prioribus Theresiae sponsalibus, priore conditione inspecta?

Q. II°. Quid altera inspecta conditione?

Q. III°. An fidem suam Raymundo Theresia obligare potuerit?

Q. IV°. Utri debeat se nuptui dare?

Quaestionum solutio.

716. — Ad dicendorum intelligentiam quaedam praenotanda. Conditio quae sponsalibus apponi solet in *resolutivam* et *suspensivam* diducitur: illa efficit ut mutua promissio ab initio valida, impleta conditione, desinat; haec ut promissio ab initio non valida, conditione impleta, valere incipiat. Aliis verbis: illa vix impleta sponsalium vinculum solvit; haec sponsalium vinculum in suspenso relinquit donec impleatur, impleta autem firmat. Sit utriusque conditionis exemplum: *Nubam tecum nisi parentes dissenserint*, en conditio resolutiva; *Nubam tecum modo parentes consenserint*, en conditio suspensiva (2). Hisce positis, tutiori pede ad propositas quaestiones solvendas gradiamur.

717. — Resp. ad I Q. Prior conditio Theresiae sponsalibus adiecta resolutiva est, nempe adiecta censetur ad sponsalia rescindenda, si

(1) S. Alphonsus (cum Pontas et Roncaglia), VI, 875; Bouvier, a. III; Lambertini, l. c., Cas. II; Gury, II, 733 et *Casus*, II, 844; Billuart, diss. II, a. V.

(2) Aichner, § 161; Lehmkuhl, I, 1268; D'Annibale, I, 41.

forte pater matrimonium cum Augusto aegre tulisset. Iamvero cum pater obierit, proindeque dissentire non valeat, conditio cadit et sponsalia suo robore stant (1).

718. — Resp. ad II Q. Altera conditio suspensiva est, nempe sponsalium vinculum in suspenso tenet, donicum per dispensationem impedimentum removeatur quo sponsi a nuptiis coeundis tamquam inhabiles repelluntur. Equidem plures iique graves doctores eiusmodi sponsalia quasi illicita et irrita prorsus respuunt, quippe quae inter personas ad matrimonium inhabiles inita sunt : propterea nullam ex illis obligationem oriri contendunt, adeo ut utrique contrahenti liceat ab eis pro libitu resilire, et etiam post obtentam dispensationem novo consensu opus sit ut sponsalia constent (2). Verum, si de impedimento agatur a quo solet dispensatio dari adsitque dispensandi causa, contraria sententia omnino tenenda nobis videtur. Sane, quamvis matrimonium spondentes in praesenti ad illud contrahendum sint inhabiles, non ideo inhabiles dicendi sunt ad promittendum illud eo tempore celebrandum quo habiles per dispensationem fient. Aliis verbis: quemadmodum dispensatio licitas facit nuptias, ita clausula dispensationis obtinendae licitam facit nuptiarum promissionem. Quis enim dixerit malum esse nuptias cum consanguinea avere, eo tamen pacto ut dispensatio obtineatur? Si autem avere licet, cur non licebit promittere? In hac sententia debent qui sibi mutuo matrimonium spoponderunt dispensationem expectare ad tempus praestitutum vel (ubi nullum praestitutum fuerit) ad tempus conveniens; dispensatione autem obtenta, promissio in absolutam transit quin novus eliciendus sit consensus (3). Opponet fortasse quispiam, hanc sententiam cum illis pugnare quae paulo superius locuti sumus (n. 713), quum tamquam illicita atque irrita respuenda diximus sponsalia vivente coniuge a coniugatis inita sub ea conditione, *Si coniux obierit*. — Verum huiusmodi repugnantiam nullatenus extare facile perspiciet qui animadverterit, coniugatorum sponsalia indecora esse et turpia, tum quia non sine aliqua viventis coniugis iniuria fiunt, tum quia periculo saltem eius mortem optandi spondentes obiiciunt; contra in sponsalibus sub conditione dispensationem obtinendi initis nihil prorsus inest indecori aut inhonesti.

(1) Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxv, mense februarii.

(2) Plures veteres theologi quos citat Sanchez, Diana, et e recentioribus Gury, II, 725; Aichner, § 159; Berardi, De Luca, Giraldi aliique quos citat Aichner.

(3) Sanchez, *De matrim.*, l. V, disp. V, 12; Laymann, l. V, tr. X, p. II, c. VIII, 4; Sporer, p. IV, c. I, 215, 216; La Croix, l. VI, p. III, 84; Lambertini, *Casus*, an. mdccxlix, mense decembris; S. Alphonsus, III, 650; VI, 843, 859; Bouvier, c. II, a. I; Ballerini ad Gury, II, 725 et *Op. theol. mor.*, tr. *De matrim.*, 99-104; Tanquerey, 953; D'Annibale, III, 508; Costantini, 857; Bucceroni, *De matrimonio*, I, 925; Génicot, II, 442.

719. Resp. ad III Q. Nequaquam, fidem namque suam Raymundo Theresia obligare non poterat quin fidem falleret Augusto datam: quocirca posteriora sponsalia nedum illicita, irrita sunt habenda, quippe de re alteri antea promissa eique praestanda, conditione vix expleta. Excipe si ob diuturnam moram atque culpabilem dispensatio ab Augusto obtenta non fuerit.

720. — Resp. ad IV Q. Post dicta perspicuum est, Theresiam Augusto fidem suam exsolvere debere, refectis Raymundo damnis quae forte illi obvenerint, arrhisque restitutis quas ab eodem forte acceperit. Excipe si opportuno tempore ob Augusti culpam dispensatio petita non fuerit, in tali enim eventu de iure suo Augustus decidisse censetur.

CLXXXV.

Camilla proxime matrimonium initura parocho suo confitetur, a sponso se virginem putari quum saepius fornicata sit, semel etiam prolem pepererit quam brephotrophio alendam tradidit, immo et in praesenti ab aliquot mensibus uterum gerat. Haeret parochus aliquantisper, demum Camillam absolutione donandam ac dimittendam retur ut matrimonium contrahat.

Quaeritur I°. An et quos defectus debeant sponsi sibi invicem manifestare?

Q. II°. An et quando, defectibus cognitis, fas sit sponsalia dissuere?

Q. III°. Rectene parochus se gesserit?

Quaestionum solutio.

721. — Resp. ad I Q. Communis sententia est, ea vitia esse a sponsis invicem aperienda quae nuptias probrosas, noxias aut valde onerosas efficiunt; veluti si alteruter phthisi, morbo gallico vel comitiali, lepra, aliove contagioso morbo laboret ante matrimonium insanabili; si vir obaeratus sit vel ignominia notatus, vel acatholicae societati adscriptus; si femina sterilitatis venena sumpserit vel sit praegnans. Sane incontroversum est, eos contra iustitiam offendere qui in contractibus ineundis grave contrahentibus inferunt damnum, rei vitia silendo quae noxiam vel ineptam eam faciunt. Quare vel illa vitia manifestanda sunt, vel a matrimonio recedendum. Quod si vitia sint eiusmodi quae nuptias tantum minus expetibiles faciunt, reticeri sine iniustitia possunt, ut puta si alteruter levi corporis animive defectu laboret, si vir ad iram sit pronus, si femina humili loco nata, parum dives, corrupta: in humanis enim contractibus receptum est ut eiusmodi defectus reticeantur; praeterea nemo cogendus ad infamandum seipsum quum ex silentio suo nemini detrimentum obveniat. Excipe si defectus immunitas in pactum deducta fuerit, v. c.: *Nuptias tecum inire promitto si dives, si virgo, si nobilis es.* Item si altera pars ex-

presse ab altera interrogetur : mentiri enim et quempiam decipere non licet ; quamquam liceret defectum dissimulare aut aliqua aequivocatione tegere, si infamiae periculum ex eius manifestatione immineret. Ceterum ex caritate saltem detegendus esset defectus, quo postea cognito, malus nuptiarum exitus, iurgia, scandala metuerentur, secus a nuptiis abstinendum (1).

722. Resp. ad II Q. Quum defectibus praecognitis sponsalia inita non fuissent, fas est ea dissuere, error enim adest inficiens consensum. Item si talis defectus sponsalibus initis supervenerit, qui, si praecessisset, sponsalia non fuissent inita : quippe in sponsalitia promissione haec subest tacita conditio, *Dumne res notabiliter mutentur* ; talis autem adiunctorum mutatio consensum aufert aut revocabilem facit, quia nuptiae benevolentia auspicari et coiri debent (2).

723. — Resp. ad III Q. Neque ad virginitatem amissam neque ad prolem susceptam sponso manifestandam Camilla adigi potest, haec enim noxias non faciunt nuptias : excipe si prudens timor aderat, ne hisce vitiis detectis scandala, dissensiones, rixae aliave id genus mala deinceps orirentur, vel si susceptam prolem alere de suo nequiret. Contra debuisset sponso graviditatem aperire, ne alienam prolem ab ipso alendam in domum inferret, aut, praetexta aliqua causa, a matrimonio recedere : secus auctrix esset iniusti damni viro ac liberis a matrimonio nascituris. Excipiunt quidam si sponsa, iam instantibus nuptiis, sine sui infamia rem aperire non posset, non enim cum tanto suae famae detrimento obliganda videtur ad temporale sponsi damnum praecavendum (3). Haec omnia parochus considerate expendere debuisset antequam ad ineundas nuptias Camillam dimitteret.

CLXXXVI.

Turnus, spe ductus matrimonium cum Tarsilla ineundi, saepius eam invisit. Tarsilla, ne Turni animum avertat, se comem praebet, quandoque osculum recipit quasi abeuntis salutationem redditque danti ; quamvis autem nullum ipsa peccatum admittat, pravis interdum vexatur cogitationibus, timetque ne Turnus in peccata interiora labatur. Confessario absolutionem impertire renuenti Tarsilla respondet, se nullo iis in adiunctis peccato foedari, atque ita se gerere ad congruas

(1) Sanchez, *De matrim.*, l. VI, disp. XXVII, 8-10 ; Sporer, p. IV, c. I, 286 ; La Croix, l. VI, p. III, 181, 182 ; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. XIV, 48, addit. III ; S. Alphonsus, VI, 864 ; Bouvier, c. II, a. III, q. 4 ; Voit, II, 1164 ; D'Annibale, III, 507, nota 16 ; Pighi, *De Sacramento Matrimonii*, n. 21 ; Génicot, II, 443 ; Ferreres, 899.

(2) Laymann, l. V, tr. X, p. I, c. II, 18, 19 ; La Croix, 177 ; S. Alphonsus, 863 ; Tanquerey, 964 ; Pighi, l. c. ; Génicot, 447 ; Cerato, *Matrimonium*, 6.

(3) S. Alphonsus, 865 ; Gury, *Casus*, II, 870 ; Ballerini-Palmieri, tr. *De matrim.*, 324.

sibi nuptias comparandas. At reponens confessarius, nec sibi nec alteri ansam peccati praebendam esse, eam absolvere detrectat.

Quaeritur I°. Liceatne iuvenibus diversi sexus futuri coniugii spe se invicem invisere?

Q. II°. An Tarsillae liceat domi Turnum excipere illumque osculari?

Q. III°. Quid de confessarii agendi ratione?

Quaestionum solutio.

724. — Resp. ad I Q. Licet iuvenibus diversi sexus solida spe ductis futuri sibique convenientis matrimonii se invicem invisere, modo cautiones quaedam adhibeantur. Et sane, cum matrimonii foedus individuam perpetuamque vitae consuetudinem afferat, stulte atque inepte quispiam contenderet illud a iuvenibus prius ineundum esse quam alter alterius ingenium, mores animique sensus plane cognoscat. At, sodes, quomodo cognoscent qui nunquam una versati sunt? Diximus, *solida spe ductis futuri sibique convenientis matrimonii*, idest quum non inanis utrinque spes affulget congruas ineundi nuptias, quae tamen ad longum tempus (nempe non ultra annum) non sint differendae: hos enim congressus, quibus multum inest periculi, haec una causa honestare valet. Quapropter nervis omnibus contendendum ut morem illum heu nimis late grassantem deleamus, quo interdiu noctuque iuvenes puellaeque procaces eo dumtaxat conveniunt ut genio indulgeant et amatoria voluptate fruantur: quae enim quantaque labes inde in rem publicam derivetur nemo sanus ignorat. Diximus etiam, *modo cautiones quaedam adhibeantur*, scilicet ad quodvis peccandi periculum removendum. Quocirca curandum ut hi conventus raro admodum fiant (nimirum quatenus tantum opus est ut finis honestus quem supra innuimus obtineatur), neque in multam horam producantur, neque e conspectu alterutrius parentis vel saltem alicuius testis pii et gravis; praeterea in omnibus modestia servetur et modus, haec quippe pudori et castitati debentur repagula (1).

725. — Resp. ad II Q. Perspicuitatis gratia tria singillatim quaeremus: 1° An Tarsillae liceat Turnum domi excipere; 2° an liceat sponsis seu nupturientibus oscula miscere; 3° an hoc Tarsillae liceat?

I°. Priori quaestioni responsio post dicta in promptu est, nempe Tarsillae licet speratum suum excipere, si ad congruas probabiles neque diu differendas nuptias id faciat; non tamen saepius, uti consuetum habet, sed raro nec sine arbitris et ea qua decet castimonia.

(1) Roncaglia (apud S. Alphonsum, VI, 452, qui perquam rigidus vix semel aut iterum has visitationes permittit); Gousset, II, 566; Scavini, III, 461; Gury, *Casus*, II, 695; Frassinetti, II, nota, 145; Tanquerey, 971; Costantini, 292; Malacrida, *Avvertenze di S. Carlo per i confessori* (ad n. 47); Génicot, I, 410.

IIo. Ardua quaestio est et implexa quae de osculis instituitur. Illud in primis tenendum, oscula (de pudicis loquimur) non esse in se ipsis mala, secus nunquam licerent neque inter parentes, coniuges et amicos: hinc receptum est, iusta accedente causa, veluti moris patrii, sponsis ceterisque ad commiscenda corpora aptis ea licere, modo obiter nec nimio studio impressa, etiamsi motus aliquis inordinatus aut venerea delectatio subrepat invitis (1). Quae doctrina in eo niti videtur, quod mos patrius periculum submovere censetur, tum quia ex contrito vetustate proverbio *ab assuetis non fit passio,* tum quia inurbanitatis nota ei inureretur qui patrium morem neque inhonestum detrectaret. An vero sponsis oscula sint concessa quae praeter patriae morem fiunt ad delectationem quam *sensibilem* vocant capiendam (cuiusmodi ea est quae ex tactu rei blandae percipitur), vel ad mutuum amorem fovendum, quaestionis est. Alii culpa saltem lethali haec oscula vacare contendunt: nam sponsalia (ita ipsi) inchoatum ad copulam ius tribuunt, quare sine grandi piaculo fas est sponsis quamdam coniugii voluptatem osculo antecapere: quod si mutuae honestaeque benevolentiae augendae accedat causa, et levis adimitur culpa (2). Verum omnino cum S. Alphonso tenendum, huiusmodi oscula praeter morem patriae habita vix unquam gravi peccato carere (3). Sane argumentum adversariorum potissimum labili nititur fundamento: nam vi pactae fidei habent quidem sponsi ius aliquod *ad rem,* nullum vero in *re:* cum autem ius in re dumtaxat potestatem conferat utendi re tamquam sua, propterea sponsi hoc in negotio perinde se habent ac ceteri innupti. Atvero licentne innuptis haec oscula? Speculativa quaestione sepositа, apud pragmaticos homines id ratum est, personas corporibus commiscendis aptas ea oscula iungentes vix unquam a mortali peccato excusari; cum enim post Adae peccatum omnes ad libidinem proni nascantur, compertum habemus delectationem sensibilem hisce ex osculis haustam ad veneream tam cito dilabi, ut altera ab altera seiungi vix queat (4). Quapropter cum oscula ob

(1) S. Thomas, IIª IIæ, q. CLIV, a. IV; Sanchez, l. IX, disp. XLVI, 3; Viva, in prop. XL Alexandri VII, n. XV; Sporer, p. IV, c. III, 680; La Croix, l. VI, p. III, 151; Billuart, *De temperantia*, diss. VI, a. XVII; Scavini et Costantini, ll. cc.; D'Annibale, II, 68; Gousset, I, 641; Lehmkuhl, I, 1036; Tanquerey, 972.

(2) Caietanus in loc. cit.; S. Thomae; Sanchez, 47, quibus accedunt aliquatenus Ballerini ad Gury, I, 413; Ferreres, *Epitome*, 284 (quovis tamen affectu libidinisque periculo secluso) et Génicot, I, 407.

(3) S. Alphonsus, 854. Videndus Vermeersch (*De castitate*, 293-297) qui fuse hanc quaestionem prosequitur, cuique S. Alphonsus nimis severus videtur.

(4) Caietanus cum S. Thoma, l. c.; Sanchez, 73; Sporer, 687; La Croix, l. c.; S. Alphonsus, III, 418; D'Annibale, III, 512. De triplici affectionum genere (nempe de *sensibili*, *sensuali* et *sexuali*) vide quae Rosminius disserit in opere *Del Diritto*, vol. II, nn. 1041-1055.

sensibilem delectationem data et accepta ad turpes motus ciendos nata videantur, ideoque proximum importent peccandi periculum, innuptis etsi sponsalium vinculo obstrictis non sunt permittenda. Neque ad ea honestanda sufficit benevolentiae causa, tum quia hac non minuitur sed magis augetur periculum, tum quia alia honesta ratione fas est sponsis benevolentiam suam invicem patefacere et caste fovere (1).

III°. Sedulo omnia consideranti Tarsilla osculo Turnum dimittens peccati expers videtur. Re enim vera, se comem praebet *ne Turni animum avertat, osculum quandoque excipit quasi salutationem abeuntis*, quae verba patrium morem honestumque finem innuunt. Eapropter, etsi consultius est et tutius ut ab osculis se sustineat, non erit tamen hoc uno ex capite damnanda. Verum hic mos, ubi non obtinet, ne facile fingatur. — Quid quod interdum Tarsilla pravis vexatur cogitationibus? — Cum rei licitae det operam, etsi forte venerea delectatio subest, modo consensus absit vel eiusdem proximum periculum, non erit culpanda (2). — At timet ne Turnus in peccata interiora labatur. — De prudenti timore loquimur, inanis enim contemnendus. Porro hic in quaestionem incidimus de materiali, ut aiunt, opera collata peccanti. Quae ut liceat, oportet bonus sit vel saltem indifferens actus ab eo usurpandus qui operam confert, causaque operae praestandae eo gravior sit quo gravius est alienum peccatum et propinquior opera conferenda: hinc enim aliena voluntas non tua malum operatur; illinc caritas, quae iubet aliena cavere peccata, non te urget cum gravi incommodo (3). Quamobrem, perpensis omnibus, necdum Tarsillam audemus damnare: nam eius actio, osculum scilicet, malum non est, satque idonea adest causa illam praestandi, si congruae nuptiae in discrimen revera adducantur; demum, cum Turni peccatum sit incertum, ipsa collata opera incerta est (4).

726. — Resp. ad III Q. Quamquam plura sunt quae Tarsillae, habita praesertim patrii moris ratione, prohiberi nequeunt, si tamen ipsa conveniendi frequentiam minuere et tradita sibi monita servare ad amussim recusaverit, recte confessarius se gessit eam non absolvens. Ei enim, quippe qui iudicis ac medici partes agit, in id toto pectore incumbendum ut poenitentem, dilata aut etiam negata absolutione, a proximo peccandi periculo deterreat. At vero (in ea praesertim materia in qua versamur, agitur enim de vitio omnium periculosissimo vitando, quod non inscite *lubricum* appellatur) rigidioribus inhaerendum esse sententiis, quum benigniores facilius poenitentem peccandi

(1) Plura hac de re tibi suggerent *Vindiciae Alphonsianae*, p. III, qq. XIII et XIV.

(2) S. Alphonsus, III, 417.

(3) S. Alphonsus, II, 63. Recole quae scripsimus, nn. 11-12.

(4) Gury, *Casus*, II, 696: Lambertini, *Casus*, an. mdccxlii, mense octobris.

periculo obiectant, sapientissimi quique docent (1). Utinam confessarii omnes doctrinam hanc religiose custodirent! Etenim, si verum est quod S. Alphonsus asserere non dubitat, *ob hoc unum impudicitiae vitium aut saltem non sine eo omnes damnari quotquot damnantur* (2), videndum ne oscitantia nostra, aut socordia, aut falsa benignitate ii pereant quos severior agendi ratio e vitiis ereptos ad salutis viam adduxisset.

CLXXXVII.

Aurelia puella in sacrarum virginum coenobio seipsam Deo dicare constituit: at parentes renuunt, dotem illi denegantes nisi nuptui se tradat. Quid illa? A Clemente sacerdote edocta in id consilii venit ut Valerium, probatis moribus iuvenem ac locupletem, sibi copularet coniugio, ea tamen lege ut, utroque iura abdicante ex nuptiali foedere manantia, liceret Aureliae post quindecim dies in claustrum ad religiosa vota se recipere. Nuptiae celebrantur: at stato tempore elapso, Aurelia eas dissolvere reluctat, urgetque virum coniugii sibi praestet obsequia. Valerius, cum neque suasione neque precibus feminam a proposito dimovere posset, Clementem adit gravibusque verbis ruptam sibi fidem conqueritur. Quem solaturus sic Clemens alloquitur: « Vis te nuptiali vinculo expedire? claustrum ingredere ibique religiosa vota solemniter nuncupa, hac ratione omne negotium conficies ».

Quaeritur I°. Quid de vi matrimonii Aureliae et Valerii?

Q. II°. Quid de utroque Clementis consilio?

Quaestionum solutio.

727. — Resp. ad I Q. *Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur*, ita Gregorius IX, *matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu* (3). Jamvero, etsi coniugii usus ad eius essentiam non pertinet [nam *nuptias non concubitus sed consensus facit* (4)], atque ideo probabilis est opinio docentium, valere coniugium cum pacto non coeundi celebratum; ius tamen coeundi ad coniugii essentiam spectare indubium est. Sane ius illud quod ultro citroque a nubentibus traditur, et in quod quasi in materiam contractus fertur eorum consensus, nihil aliud est nisi ius in corpus quod alter alteri invicem tradit, idest ius coeundi. Quod adeo verum est ut, dempta ante matrimonium coeundi potentia, quia coeundi ius amplius tradi nequit, ipso iure naturae matrimonium irritum cedat. Cum igitur coeundi ius ad coniugii essentiam pertineat, huiusce iuris abdicatio nuptiali pacto

(1) S. Alphonsus, VI, 456; Segneri, *Il confessore istruito*, c. I. Confer opusc. *De regulis*, un. 42-43.

(2) S. Alphonsus, l. III, 413.

(3) Cap. *Si conditiones*, VII, *De condit. appositis.*

(4) Ulpianus, *Dig.* lib. I, tit. XVII, 30.

inserta nuptias omnino irritas faciat necesse est. Haec doctrina, quae unum fortasse Pontium obtrectatorem habuit, communis est et certa Paulique verbis innititur: *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir; similiter et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier* (1), et in novissimo *Iuris Canonici Codice* hoc canone firmatur: *Si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit* (2). Qua doctrina posita, iam patet quid de Aureliae et Valerii matrimonio sentiendum. Cum enim quovis iure ex coniugali foedere manante se invicem in antecessum abdicarint, consequitur et coeundi iure se abdicare voluisse; quapropter eorum matrimonium ob adnexam conditionem coniugii essentiae repugnantem pro infecto habendum est.

728. — Resp. ad II Q. Stultum profecto itemque sacrilegum consilium fuit quo Clemens, ut Aureliae dotem compararet, Sacramenti simulationem suadere non est veritus: quippe Sacramenta simulare nullo unquam pacto fas est. Fortasse Clementis in animo fuit id unum suadere nubentibus, ut coniugii usui, non coeundi iuri, nuncium darent; verum ne id quoque fuisset probandum, cum ob incontinentiae periculum quod huiusmodi coniugium nubentibus creat, tum quia utrum valeat necne matrimonium ea pactione initum non immerito ambigitur, nam graves doctores, qui S. Congregationis Concilii responsum sibi suffragari existimant, illud valere inficiantur (3). Nec minorem redolet insipientiam Clementis consilium Valerio datum: etenim, praeter-

(1) I *Cor.* VII, 4; S. Thomas, in IV *Sent.* dist. XXVIII, q. unic., a. IV, ad 3^{um}; Vasquez, in 3 p., disp. CXXV, c. VII, 79; Sanchez, l. II, disp. XXVIII, 3; Schmalzgrueber, l. IV, tit. I, 262; Benedictus XIV, *De Synodo,* l. XIII, c. XXIII; S. Alphonsus, VI, 891; Carrière, *De matrim.*, 27; Génicot, II, 459bis; Sebastiani, *Summarium,* 526; Rosmini, *Diritto,* II, 1093-1098.

(2) *Codex iuris canonici,* 1086, § 2.

(3) S. Thomas, in IV *Sent.* dist. XXX, q. II, a. I; Sanchez, l. V, disp. X; Schmalzgrueber, l. IV, tit. V, 119 et seq.; Laymann, *De matrim.*, c. VIII, 9; Storer, *De matrim.*, 341; D'Annibale, III, 443, nota 4. Sacrae Congregationis responsum excribit Benedictus XIV, *De Synodo*, l. c. Nos tamen iis adhaeremus qui matrimonium eiusmodi, virginitatis voto non obstante, validum esse contendunt, tum quia matrimonii essentia per tale votum non inficitur quae in animorum magis quam in corporum coniunctione sita est, tum quia praeclarum nobis exemplum suppeditat B. Virginis cum S. Joseph coniugium, quod verum matrimonium fuisse nemini dubitare licet. Vide sis Lehmkuhl, II, 882; Génicot, II, 459bis; Voit, I, II, 1192; Rosmini, *Diritto*, II, 1093-1098; Lanzoni, *Compendium theologiae dogmaticae*, tr. *De Deo Redemptore*, p. I, c. VI, Scholion *De voto virginitatis et matrimonio B. Virginis cum B. Ioseph*; Ferreres, *Epitome*, 946; Sebastiani, 726. Sacrae Congregationis responsum ad rem non effertur, non enim de matrimonii *usu* tantum quaestio erat, sed de ipso *coeundi iure* abdicando.

quam quod afflante Numine, non humana suasione, ad religiosa vota homo est pervehendus, nequaquam opus erat solemnia nuncupare vota ad matrimonium solvendum quod nunquam constiterat.

Vide ergo, Clemens, ne consiliarii munus posthac unquam suscipias, cum adeo consilii inopem te probaveris: quod si studio flagras dicandi puellas Deo (quod optimum studium est), illud potissimum cave, ne per coniugii semitas ad coenobii septa quampiam adducere nitaris.

CLXXXVIII.

Amadeus parochus, cum in eo esset ut sponsos nuptiali foedere iungeret, animadvertit eosdem dirimente impedimento vinciri quod latet omnes praeter ipsos sponsos. Quid consilii capiet? Iunget eos? impedimentum obstat. Dimittet? admiratio aderit, murmura, scandalum.

Quaeritur, quid hisce in adiunctis parocho sit agendum?

Quaestionis solutio.

729. — Praestat nonnulla praefari, sive ut ab incertis certa internoscere valeamus, sive ut suis limitibus quaestio nostra coerceatur. 1°. Matrimonii impedimenta alia iuris naturalis sunt, alia humani; haec R. Pontificis auctoritate submoveri possunt et solent, propterea *dispensabilia* vocantur, illa vero nequeunt, quia ius naturale perpetuum est et immutabile. Quaestio nostra nisi de impedimentis humano iure constitutis versari non posse, perspicuum est. 2°. Impedimenti notitia bifariam excipi potest, nimirum ex sacramentali confessione vel aliter; cum autem sine confitentis venia nefas sit scientia uti per confessionem habita, ponimus parochum scientia extra confessionem accepta impedimentum nosse. 3°. De occulto impedimento tantum olim instituebatur quaestio, etenim ab impedimento publico nulla Episcopis dispensandi facultas tribuebatur, quemadmodum RR. Pontifices per SS. Congregationes pluries declaraverant; hodie tamen (ut mox visuri sumus) Episcopis amplior dispensandi facultas facta fuit (1).

730. — Resp. ad Q. I°. Si impedimentum sit dispensabile, adeundus Episcopus ut impedimentum submoveat: quippe in tanto rerum discrimine fas esse Episcopis dispensare, R. Pontifice indulgente, communissima sententia est, usu recepta hodieque certa ex Apostolicae Sedis responsis (2). Eandem potestatem nonnulli (nec immerito) Episcopis tribuendam esse docebant quum impedimentum natura sua publicum est, re tamen vera occultum; item quum impedimentum *materialiter* quidem (ut aiunt) publicum est, *formaliter* autem occultum.

(1) D'Annibale, III, 498, nota 16; Del Vecchio, II, 1005; Zaninetti, 2695.

(2) Vasquez, q. CLXXVIII, c. II; Sanchez, l. II, disp. XL, 7; Bonacina, disp. IX, q. III, p. XV, 6; La Croix, l. V, p. III, 838; Natalis Alexander, l. II, *De matrimonio*, c. IV, a. XIII, Regula X; Mansi, *Epitome*, v. *Matrimonium*; S. Alphonsus, VI, 613, 1122; Carrière, 1089; Tanquerey, 1172.

nempe quum factum patet ex quo impedimentum proficiscitur, latet vero impedimentum ex eo profectum; addentes in utraque hypothesi, si impedimentum deinceps palam fiat, dispensationem a S. Sede petendam esse, ut de ea in foro externo constet (1). Quod si Episcopi conveniendi copia non detur, variis dissidebant sententiis theologi: aliis suggerentibus inducias consulto trahi; aliis nuptias inire cum temporaneo continentiae voto, donec impedimenti dispensatio obtineretur; aliis sub ea conditione celebrari, *Si relaxabitur impedimentum*. Quae consilia, cum periculis augendis quam removendis plerumque aptiora viderentur, recentioribus illud magis arrisit quod cum Roncaglia et Pignatelli ex sanioribus receptisque principiis S. Alphonsus tradidit: nempe iis in adiunctis fas esse parocho declarare legem defecisse, quippe quae in aedificationem constituta est, non in destructionem. Sane, cum finis legis non *privative* tantum sed *contrarie* deficit (quatenus nempe eam servare in perniciem verteret), tralatitium est legis vinculum resolvi (nn. 115, 116). Addebant tamen, a S. Poenitentiaria deinde esse ad cautelam dispensationem petendam, vel potius declarationem qua res acta firmaretur, nubentes autem impedimenti conscios debere a matrimonii usu interea se sustinere (2). Expeditiorem ex his angustiis se eruendi aperuit viam novissimus pontificiarum legum *Codex* hoc canone: § 1. *Possunt Ordinarii locorum, sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.....* § 3. *In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudent omnes de quibus in can. 1044, sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti* (3). Impedimenta quae in canone 1043 memorantur sunt *omnia et singula iuris ecclesiastici, sive publica sive occulta, exceptis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta*. Clausulae quae in eodem canone recensentur sunt, ut dispensatio respiciat *proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, praestitisque consuetis cautionibus, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione*. Demum personae, de quibus canone 1044, pro casibus occultis dispensandi facultatem habentes, sunt *parochus et sacerdos matrimonio assistens, et confes-*

(1) Zaninetti, l. c.; Tanquerey, 1172, nota; Sebastiani, *Summarium*, 564 cum Gennari et Noldin.

(2) S. Alphonsus, 612; Gousset, II, 850; Scavini, III, 814; Gury, *Casus*, II, 1036; D'Annibale, III, 454; Lehmkuhl, *Casus*, II, 1005; Tanquerey, 1175, Costantini, 912.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 1045.

sarius pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum. De cetero, cum sive Episcopus sive parochus urgente dumtaxat necessitate (scilicet cum alia via scandalis et infamiae aliisve incommodis occurrendi non suppetat) impedimentum submovere queant, nemo non videt quanta hoc in negotio prudentia opus sit, ne forte contingat transversos agi. Demum ad pleniorem huius quaestionis intelligentiam notamus, Commissioni pontificiae ad *Codicis* canones authentice interpretandos hoc dubium fuisse propositum: « Utrum ad normam can. 1045, § 1, clausula, *quoties impedimentum delegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias*, intelligi debeat stricto sensu, scilicet quod impedimentum antea omnino ignotum fuerit et tum resciatur, an potius eo sensu quod, quamvis antea cognitum, tunc solum tamen ad notitiam Parochi aut Ordinarii sit delatum », Commissio die 1 martii an. 1921 respondit: *Negative ad 1^am^ partem, affirmative ad 2^am^* (1).

II°. Si impedimentum non est dispensabile, salebriosior fit quaestio: etenim cum nullo unquam tempore illud solvi possit, neque ideo matrimonium convalescere, incassum adiretur Episcopus aliave adhiberentur remedia quae paulo ante memoravimus. — Nulla ergo ratione fas erit parocho nuptiis interesse? Si quid videmus, nulla. Quandoquidem, cum ipse coniugalis foederis sit testis et inquisitor et iudex, cavere debet ne matrimonia infecta coiri patiatur; cumque ille unus in proposito themate nuptiis impediendis valeat, ni faciat, muneri suo defuisse putandus erit (2). Insuper parochi est suarum ovium incolumitati prospicere; at vero eas irrito nefando perpetuoque nexu copulare idem est atque eas perditum ire. Neque officit infamiae periculum; si enim sponsi, quibus ex hypothesi impedimentum perspectum est, a parocho moniti a nuptiis ineundis recedere detrectent, ipsi sibi famae iacturam imputent. Neque officiunt ingruentia murmura et scandala, satius enim est quaevis tolerare mala quam facere, nec hominem christiani nominis ac sacerdotem unquam poenituit clamasse: ***Pereat mundus sed fiat iustitia.***

CLXXXIX.

Drusilla ex occulto adulterio cum Fausto filium peperit, qui cum ad aetatem nubilem pervenisset quin de suae originis vitio vel levis orta esset suspicio, sponsalia init cum Eudoxia Fausti (scilicet patris sui) legitima filia. Drusilla, optime sciens eiusmodi matrimonium (quippe fratris cum sorore) constare non posse, confessarium adit rogatura debeatne impedimentum filio vel sponsae vel parocho patefacere.

QUAERITUR, quid confessarius respondebit?

(1) *Acta Apostolicae Sedis*, an. XIII, vol. XIII, n. 4.

(2) Videndi SANCHEZ, l. III, disp. XV, 11; LUGO, *De Sacram.* disp. VIII, sect. XIII, 217.

Quaestionis solutio.

731. - Resp. ad Q. Quisvis matrimonialis impedimenti conscius [nisi illud sub secreto sacramentali vel consilii noverit, quae secreta nunquam revelare licet (1)] illud aperire debet ne matrimonia infecta coiri sinat: hoc enim postulant religio, caritas Ecclesiaeque praeceptum, quod natura sua grave est. *Omnes fideles* (ita *Codex iuris canonici*, canone 1027) *tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario ante matrimonii celebrationem revelare.* Idque obtinet etsi ipse unus impedimentum novit, quippe etiam unius testimonium quandoque nuptiis impediendis sufficit, si testis dignus est cui adhibeatur fides, vel de ea re unus testari queat. Hinc iure pontificio traditum est: *Matre asseverante ipsos esse consanguineos, non debent coniungi* (2). Haec, S. Alphonso teste, communior et verior sententia est (3). Ratum est tamen, neque caritatis lege neque Ecclesiae praecepto quemquam adeo obstringi, ut testimonium ferre debeat quod nisi cum gravi incommodo ferre nequit. Iamvero famae suae iacturam pati, immo facere, quam grave sit incommodum nemo non videt (4).

Haec cum ita sint, confessarius noster Drusillam urgere nequit ut impedimentum filio vel sponso vel parocho manifestet, nisi forte ea sint rerum adiuncta in quibus probe calleat Drusillae famam nulli subesse discrimini: quod vix unquam contingere posse ducimus, cum res periculosae aleae plena sit. Decet tamen confessarium eam monere, ut quavis alia praetexta ratione matrimonium impedire nitatur: v. c. ad alias regiones cum filio diverlat, nuptiis celebrandis moras nectat aliasve filio suadeat, ad Fausti opem (adhuc eo vivente) confugiat, ut et ipse negotio conficiendo toto pectore incumbat. Ubi vero nihil sibi procedat, rem alto premat silentio: namque satius est materiale, quod vocant, malum permittere, quam suo nomini infamiae notam inurere nullo unquam pacto delendam.

CXC.

Palladius et Lucretia, parentibus invitis, de matrimonio celebrando inter se conveniunt. Haec cum audisset Abundius parochus, renuit illorum votis indulgere. Quid illi? Amico suadent, Abundium ad coe-

(1) Impedimentum quod quis noverit sub secreto commisso revelandum est, nisi ratione officii (puta, medici, parochi, advocati) commissum fuerit. Ita communissime theologi proxime citandi.

(2) C. *Super eo*, *De test et attest.*

(3) S. Alphonsus, VI, 995; Carrière, 416; Gury, II, 742; Bouvier, c. III, a. IV; D'Annibale, III, 455; Tanquerey, 989-992; Lehmkuhl, II, 867-869; Génicot, II, 453-455; Ferreres, *Epitome*, 906, 907.

(4) Sanchez, l. III, dis. XIV; S. Alphonsus et Bouvier, ll. cc.; Lehmkuhl, Génicot et Ferreres, ll. cc.; Carrière, 411; Tanquerey, 991; Ferrazza, *Gli impedimenti matrimoniali*, c. I; Génicot, II, 454; Sebastiani, *Summarium*, 535; Pighi, *De Sacramento Matrimonii*, n. 31; Cerato, *Matrimonium*, n. 18.

nam invitet, cumque cibo meroque gravem ac fere temulentum, ac propterea fugae capessendae ineptum conspexissent, coenaculum ingressi elata voce iunctisque dexteris se nuptias inire profitentur. Subridet Abundius: at crastina die, somno vinoque levatus, accitos ad se sponsos gravi increpat sermone, hesternumque coniugium irritum vel saltem incertum prenunciat. Ex duplici sane capite dubium exsurgit: dubitant sponsi quia Abundium non satis mentis suae compotem fuisse rentur; dubitat Abundius quia voluntate caruit Sacramentum conficiendi.

Quaeritur I°. Quinam in matrimonii Sacramento conficiendo ministri munere fungitur?

Q. II°. Quodnam de utroque dubio ac (quod consequens est) de vi matrimonii Palladii et Lucretiae iudicium ferendum?

Quaestionum solutio.

732. — Resp. ad 1 Q. Sententiam quae matrimonii ministrum sacerdotem praedicat omnium primus Melchior Canus proposuit, cui non pauci theologi iurisque doctores deinceps adstipulati sunt (1). Sententiam vero quae contrahentes ipsos huius Sacramenti ministros facit, theologi omnes ante Canum uno ore professi sunt, post ipsum autem plerique praestantioresque, qui tot tantisque argumentis eam communivere ut S. Alphonsus *moraliter certam*. Perrone *unice veram immo et Ecclesiae catholicae doctrinam* eam fidenter proclamaverint (2). Hanc doctrinam haud obscure innuit Paulus apostolus, matrimonium appellans *sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia* (3), quatenus mysticam Christi et Ecclesiae coniunctionem repraesentat; haec autem repraesentatio a nubentibus non a sacerdote perficitur. Eandem doctrinam apertius SS. Patres tradiderunt, qui nuptias non iniri sed initas *obsignari* vel *sanctificari* per sacerdotis benedictionem profitentur. Disertius adhuc Florentinum Concilium et Tridentinum hac de re locuta sunt: illud docens causam matrimonii efficientem esse *mutuum contrahentium consensum* (4); hoc *vera* habens et *rata* clandestina coniugia quamdiu Ecclesia irrita ea non fecerit, insuper declarans etiam deinceps irrita non esse habenda nisi post elapsos triginta dies ab edito

(1) *De locis theol.* l. VIII, c. V. Pro sua sententia Canus citat Guillelmum parisiensem, Paludanum et S. Thomam sed perperam, ut ostendit Perrone, *De matrim. christiano*, l. I, c. II, a. I.

(2) Bellarminus, *De matrim.* cc. VII et VIII; Vasquez, disp. III, c. V; Sanchez, l. II, disp. VI; Suarez, *De Sacram.*, q. LXV, disp. XVI, sect. I; Lugo, *De sacram.* disp. VIII, 155, 220; Sporer, p. IV, c. I, 354; Benedictus XIV, *Instit.* XXXIII, 2; S. Alphonsus, VI, 897; Perrone, l. I, c. I; Rosmini, *Diritto*, II, 906, 907; Aichner, § 153; Lehmkuhl, II, 833; Génicot, II, 456.

(3) *Ephes*, V, 32.

(4) *Decret. ad Armenos.*

in singula quaque paroecia decreto irritante (1). Postremo communem doctrinam vix non definivere Pontifices Maximi, sive dum christianum matrimonium non aliud esse docuere quam naturalem contractum quem Christus in Sacramentum transtulit (porro autem contractus a contrahentibus tanquam a causa perficitur); sive dum ob temporum nequitiam indulsere ut nuptiae sine sacerdotis opera inirentur, sive dum iterum iterumque declararunt coram parocho invito, modo non desint cetera ad contractum requisita, vera celebrari coniugia. Immo in Decreto *Ne temere* generatim scitum fuit, ut sicubi parochus aliusve delegatus sacerdos a mense absit, valide ac licite matrimonium possit iniri, sponsorum consensu coram duobus testibus emisso (2). Quid plura? In *Codice pontificii iuris* novissime statutum est ut duplici in eventu, etiam parocho, vel Ordinario, aliove sacerdote absente, nuptiae constent solis testibus praesentibus initae. *En Codicis* scita: *Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant:* 1°. *In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus, et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;* 2°. *In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus* (3). In summa, quidquid olim visum fuerit, explorati iuris nunc est, non parochum sed nubentes in hoc Sacramento ministri partes sustinere. — Quo igitur munere in nuptiis conficiendis parochus fungitur? — Non alio nisi testis quem Ecclesia peculiari ratione ad id muneris deputavit: quod dilucide ostendit Pallavicinus traditque Benedictus XIV (4). Quapropter, si parochus corpore animoque praesens ita rem percipiat ut de ea testari queat, velit nolit, id sufficit ut nuptiae constare possint.

733. — Resp. ad II Q. Ut de utroque dubio ac de matrimonii vi in proposita causa rectum feramus iudicium, videndum an ante vel post Decretum *Ne temere,* anno 1907 editum, Palladii matrimonium initum fuerit.

Si ante editum Decretum Palladii et Lucretiae nuptiae coiverunt, illorum dubium diluere perquam facile est. Re enim vera, etsi Abundius subrisit quia nonnihil vino sopitus animum non advertit quam grave ageretur negotium, sponsos tamen vidit, agnovit, audivit, gestaque percepit, crastina die accitos sponsos obiurgavit neque de iis quae pridie acta sunt incertum se unquam exhibuit: quae omnia sat

(1) Sess. XXIV, *De reform. matrimonii*, c. I.
(2) Decretum *Ne temere*, VIII.
(3) *Codex iuris canonici*, can. 1098.
(4) Pallavicini, *Historia Conc. Tridentini*, l. XXII, c. IV; Benedictus XIV, *De Synodo dioec.* l. XIII, c. XXIII, 6.

sui compotem hominem fuisse demonstrant ut de celebratis nuptiis testimonium ferre posset. Sponsorum ergo dubium nihil pensi habendum est. Facilius adhuc Abundii excutitur dubium. Etenim cum parochus nuptiarum minister non sit sed testis dumtaxat, suae voluntatis defectus Sacramento non obest. Sane, cum hodie vetustissima de matrimonii ministro sententia, quasi postiliminio reversa, contrariam opinionem penitus labefactaverit, tota dubitandi ratio cui nititur Abundius, subducto veluti fundamento, ruit. Haec cum ita sint, in aperto est Palladii ac Lucretiae matrimonium, initum ante Decretum *Ne temere*, firmum consistere, quamvis contra ius fasque celebratum, quippe multa facta teneht quae fieri prohibentur.

Aliter res se haberet si Palladii nuptiae post Decretum editum coivere, per hoc enim Decretum nonnihil de disciplina antea vigente in hoc themate mutatum fuit. Re enim vera ut parochus locive Ordinarius matrimonio valide assisterent per Decretum *Ne temere* statutum fuerat ut *invitati et rogati, et neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum:* quod Decretum *Codex pontificii iuris* exscripsit (canone 1095, § 1, n. 3) suppressis tamen verbis *invitati et rogati* (1). Quapropter si parochus aliusve sacerdos delegatus nuptiis assistat invitus, nempe vi metuve constrictus (non solum inopinato et insidiose deprehensus, vulgo *per sorpresa*), neque ipse nubentium consensum exquirat et audiat, nuptiae non constant. Porro in subiecta facti specie Abundius, quamvis non vi metuve constrictus nuptiis interfuit, attamen nubentium non exquisivit consensum: concludendum est ergo, Palladii et Lucretiae nuptias post Decretum *Ne temere* initas pro infectis habendas esse.

CXCI.

Eustorgius nuptias cum Tullii filia primogenita iungere cupit, quam virginem esse acceperat, quin tamen facie cognosceret. Primogenita renuente, Tullius in eius locum sororem sufficit, quacum nuptiae celebrantur. Post annum bonae conversationis susceptamque ab ea prolem Eustorgius, fraude detrecta, Episcopum convenit instatque priores nuptiae irritae decernantur, quia nec primogenita nec virgo sibi coniux data fuit; soluto autem male inito coniugio, liceat sibi cum vera Tullii primogenita alterum inire.

Quaeritur I°. Quinam error circa nubentium personas vitiare nuptias possit?

Q. II°. Quid de nuptiis ab Eustorgio initis?

Q. III°. An, dissutis prioribus nuptiis, queant aliae cum Tullii primogenita coiri?

(1) Decretum *Ne temere*, IV, § 3. Cf. Pezzani, *Commentarium in Decr.*, 81; Lehmkuhl, II, 888; Tanquerey, 1152.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

734. — RESP. AD I Q. Si, Florentino Concilio docente, *causa efficiens matrimonii est mutuus consensus*, palam est errorem illum matrimonium inficere quo consensus adimitur. Audi Angelicum Doctorem: *Consensus est causa matrimonii, et ideo quod evacuat consensum, evacuat matrimonium. Consensus autem voluntatis est actus qui praesupponit actum intellectus. Deficiente autem primo, necesse est defectum contingere in secundo. Et ideo quando error cognitionem impedit, sequitur in ipso consensu defectus, et per consequens in matrimonio. Et sic error de iure naturali habet quod evacuet matrimonium* (1). Quo praenotato, error personam afficiens vel in ipsam personam quae est obiectum consensus, vel in personae qualitates seu accidentia cadere potest.

I°. Error in personam cadens nuptialem contractum vitiat: cum enim nubentium consensus in unam certamque personam feratur, ferri nequit in aliam; propterea, consensu deficiente, contractus non perficitur. Idque obtinet, sive error sit *antecedens*, qui nempe causa contractus existat, sive sit *concomitans*, nempe comitetur contractum quin sit eius causa, ut puta si quis, etiam personae errore detecto, consensum fuisset daturus, nam voluntas haec interpretativa efficere nequit ut consensus adfuerit qui reipsa defuit. Excipe si consensus in personam praesentem (quaevis ea sit) feratur, tunc enim error obiectum consensus non aufert, quod est persona praesens (2).

II°. Error in accidentia sive qualitates personae cadens, per se matrimonium non inficit, etiamsi iis qualitatibus praecognitis nubentes non consensissent. Nam obiectum consensus persona est, et quamvis personae qualitates promptiorem vel minus consensum efficere valeant, eius tamen causa non censentur. *Per se*, inquimus, fieri enim quandoque potest, ut consensus primario ac directo in qualitatem feratur; in qua hypothesi cum obiectum contractus sit qualitas, ea deficiente, consensus abest. Hinc si qualitas in contractum deducatur, aut quasi causa vel conditio inseratur cui nectitur consensus (v. c. *Duco te, modo sis virgo: Duco te, quia nobilis es; Volo nobilem, propterea te duco*); item si qualitas in personam redundet, veluti si quis principis primogenitam, vel natu minimam sibi velit copulare et non aliam, qualitate eiusmodi deficiente, consensus vitiatur et contractus (3). Haec

(1) III[a] p., *Supplem.*, q. LI, a. I.

(2) S. THOMAS, l. c.; S. BONAVENTURA, in IV *Sent.* dis. XXX, a. unic., q. I; SANCHEZ, l. VII, disp. XVIII, 12; LAYMANN, l. V, tr. X, p. IV, c. II, 1; SPORER, p. IV, c. I, 4; S. ALPHONSUS, 1010; ROSMINI, *Diritto*, II, 1177.

(3) S. THOMAS, q. LI, a. II, ad 5[um]; S. BONAVENTURA, l. c.; SANCHEZ, 18 et seq.; LAYMANN, 2; SPORER, 5-8; S. ALPHONSUS, 1011-1016; ROSMINI, 1178; BALLERINI-PALMIERI, tr. *De matrim.*, 240-246; CERATO, *Matrimonium*, n. 79; GÉNICOT, II, 461. Recole quae diximus n. 356 de errore vitiante consensum.

apprime conveniunt cum *Codice iuris canonici*, qui canone 1083 haec statuit: § 1. *Error circa personam invalidum reddit matrimonium;* § 2. *Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum:* 1°. *Si error qualitatis redundet in errorem personae:* 2°. *Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.* Vide et canonem 104.

735. — Resp. ad II Q. Eustorgii nuptiae irritae prorsus cesserunt, non idcirco quia virginem ducere volens corruptam duxit, namque eiusmodi error in personae qualitatem cadens consensum non aufert, sed quia Tullii primogenitam ducere voluit et non aliam, propterea error eius, quippe in personam ipsam redundans, consensum abstulit vitiavitque contractum.

736. — Resp. ad III Q. Post *Codicis pontificii iuris* statuta nullum extat impedimentum quod Eustorgii nuptiis cum Tullii primogenita obesse possit: non affinitatis, quae ex matrimonio valido tantum exsurgit; non publicae honestatis, quae ex matrimonio invalido nascitur, sed in primo et secundo lineae rectae gradu dumtaxat matrimonium dirimit inter virum et consanguineas mulieris et vice versa. Haec clariora fient ex iis quae de duplici hoc impedimento dicturi deinceps sumus. (Vide nn. 739, 740, 748).

CXCII.

Merulus et Merula matrimonium ineunt putantes consanguineitatis impedimento sibi nuptias interdici; post nuptias initas, re diligentius expensa, certiores fiunt impedimentum non extare.

Quaeritur I°. Liceatne cum dubio vel probabili impedimento nuptias inire?

Q. II°. Quid de Meruli et Merulae nuptiis?

Quaestionum solutio.

737. — Resp. ad I Q. Impedimentum dubium vel probabile aliud est iuris naturalis vel divini (eiusmodi sunt ligamen, impotentia (1), cognatio in primo gradu), aliud iuris humani, idest ab Ecclesia constitutum (eiusmodi sunt publica honestas, crimen, spiritualis cognatio). Dubium vero et probabilitas dividuntur in dubium et probabilitatem *iuris* et *facti*. His positis, iam ad rem.

I°. Extante impedimento iuris naturalis aut divini dubio vel probabili (sive dubium et probabilitas sint iuris, sive facti) matrimonium inire nefas est. Cum enim de impedimento agatur quod ab Ecclesia removeri nequit, incertum semper erit Sacramentum, nec unquam sic nuptis matrimonio uti licebit. Quapropter generatim ne sub

(1) Vide tamen, ad impotentiam quod attinet, quae diximus, n. 34.

conditione quidem fas erit eiusmodi iungere nuptias: nam quamvis conditio reverentiae Sacramenti prospiciat, coniugium relinquit incertum perpetuoque incontinentiae periculo coniuges obiicit. *Generatim*, inquimus, quippe talia rerum adiuncta fingi possunt in quibus ex altera parte necessitas urgeat matrimonii celebrandi, seu ad infamiam vitandam seu ad prolis susceptae aut suscipiendae bonum curandum, ex altera parte imminens alterutrius nubentis mors pericula futura submoveat: hisce in extremis licere poterit nuptias sub conditione coire (1). At si forte mortis periculum deinceps evanuerit, dubio adhuc manente de initi matrimonii vi, eo uti non licebit.

II°. Extante impedimento iuris humani dubio vel probabili, matrimonium inire fas est si dubium sit iuris, minime vero si dubium sit facti. Sane in dubio iuris, nempe quum vere probabile est legem non adesse, vel legislatorem noluisse legem suam usque illuc pertingere, incerta vis legis est, propterea illud usurpare licet: *Lex dubia non obligat*, aut etiam: *Contra eum qui legem potuit apertius dicere est interpretatio facienda*. Cumque haec theologorum sententia communis sit et consuetudine firmata, si quando contingeret iuris probabilitatem veritati non respondere, tenendum Ecclesiam impedimentum relaxare (2). Secus dicendum de dubio facti, quod nempe non oritur ex vitio legis quae perspicua est et certa, sed ex vitio nostro seu ex aliqua ignorantia facti: cum enim existimatio nostra rerum veritatem non mutet, propterea non censetur Ecclesia impedimentum relaxare velle. Ceterum in hisce impedimentis dubiis posse Episcopum dispensationem tribuere communissime docent (3). Premente autem gravissima necessitate et morte instante (quemadmodum paulo ante animadvertimus) sub conditione coire nuptias licebit; et si post nuptias initas mortis periculum evanuerit, ob incertam coniugii vim ad dispensationem confugiendum.

738. — Resp. ad II Q. Quaestionis punctum in eo est, an opinio vel persuasio existentis impedimenti nubentium consensum auferat proindeque contractum vitiet. Sunt qui negant, quum nubentium animus fuit veras nuptias, quantum in se esset, inire (4). Melius tamen distinguendum videtur: si nubentes pro comperto habebant, impedimentum eiusmodi existere quo nuptiae dirimerentur, non matrimonium

(1) S. Alphonsus, VI, 902; Gury, II, 789; Lehmkuhl, II, 956; Tanquerey, 1050; Ballerini-Palmieri, tr. *De matrimonio*, 935; Génicot, II, 481.

(2) Sanchez, l. VIII, disp. VI, 18; Viva, *Damnatae theses*, in prop. I Innocentii XI, n. XXIX; La Croix, l. VI, p. I, 117; S. Alphonsus, 901; Gury, Lehmkuhl, Ballerini et Tanquerey (ll. cc.); D'Annibale, III, 498; Costantini, 903; Génicot, II, 481; Bucceroni, *De matrim.*, III, 1031.

(3) Sanchez et Viva (ll. cc.); La Croix, 118; S. Alphonsus, 902; Gury, Costantini, Lehmkuhl, Ballerini, Tanquerey, Génicot, ll. cc.

(4) Bonacina, disp. IX, q. II, p. IX, 8.

voluisse dicendi sunt sed turpem concubinatum, propterea nuptiae non constant; si vero per ignorantiam aut inconsiderationem, non animadvertentes rem inanem se facturos, validas nuptias (quantum erat in se) coire voluere, consensus sufficiens adfuit ut constarent nuptiae. Ceterum, quia res omnino certa non est, ad cautelam saltem consensus esset renovandus (1). Ex his de Meruli Merulaeque nuptiis quid sentiendum facile iudicabis.

CXCIII.

Sylvius, postquam per annum concubinario more cum Apollonia vixisset, ratus iucundiorem se vitam cum Martha Apolloniae filia esse ducturum, eam sibi uxorem facit. At statim facti dolens, nondum consummato coniugio, ad Apolloniam revertitur veniam petens, paratusque cum ea nuptias religioso ritu celebrare; annuente Apollonia, nuptiarum solemnia celebrantur.

Quaeritur I°. Quid de publicae honestatis impedimento iura constituant?

Q. II°. Quid de duplici Sylvii matrimonio?

Quaestionum solutio.

739. — Resp. ad I Q. *Publicae honestatis* nomine quaedam personarum propinquitas intelligi consuevit, sive ex sponsalibus sive ex matrimonio rato orta, ob quam Ecclesia iam inde a remotis temporibus constituerat, inter certas personas nuptiae dirimerentur. Hoc nomine impedimentum eiusmodi appellatum fuit quia ad morum honestatem apud christianos fovendam atque servandam spectabat. Vocabatur etiam *quasi affinitas*, quia quamdam affinitatis speciem prae se ferre videbatur. Sane sponsalia sunt veluti matrimonii inchoatio; matrimonium autem ratum vere matrimonium est, etsi nondum per copulam perfectum. At enim quemadmodum per corporum commixtionem propinquitas oritur inter alterum coniugem et consanguineos alterius, quam affinitatis nomine placuit nuncupari; ita per animorum coniunctionem, quae per sponsalia et matrimonium ratum perficitur, propinquitas quaedam nascitur quae publicae honestatis nomen obtinuit (2).

740. — Iure antiquo constitutum erat ut ex sponsalibus etiam invalidis, dummodo non ob deficientem consensum, publica honestas exsurgeret, qua nuptiae inter sponsum et sponsae consanguineas (et vicissim) ad quartum gradum dirimerentur (3). Idem impedimentum, etsi fortasse nullo iure scripto, communi doctorum plebisque chri-

(1) La Croix, l. VI, p. III, 531; Carrière, 467; Gury, 791; Lehmkuhl, 958; Génicot, 482.

(2) S. Thomas, III^a, *Supplem.*, q. LV, a. IV; Rosmini, *Diritto*, II, 1213-1218.

(3) Cap. unic. *De sponsalibus et matrim.* in 6.

stianae consensu e matrimonio non consummato oriri receptum erat (1). Tridentina Synodus voluit ex sponsalibus validis dumtaxat publica honestas ortum duceret primoque gradu finiretur; de matrimonio autem nihil innovavit; quapropter usque hodie ex matrimonio rato, quamvis invalido (dumne ob deficientem consensum) publica honestas ad quartum gradum pertingens nuptiis impedimentum praestitit, quod et Pius V Constitutione *Ad Romanos* expresse declaravit (2). *Usque hodie*, inquimus, novissime enim tridentino statuto derogatum fuit hoc *iuris pontificii* canone, quo publicae honestatis notio eiusque effectus novantur quam maxime. *Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu: et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa* (3). Itaque posthac publicae honestatis impedimentum iam non oritur ex sponsalibus et matrimonio rato, sed tantum ex matrimonio invalido et ex publico vel notorio concubinatu, neque ultra secundum gradum lineae rectae se porrigit (4).

741. — Resp. ad II Q. Sylvii cum Martha nuptiae constare nequibant: aderat enim publicae honestatis impedimentum ex notorio concubinatu ortum. Neque cum Apollonia Sylvii nuptiae consistere poterant, obstante publicae honestatis impedimento ex invalido cum eius filia coniugio. Quae cum ita sint, liquido apparet neutri Sylvium potuisse nubere quin ante per dispensationem impedimenta submoverentur.

CXCIV.

Landulphus et Christina, quum parochum nimis austerum nacti fuissent, renuentem ob eorum christianae doctrinae ignorantiam proclamationes facere, versis illi tergis, coram civili magistratu nuptias iniverunt. At cum domum reverterentur, Landulphus Christinam moerentem conspiciens ob iniuriam parocho irrogatam, a se eam repellit. Anastasius, Landulphi frater, ut Christinam solaretur, a parentibus eam in matrimonium exquirit, cui parentes libenter annuunt.

Quaeritur I°. An civiles nuptiae impedimentum pariant publicae honestatis?

Q. II°. An Anastasius Christinam in matrimonium ducere possit?

(1) Adeantur Sanchez, l. VII, disp. LXX; Schmalzgrueber, l. IV, tit. I, 98, 99; Laymann, l. V, tr. X, p. IV, c. IX, 1-5; Pontius, l. VII, c. XXXV; Sporer, p. IV, c. I, 54, 63; S. Alphonsus, VI, 1061, 1062; Aichner, § 180.

(2) Sess. XXIV, *De reformatione matrimonii*, c. III.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 1078.

(4) Vide sis Ferrazza, *Gli impedimenti matrimoniali*, c. IV.

QUAESTIONUM SOLUTIO.

742. — RESP. AD I Q. Ante decretum *Ne temere*, iis in locis ubi tridentinum *De clandestinitate* decretum non vigebat, civiles nuptiae potuere vim habere sponsalium, immo et matrimonii, si animo vere nubendi initae fuerint, hinc et impedimentum publicae honestatis parere. In locis vero ubi tridentinum decretum obtinebat, iamdiu declaratum fuerat, civiles nuptias hoc effectu carere. Namque S. Concilii Congregatio huic quaestioni: *An actus qui vulgo audit matrimonium civile pariat impedimentum iustitiae publicae honestatis*, die 13 martii anni 1879 respondit: *Negative*. Leo autem XIII die 7 aprilis eiusdem anni apertius declaravit, *matrimonium civile, in locis ubi publicatum est decretum Concilii Tridentini, sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est (matrimonio ecclesiastico iam rite celebrato vel cum animo illud quantocius celebrandi) meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum publicae honestatis non producere*. At post Decretum *Ne temere*, quod tridentinum abrogavit unamque ubique locorum matrimonii formam servandam indixit, nuspiam civiles nuptiae sponsalium vel matrimonii vim habere et publicam honestatem inducere potuerunt (1). Attamen hodie ex *Codice pontificii iuris* (canone 1078 superius recitato n. 740) si civiliter nupti, posthabito spretove Ecclesiae ritu, in publico et notorio concubinatu vivant, publicae honestatis impedimentum incurrunt, quod ad secundum lineae rectae gradum pertingit (2).

743. — RESP. AD II Q. Civiles Landulphi et Christinae nuptiae, sive ante sive post novi *Codicis* editionem initae, nullum publicae honestatis impedimentum matrimonio Anastasii et Christinae creare queunt: nam si ante, sponsalium et matrimonii vim non habebant; si vero post, Landulphus et Christina, etsi civiliter nupti, ne unam horam concubinario more vixere.

CXCV.

Terentius Simpliciam vi oppressit; qua clamante, Rusticus Simpliciae pater accurrit stupratorem ad tribunal iudicis rapturus ut sui sceleris poena multetur. Perterritus ad Rustici pedes Terentius se pro-

(1) Videsis AICHNER, § 180; LEHMKUHL, II, 1062; D'ANNIBALE, III, 434; TANQUEREY, 1120.

(2) PIGHI, *De Sacramento matrimonio*, 81; VERSMEERCH, *Summa*, 440; CERATO, *Matrimonium*, n. 73; GÉNICOT, II, 506; SEBASTIANI, *Summarium*, 557. Contradicere videtur FERRERES (*Epitome*, 939); at forsan intelligendus de ritu civili *in se spectato* loqui voluisse, non de concubinatu qui eiusmodi ritum subsequitur, si civiliter nupti, reiecto vel posthabito Sacramento, notorie more coniugum vivant.

volvit rogans ne faciat, Simpliciam sibi sumet uxorem. Sumit reipsa; at Rustico post paulo vita functo, ab uxore divertit contendens matrimonium metu iudicis celebratum irritum fuisse. Ne tamen caelebs vitam transigat tristem et aerumnosam, statim cum Flavia nuptias iungit; iungit autem hac praesertim de causa, quia timet ne ex caelibatu morbus aliquis et mors praepropera sibi obveniant, quippe id contingere posse a medicis acceperat. Reclamante Simplicia, Terentius in carcerem truditur: a quo ut evadat, nuptias Lucinae custodis carceris filiae pollicetur, dummodo a vinculis expediatur: reipsa autem, reserato a Lucina carcere, una simul fugiunt coeuntque nuptias. Post haec, audita de extremo Dei iudicio concione, Terentius vehementer angitur animo et sacerdotem sciscitatur, cuinam e tribus uxoribus debeat adhaerere.

Quaeritur I°. Quinam metus matrimonium vitiet?

Q. II°. An metus singulis Terentii nuptiis vitiandis sufficiens adfuerit?

Q. III°, Quid respondebit sacerdos?

Quaestionum solutio.

744. — Resp. ad I Q. Catholica doctrina haec est, christianum matrimonium non aliud esse nisi naturalem contractum quem Christus sua gratia ornavit, auxit et ad Sacramenti dignitatem evexit (1); cum autem Sacramenti dignitas nihil de primigenia contractus natura matrimonio detrahat, ex consequenti ea omnia quae contractum inficiunt et Sacramentum inficiant necesse est. Haec cum ita sint, ad propositam nobis quaestionem expediendam sat erit recolere ac paucis perstringere quae de metu in contractibus alias locuti sumus (n. 360).

Metus qui rationis usum penitus intercipit ipso naturae iure matrimonium irritum facit: sane, dempto libero rationis usu, liber consensus adimitur, deficiente autem libero consensu, deficit contractus. Hoc planum est (2). Quod si metus non sit eiusmodi qui rationis usum omnemque adimat libertatem, tunc iure saltem pontificio matrimonium vitiat quum gravis est, atque a causa extrinseca et libera iniuste incussus, etiamsi ad consensum in matrimonium extorquendum directe incussus non fuerit. *Iure saltem pontificio,* inquimus, namque valde probabile est talem metum iure etiam naturali matrimonium inficere, quod maximam postulat libertatem, tum quia vinculum perpetuum est, tum quia amore nectendum. Utramque rationem perspicue more suo sic effert Angelicus Doctor. *Matrimonium significat coniunctionem*

(1) Hanc doctrinam diserte tradiderunt RR. Pontifices Pius VI brevi ad Episcopum Motulae, Pius VIII encyclica *Tradidit humilitati*, Leo XIII encyclica *Arcanum* et *Codex iuris canonici*, canone 1012. Recole quae diximus n. 450.

(2) Rosmini, *Diritto*, I, 1227.

Christi ad Ecclesiam, quae fit secundum libertatem amoris. Ergo non potest fieri per consensum coactum... Vinculum matrimonii est perpetuum: unde illud quod perpetuitati repugnat matrimonium tollit. Metus autem qui cadit in constantem virum perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum. Et ideo haec coactio metus tollit matrimonium (1).

Singulas conditiones brevi perstringamus quae requiruntur ut metus matrimonium inficiat. 1° Metus sit *gravis* oportet, hoc est grave malum timeatur, v. c. mors, mutilatio, cruciatus, fustigatio, bonorum direptio, infamia etc., sive mala haec quis metuat sibi, sive personis sibi proxime iunctis, ut puta patri, matri, liberis, uxori. Metus levis matrimonium non inficit, quippe qui libertatem non adimit (etsi quadantenus minuit) et facile vinci potest. Idem dic de metu reverentiali, nisi accesserint minae, importunae preces, verbera, timor diuturnae indignationis. Ceterum metus gravitas ex personarum indole ac moribus maxime est aestimanda, quandoquidem puellae ac viro meticuloso nonnunquam gravia sunt mala quae vir animosus et constans ridet ac spernit. 2° *Iniuste incussus*, nam si iuste incutiatur, nulla metum patienti irrogatur iniuria, qui ad malum sibi debitum vitandum in matrimonium consentit. Ut autem sit iniustus, a causa extrinseca et libera metus proficiscatur oportet: qui enim vel a nobis ipsis vel a causis necessariis procedit, nullam nobis infert iniuriam. 3° *Etiamsi ad extorquendum consensum in matrimonium directe incussus non fuerit:* quamvis enim hac in hypothesi metus dici nequeat causa consensus sed magis occasio, attamen illi qui metum patitur omnimodam libertatem non relinquit (2). Haec omnia *Codex pontificii iuris* hoc canone confirmat: *Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert* (3).

745. — Resp. ad II Q. Metus quem Rusticus Terentio stupratori incussit neque fuit iniustus neque ad consensum in matrimonium extorquendum intentus; propterea Terentii cum Simplicia nuptias in-

(1) *Supplem.* III^{ae} p., q. XLVII, a. III, S. Thomae sententiae accedunt S. Bonaventura, in IV, dist. XXIX, a. I, q. I; Navarrus, *Enchir.*, c. XXII, 51; Sporer, p. IV, c. I, 13; S. Alphonsus, VI, 1054; Rosmini, *Diritto*, II, 1181-1183. Huic sententiae favet *Iuris pontifici Codex* canone 1087 (proxime referendo), quo metus inter impedimenta recensetur. Vide Cerato, *Matrimonium*, n. 83, Ferreres, *Epitome*, 943 et Pighi, *De Sacram. Matrimonii*, n. 107, nota.

(2) Sanchez, l. IV, disp. I; Bonacina, disp. IX, q. III, p. VIII; Laymann, l. V, tr. X, p. II, c. V; Sporer, 13-25; S. Alphonsus, 1045-1055; Aichner, § 168; Tanquerey, 1061-1068; Pighi, *De Sacramento Matrimonii*, nn. 109, 111; Génicot, II, 463; Sebastiani, *Summarium*, 555.

(3) *Codex iuris canonici*, can. 1087.

firmare nequibat (1). Neque sufficiens putandus dirimendis nuptiis cum Fulvia initis timor morbi et praeproperae mortis ex caelibatu obvenientium, quippe ex timentis opinatione ortus, non a causa extrinseca libera et iniusta (2). Item nuptiae cum Lucina per se valuere, ipse enim Terentius, nemine cogente aut metum inferente, nuptias obtulit ut se carcere liberaret. Haec de singulis Terentii matrimoniis seorsum spectatis, nam in subiecta facti specie si priores nuptiae valuere, ceterae constare non poterant.

746. — Resp. ad III Q. Post dicta minimum erit negotium huic quaestioni satisfacere. Nimirum timor iudicis a Rustico Terentio ingestus neque fuit iniustus, quia poenam a stupratore exigere iniustum non est, neque ad nuptialem consensum extorquendum fuit incussus: ipse enim Terentius ne in ius raperetur Simpliciam sibi quaesivit uxorem. Constantibus autem prioribus nuptiis, posteriores irritae cesserunt. Respondebit itaque sacerdos, Simpliciae tanquam uxori suae Terentio adhaerendum esse.

CXCVI.

Gervasius, vir dives et senex, Quintinam puellam novercae verberibus saepe contusam exoptat uxorem. Quintina Gervasium non amat, immo potius exhorret; attamen ut se novercae vexationibus eximat, seni nubet exoso.

Quaeritur, an metus impedimentum hisce nuptiis obstet?

Quaestionis solutio.

747. — Resp. ad Q. Cum verberum metus ad consensum extorquendum Quintinae non sit incussus, causa contractus iniusta non est: nempe Quintina, inter duo mala constituta, inter verbera scilicet atque ingratas nuptias cum Gervasio, in has quasi in minus malum sua sponte consentit (3).

CXCVII.

Tibullus, Blandinae amore captus, eius nuptias avet. Verum quia Philippus Tibulli pater cum Aurelia Blandinae matre turpiter concubuerat, dubium exsurgit an inter Tibullum et Blandinam affinitas existat qua nuptiae dirimantur.

Sylvius et Prudentius Caeciliam et Symphorosam sorores sibi uxores duxerant. Sylvius et Symphorosa, coniuge orbati, matrimonium iungere vellent; at dubitant obsitne affinitas ex prioribus nuptiis orta.

(1) La Croix, l. VI, p. III, 653; Génicot et Pighi, ll. cc.

(2) Sanchez, l. IV, disp. XII, 5; Bonacina, 19; Tanquerey, 1063; Genicot, l. c.

(3) Videsis Aichner, § 168 in nota.

Postquam Mauritius viduatus uxore Catharinam sibi matrimonio copulasset, Catharinae pater Mauritii filiam ex priore coniugio susceptam vellet sibi coniugem facere: at timet ne affinitatis impedimentum hisce nuptiis obsistat.

Quaeritur 1°. Quid est affinitas, unde oritur et qua late patet?

Q. II°. An in triplici facti specie affinitas existat?

Quaestionum solutio.

748. — Resp. ad I Q. Affinitatis nomine ante novissimi *Codicis* promulgationem quaedam propinquitas consuevit intelligi quam quis contrahit cum consanguineis personae quacum concubuit. Hinc eiusmodi propinquitati non aliud praestare fundamentum poterat nisi copula *perfecta*, idest generationi apta (proinde non onanistica, vel sodomitica, vel impuberum), sive *licita* (scilicet inter coniuges habita), sive *illicita* (adulterina nempe vel fornicaria). Porro iure pontificio id constitutum erat, ut affinitas ex copula licita oriretur virum inter et consanguineos mulieris (et vicissim inter mulierem et consanguineos viri) ad quartum gradum, ex copula vero illicita ad secundum tantum. Affinitatis impedimentum hisce limitibus continebatur; propterea neque inter consanguineos utriusque coniugis neque inter eorum affines nuptias dirimebat, quod hoc duplici velut adagio solebat efferri: *Affinitas non egreditur copulatos*, et *Affinitas non parit affinitatem* (1). Utrum vero iure naturae vel humano tantum affinitatis impedimentum in proximioribus saltem lineae rectae gradibus exsurgeret, non satis conveniebat. Certe qui copulantur una caro fiunt per corporum commixtionem, adeo ut alter alterius consanguineos tangere censeatur: hinc necessitudo quaedam cum iisdem consanguineis oritur quae nuptias indecoras facit. Re enim vera amor ille qui ad sexuum commixtionem inclinat cum reverentia pugnat qua sanguine iuncti nuptiis coeundis invicem repelluntur: quae affectuum colluctatio innuit eiusmodi nuptias, sin minus iure naturae irritas, incongruas saltem esse aestimandas. Porro eadem fere affectuum colluctatio indecoras eorum nuptias ostendit qui affinitatis vinculo inter se continentur (2). Ceterum animadvertimus cum Benedicto XIV, ab affinitate in primo lineae rectae gradu (quae nempe inter vitricum et privignam, socrum et generem intercedit) RR. Pontifices, etsi pluries rogatos, nunquam dispensare voluisse (3).

(1) *Decret.* l. IV, tit. 14; Concilium Tridentinum, *De reformatione matrim.*, sess. XXIV, c. IV; S. Alphonsus, VI, 1075; Aichner, § 179.

(2) Videsis quae scite animadvertit Rosmini, *Diritto*, II, 1117 et seq. 1146-1148.

(3) *De Synodo dioec.* l. IX, c. XIII, 4. Hodie quaestio haec dirempta videtur, cum *Codex pontificii iuris* (canone 1043, quem n. 730 retulimus) inter impedimenta iuris ecclesiastici affinitatem in linea recta recenseat. Pighi, *De matrim.*, n. 78; Cerato, *Matrimonium*, n. 72.

At novissime *Codex pontificii iuris* notionem et effectus affinitatis penitus immutavit sequentibus canonibus. Canone 97, § 1: *Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato.* § 2: *Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos.* § 3: *Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa.* Canone 1077, § 1: *Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu: in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.* § 2: *Affinitatis impedimentum multiplicatur:* 1° *Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit:* 2° *Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti.* Post haec *Codicis* statuta affinitatis origo ex copula licita vel illicita iam non est ducenda, sed ex uno matrimonio, seu rato seu consummato; impedimentum autem ex ea nascens secundum lineae collateralis gradum non excedit.

749. — Resp. ad II Q. In priore facti specie, veteri iure pontificio vigente, nullum aderat affinitatis impedimentum, nam Tibullus Philippi filius, ideoque consanguineus, Aureliae affinis erat; item Blandina Aureliae filia, ideoque consanguinea, affinis erat Philippi; contra Tibullus et Blandina nullo affinitatis vinculo tenebantur ex praefato adagio *Affinitas copulatos non egreditur.* Neque post editum *Iuris pontificii Codicem* affinitatis impedimentum adest, quod non ex turpi concubitu sed ex matrimonio dumtaxat oriri potest.

In secunda facti specie Sylvius, per nuptias cum Caecilia Symphorosae sororis eius affinis factus est; item Symphorosa, per nuptias cum Prudentio, affinitatem cum Sylvio eius fratre contraxit: quapropter duplex adest affinitatis in secundo gradu collateralis lineae impedimentum quo Sylvii et Symphorosae nuptiae dirimuntur.

In tertia specie nullum, sive ex antiquo sive ex praesenti pontificio iure, impedimentum existit. Equidem Catharinae pater affinis est Mauritii; item Mauritii filia Catharinae novercae suae affinis est; at Catharinae pater et Mauritii filia nullo inter se affinitatis vinculo continentur ex altero adagio: *Affinitas affinitatem non parit.*

CXCVIII.

Hilarius, quem Fabiola patrinum designaverat ad filiam suam e sacro fonte levandam, post collatum Baptismum animadvertit se Emerentianae filiam per errorem levasse.

Quaeritur, an Hilarius cognationis spiritualis impedimentum cum Fabiola et eius filia contraxerit, vel cum Emerentiana eiusque filia?

Quaestionis solutio.

750. — Resp. ad Q. Ut quis patrini munus in Baptismo obeat et spiritualem cognationem cum baptizato contrahat, duo haec inter cetera requiruntur: 1° ut animum gerat huiusce muneris obeundi; 2° ut reipsa illud obeat. (Recole quae diximus n. 505). Iamvero quum ex errore Emerentianae filiam Hilarius e sacro fonte suscepit, patrini munere erga Fabiolae filiam non est functus; quapropter, facto deficiente quod cognationem praestat, nullum cum Fabiolae filia impedimentum contraxit. Neque contraxit cum Emerentianae filia, si Fabiolae filiam et non aliam voluit a sacro fonte levare, defuit enim voluntas Emerentianae filiam levandi. At si Hilarii animus fuit levandi praesentem sibi puellam, quaevis ea esset, neque ex alio capite quidquam obstiterit, cognationem cum ea contraxit, quia neque animus defuit neque factum (1). Cum Fabiola et Emerentiana ex novissimo *iuris Codice* nullum ex Baptismo cognationis impedimentum exsurgit (vide sis dicta n. 504).

CXCIX.

Domitilla Pancratii uxor cum famulo rem habet, ad quem hisce fatur verbis: « Si Pancratius diem suum obiret, tibi nubere vellem »; postea tamen admissi criminis dolens famulum domo expellit. Pancratio vita functo, expletoque luctu, Domitilla expulsum famulum revocat nuptias cum eodem initura.

Quaeritur I°. Quotuplici ex capite criminis impedimentum exsurgat?

Q. II°. An nuptiis Domitillae cum famulo criminis impedimentum obsit?

Quaestionum solutio.

751. — Resp. ad I Q. Criminis impedimentum ad christiani coniugii sarta tectaque iura servanda Ecclesia constituit: eo enim spectat impedimentum hoc ut nefanda adulterii et coniugicidii flagitia coerceat, omni spe adulteris et coniugicidis sublata viam sibi per haec crimina sternendi ad nuptias cum sceleris socio ineundas. Quadruplici ex capite criminis impedimentum habere ortum potest: nimirum 1° ex adulterio cum matrimonii promissione; 2° ex adulterio cum matrimonii attentatione; 3° ex coniugicidio solo; 4° ex coniugicidio una cum adulterio (2). Haec paucis declaranda.

1°. *Adulterium cum matrimonii promissione.* Ut ex hoc capite impedimentum exsurgat requiritur 1° ut adulterium *perfectum* sit, per

(1) Videsis Lambertini, *Casus*, an. mdccliv, mense septembris.

(2) *Decret.* l. IV, tit. VII, *De eo qui duxit.* Haec omnia, quae criminis impedimenta inducunt, *Codex iuris canonici* can. 1075 rata prorsus et firma esse constituit.

copulam scilicet ad generationem aptam consummatum; 2° *formale* utrinque, nempe ut uterque adulter sciat alterutrum coniugatum esse (non autem requiritur ut ambo sint coniugati, nec satis est ut uterque sciat se coniugatum esse, altero id ignorante); 3° ut promissio *data* sit et *acceptata* (an vero *mutua* esse debeat, idest cum alterius *repromissione* coniuncta, paribus fere armis hinc inde a theologis decertatum fuit; quaestioni *Codex pontificii iuris* finem fecit canone 1075 *mutuam fidem* requirens); 4° si promissio adulterium praecesserit, *revocata non fuerit*; 5° ut eodem matrimonio constante promissio et adulterium contigerint.

II°. *Adulterium cum matrimonii attentatione.* Ut impedimentum hinc oriatur, adulterium *perfectum* et *formale* esse debet; matrimonii autem attentatio, item et adulterium, fiant oportet priore matrimonio durante, neque refert an coram parocho, vel privatim, vel coram civili magistratu matrimonium attentetur (quavis enim forma celebretur, ob ligaminis impedimentum irritum cedit), quippe semper adest attentationis crimen in quod lex animadvertit.

III°. *Coniugicidium solum.* Ut coniugicidium praestet impedimentum, 1° *coniugis mors* eveniat oportet, sive utroque sive alterutro coniuge auctore, neque interest utrum *physice* (ferro, suffocatione, veneno, dumne ob medicorum imperitiam vel familiarium incuria mors ex levi vulnere sequatur), vel *moraliter* (iussu, mandato, consilio) illata mors fuerit; 2° *mutua conspiratio* seu machinatio intercedat necesse est, intercedere autem censetur quum alterutri machinanti consentit alter; minime vero si illatam mortem approbat; 3° mors inferatur oportet *animo nuptias ineundi cum coniuge superstite*, qui animus sufficit in alterutro fuerit, modo per aliquod signum innotuerit alteri.

IV°. *Coniugicidium cum adulterio.* 1° Adulterium utrinque *formale* esse debet et *perfectum*, atque ante coniugis mortem patratum; 2° coniugicidium vero *animo nuptias ineundi cum adulterii complice*, quin mutua conspiratio intercesserit, modo tamen coniugicida nubendi animum alteri patefecerit (etsi animum inferendi necem celaverit); 3° utrumque (coniugicidium nempe et adulterium), eodem matrimonio durante admittantur oportet (1).

Animadvertimus cum Ferreres, impedimentum (quia iuris ecclesiastici) ab infidelibus non incurri, etiamsi postea ad fidem convertantur, nec si (*in casu utrumque simul*, ut aiunt) mors ab infideli patrata

(1) Navarrus, *Enchir.*, c. XXII, 46; Sanchez, l. VII, disp. LXXVIII, LXXIX; Reiffenstuel, tr. XIV, dis. XIV, 84-93; Laymann, l. V, tr. X, p. IV, c. X; Sporer, p. IV, c. I, 99-111; S. Alphonsus, VI, 1031-1042; Aichner, § 175; Lehmkuhl, II, 1004-1007, D'Annibale, III, 438-441; Tanquerey, 1134-1138; Génicot, II, 497-499; Ferreres, *Epitome*, 934; Pighi, *De matrimonio*, an. 63, 64; Cerato, *Matrimonium*, 70.

fuerit, parte fideli prorsus ignara : opus enim est ut conditiones omnes impleantur post susceptum baptismum ab altero saltem complice (1).

752. — Resp. ad II Q. Domitillae verba amoris significationem nuptiarumque desiderium sonant, non firmum propositum, nedum promissum eas cum famulo ineundi. Ad hoc ex facti narratione non constat famulum Domitillae consensisse, eoque minus per nuptiarum repromissionem fidem suam ei despondidisse. Quapropter, matrimonii promissione et acceptatione deficientibus, criminis impedimentum ex adulterio solo non exsurgit (2).

CC.

Ubaldus et Ephysia post turpem coitum nuptias sibi invicem spondent, immo et attentant. Ignorabat Ubaldus Ephysiam esse nuptam, ignorabat Ephysia uxoratum Ubaldum esse. Re cognita, Ubaldus illico ab Ephysia divertit; at mortuo deinceps utriusque coniuge, Ubaldus cum Ephysia matrimonium iungere vellet.

Carpophorus cum Seia coniugata concubuit eique fidem suam de nuptiis copulandis obligavit. Dixit, fecit. Post paulo Stanislaus Seiae vir, e longinqua regione reversus, quum Carpophorum cum Seia conversantem invenisset, arrepto mucrone irruit in eum. Carpophorus ad vitam sibi servandam Stanislaum gladio transfodit, dein nuptias irritas cum Seia instaurare desiderat.

Quaeritur I°. An criminis impedimentum in priore facti specie existat?

Q. II°. An existat in altera?

Quaestionum solutio.

753. — Resp. ad I Q. Ut criminis impedimentum ex adulterio ortum habeat, diximus adulterium utrinque formale esse debere; nempe uterque adulter sciat oportet, sui criminis complicem matrimonii vinculo teneri. Cum autem Ubaldus et Ephysia complicis matrimonium ignoraverint, etsi mutua inter eos matrimonii ineundi promissio intercessit extititque criminosa matrimonii attentatio, defuit adulterium utrinque formale quod impedimento fundamentum praestat. Cumque re cognita Ubaldus ab Ephysia confestim diverterit (hoc est cum ea non amplius coiverit) ex sola matrimonii promissione et attentatione non potuit impedimentum oriri. Secus dicendum si, re cognita, Ubaldus et Ephysia rursus moechati fuissent; tunc enim, promissioni et attentationi manentibus, formale adulterium accessit, quocirca nihil defuit criminis impedimento praestando.

(1) Ferreres, *Epitome*, 934, III.

(2) Vide Lambertini, *Casus*, an. mdccxxxiii, mense maii.

754. — Resp. ad II Q. Ex coniugicidio cum adulterio nullum impedimentum exsurgit: namque Carpophorus non nubendi animo Seiae virum interfecit, sed ad vitam suam servandam, nimirum ad iustam sui tutelam; neque ulla necis machinatio praecessit quam Seia callere aut saltem coniicere potuisset. At si adulterium utrinque formale fuit ceteraeque superius memoratae conditiones adfuerint, potuit impedimentum exurgere ex alio capite, nempe ex promissione matrimonii vel attentatione cum adulterio coniuncta.

CCI.

Bonifacius sacerdos, sponsorum confessione audita, animadvertit eosdem adulterium cum mutua ineundi matrimonii promissione perpetrasse; attamen iis caute interrogatis, certior fit utrumque ignorasse ex patrato crimine dirimens impedimentum oriri. In hoc discrimine haeret Bonifacius, incertus quid agat.

Quaeritur I°. An criminis impedimentum exsurgat si uterque peccans illud ignoraverit?

Q. II°. An exsurgat si alterutrum tantum illud latuerit?

Q. III°. Quid Bonifacius aget?

Quaestionum solutio.

755. — Resp. ad I Q. Probabilitate saltem extrinseca illorum sententia non caret qui docent, impedimenti ignorantiam reos huius criminis excusare, seu ab impedimento eximere. Quippe contendunt, impedimentum hoc, sin minus unice, saltem praecipue in criminis poenam constitutum fuisse; poenas autem ab Ecclesia constitutas (extraordinarias cum primis) non incurrit ignorans (1). Communior tamen nobisque probabilior est contraria sententia. Namque de lege irritante agitur, quae non eo dumtaxat spectat ut tanti flagitii reos plectat, sed et ut in omnium animos horrorem huius criminis ingerat et a christianorum oculis execrandum nuptiarum spectaculum amoveat, ad quas copulandas coniugalem fidem frangere nupturientes non sunt veriti. Itaque cum lex ista tum poenae tum inhabilitatis rationem habeat, etsi demus posse, qua poena est, ob ignorantiam deficere, qua inhabilitas sustinetur (2). Huic sententiae grave pondus addere videtur

(1) Navarrus, *Enchir.*, c. XXII, 46; Ballerini ad Gury, II, 788 et fusius in *Op. theol. mor.* tr. *De Sacramentis*, sect. VIII, et tr. *De matrimonio*, 1044-1045; D'Annibale, III, 442 (cum aliqua oscitantia); Lehmkuhl, II, 1009, pro foro conscientiae hanc opinionem *probabilem* retur, quamvis ante nuptias dispensationem petere suadeat.

(2) Reiffenstuel, tr. XIV, dist. XIV, 93, addit. II; La Croix, l. VI, p. III, 642; Sporer, p. IV, c. I, 114 (qui unanimiter a doctoribus hanc sententiam traditam affirmat); Alasia, c. XIX, a. I, 3; Collet, c. VII, § II; Lamber-

Codex pontificii iuris hoc canone generatim edicens: *Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur* (1).

756. — Resp. ad II Q. Si impedimentum unus tantum ignoraverit vel ipsi prioris sententiae patroni incurri fatentur: cum enim impedimenti conscius eo teneatur, iam tenetur et alter, quippe matrimonium individuum est. Idque iure pontificio sancitum habemus (2).

757. — Resp. ad III Q. Cum uterque sponsus impedimentum ignoraverit, etsi probabilius impedimentum adest, attamen ob auctoritatem saltem doctorum satis probabile est impedimentum non adesse, propterea huc redit quaestio quam alias de impedimento dubio ob dubium iuris expendimus (n. 737). Quamobrem, si tempus suppetit, erit saltem ad cautelam dispensatio quaerenda, quam et Episcopus, necessitate urgente, tribuere potest. Sin vero non suppetat tempus, aliave timeantur incommoda, poterit Bonifacius silentio rem premere et sinere ut nuptiae ineantur (3).

CCII.

Celerinus, Tiberii famulus, Agatham ad coenam apud Tiberium invitat. Annuit Agatha nihil doli suspicata; at, coena absoluta, a Tiberio detinetur cogiturque ad nuptias secum ineundas. Per plures dies ipsa fortiter repugnat; ad extremum, ne Tiberio nubat, fugit cum Celerino nuptias cum eo celebratura.

Quaeritur I°. Quid raptus nomine et quaenam requiruntur ut raptus impedimentum dirimens inducat?

Q. II°. An in proposita facti specie raptus extiterit?

Q. III°. An Agathae nuptiae cum Celerino constare queant?

Q. IV°. An Tiberio valide nubere Agatha potuisset?

Quaestionum solutio.

758. — Resp. ad I Q. Raptus nomine intelligitur *violenta feminae abductio de loco ad locum, animo matrimonium ineundi cum ea.* Quo clarius pateat huius definitionis sensus et quorsum impedimentum raptus pertineat, iuverit tridentinum decretum efferre quo discipli-

tini, *Casus*, an. mdcclvi, mense octobris; Voit, II, 1359; Gury, II, 788; De Varceno, *De matrim.*, c. IV, a. II, § 5; Tanquerey, 1139; Aichner, § 175 (qui eam *probabiliorem hodieque certam* appellat); Costantini, 899 (qui dubitat de contrariae sententiae veritate); Ferreres, *Epitome*, 925; Génicot, II, 500; Sebastiani, *Summarium*, 547.

(1) *Codex iuris canonici*, can. 16.

(2) *Decret.* l. III, tit. 33; c. 1, *Laudabilem.*

(3) Tanquerey et Lehmkuhl, *Casus*, II, 979; Sebastiani, *Summarium*, 547.

nae circa raptum antiquitus vigenti paululum mutationis accessit. *Decernit S. Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat.* Deinde excommunicatione (nemini tamen reservata) percellit *raptorem ipsum et omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes* (1). Impedimentum hoc, ut palam est, ad matrimonii libertatem vindicandam atque tuendam institutum fuit. Id autem proprium ac singulare habet, ut quamvis aliquatenus poenale sit, perpetuum non est: cessat enim vixdum rapta e raptoris manu subducta fuerit, contra durat quoad rapta in raptoris potestate manserit, tametsi libera ac plena voluntate in matrimonium consenserit. Agedum ad raptus definitionem explanandam progrediamur, ut manifestum fiat quorsum impedimentum hoc se porrigat.

Est raptus 1° *feminae abductio:* nam cum tridentina Synodus de femina dumtaxat loquatur, perperam ad virum eius verba traherentur. Esto et virum a femina posse rapi; verum rarissime id contingit, Synodus autem sequioris sexus imbecillitati prospicere voluit, qui abductionis periculo magis est obnoxius. Adde, legem inhabilitantem maxime odiosam esse, propterea stricte sumendam. Hoc, pauculis dissentientibus, receptissimum est (2). 2° Abductio *violenta* sit oportet, idest invita femina quae rapitur; quandoquidem, ea consentiente, omnis exulat iniuria. Erit autem abductio violenta, seu *physice* vis illata fuerit (puta per manuum iniectionem), seu *moraliter* (v. c. per metum, dolum, fraudem, hypnoticam suggestionem). Si vero blanditiis, suasione, promissis, muneribus tantum illecta femina abducatur (qui minus proprie *seductionis raptus* dicitur), deest vis ideoque et impedimentum: nam tridentinum decretum de *raptore* loquitur, non de *seductore;* nemo autem dixerit, germana verborum proprietate servata, seductorem rapere (3). 3° *Abductio de loco ad locum* fieri debet, nimirum de loco tuto in quo femina consensum libere promere valeat,

(1) Sess. XXIV, *De reformat. matrimonii*, c. VI. Tridentinam excommunicationem *Codex pontificii iuris* sustulit, aliis poenis eidem suffectis, quibus puniendus decernitur qui mulierem invitam rapuerit matrimonii intuitu, vel explendae libidinis causa (vide canonem 2353).

(2) Sanchez, l. VII, disp. XIII, 16; Reiffenstuel, tr. XIV, dist. XIV, 155; Sporer, p. IV, c. I, 30; La Croix, l. VI, p. III, 635; S. Alphonsus, VI, 1107; Gury, II, 860; Aichner, § 176; Lehmkuhl, II, 1010; Tanquerey, 1128; Pennacchi, Append. XXXVIII, c. V; Sebastiani, *Summarium*, 562; Ferreres, *Ep.*, 933.

(3) Haec sententia communis (contra non paucos theologos, praesertim gallos, quorum opinio hodie obsolevit), omnino tenenda post literas Pii VII ad Napoleonem datas die 26 iunii anni 1805. Vide Gousset, II, 797-801 et Guillois, *Catechismo*, vol. III, lez. XXXIII.

ad locum minus tutum in quo liberam seipsam non sentiat. Nihil autem refert utrum raptor per se vel per alium feminam abducat, quippe mandatarius mandantis nomine agit, proinde non ipse sed mandans rapere censetur. 4° *Animo matrimonium ineundi cum ea:* etenim ad matrimonii libertatem tutandam hoc impedimentum spectat. Hinc, si femina vindictae sumendae aut explendae libidinis causa fuerit rapta, raptus impedimentum abest. Ita communissime theologi, paucis contradicentibus (1). — Quid si femina primum consentiens abducta, vel ad libidinem explendam rapta, subinde invita matrimonii ineundi causa detineatur? — Olim quaestionis erat. Negabant alii satis probabiliter impedimentum adesse, quia verus raptus non adfuit quum femina fuit abducta; cumque in odiosis versemur, propterea legis verbis mordicus inhaerendum esse arbitrabantur (2). Alii ex adverso impedimentum extare putabant, quia violenta detentio abductioni aequiparatur (3). Quaestionem *Codex pontificii iuris* definivit hoc canone: *Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta detentio mulieris, cum nempe vir in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet* (4).

759. — Resp. ad II Q. Ipsa facti enarratio exerit, Agatham non libidinis causa sed dolo circumventam in Tiberii domum adductam fuisse ut ad matrimonium adigeretur. Nullum ergo dubium, raptum extitisse, et ex consequenti impedimentum nuptias Agathae cum raptore dirimens.

760. — Resp. ad III Q. Ut de vi nuptiarum Agathae cum Celerino iudicium feramus, interest dispicere utrum marte suo Celerinus eam rapuerit, vel ex Tiberii mandato. Si ex Tiberii mandato, nuptiae constant, quippe non Celerinus rapuit sed Tiberius, Celerini tanquam mandatarii opera usus. Si suo marte, ipse extitit raptor, eapropter nequit eam sibi coniugem facere ob dirimens impedimentum, quod tamdiu durat quamdiu Agatha suae libertati sit reddita, seu in loco tuto posita (5). Demum si Celerinus ex Tiberii mandato quidem rapuit, eo tamen animo ut respuentem Tiberii nuptias eam sibi matrimonio copularet, uterque raptor extitit et a nuptiis ineundis prohibetur.

(1) Sanchez, 5; Reiffenstuel, 153; La Croix, 631; Voit, II, 1358; Alasia, diss. unic., c. XIX, a. XIV, 8; S. Alphonsus, 1107; Gury, 860; Gousset, 796; D'Annibale, III, 446; Aichner, l. c.; Costantini, 883; Tanquerey, 1131. Contradicunt Laymann, l. V, tr. X, c. XIII, 1; Bonacina, disp. IX, q. IV, p. XVIII, 1, 2; Bouvier, c. IV, § XIII.

(2) D'Annibale, l. c.; Gasparri et Vernz (apud Zaninetti, 2992, II).

(3) Krimer (apud La Croix, 631); Scavini, III, 807 in nota; Tanquerey, 1131; Ballerini, *Opus. theol. mor.*, tr. *De Sacramentis*, sect. VIII, 1063; et tr. *De matrimonio*, 1064; Avanzini apud Pennacchi, l. c.

(4) *Codex iuris canonici*, can. 1074, § 3.

(5) D'Annibale, l. c., nota 32.

761. — Resp. ad IV Q. Post haec responsio postremae quaestioni in promptu est. Namque si Tiberii nomine Celerinus egit, Tiberius Agatham rapuit, propterea eam ducere uxorem nequit: secus si suo marte Celerinus feminam decepit atque in Tiberii domum per fraudem introduxit.

CCIII.

Lucullus, simplici castitatis voto obstrictus, nuptias avet cum Aurelia consanguinitate in collaterali linea sibi coniuncta. Dispensatione ab Apostolica Sede super consanguinitatis impedimentum impetrata, nuptiae celebrantur. At cum de voti vinculo nulla in supplici libello mentio facta fuerit, Lucullus vehementer angitur dubio de obtentae dispensationis et ex consequenti de initi matrimonii vi; cumque in proximo incontinentiae periculo versetur, confessarium rogat, ut sibi ab Episcopo utriusque impedimenti relaxationem obtineat.

Quaeritur 1°. An subreptionis vitio dispensatio a Lucullo obtenta laboret?

Q. II°. An, si infectum matrimonium fuit, Episcopus ab utroque impedimento dispensare valeat?

Quaestionum solutio.

762. — Resp. ad I Q. Simplex perpetuae castitatis votum inter ea impedimenta censetur quae prohibentia seu impedientia vocantur, quippe quae matrimonium contrahendum impediunt quin contractum dirimant: hoc tamen votum R. Pontifici reservatum est, propterea nisi ab eo relaxari non potest (n. 207). Hisce praehabitis, in dispensatione ab impedimento dirimente petenda ea omnia proferantur necesse est quae dispensationis gratiam difficiliorem efficiunt, id enim veracitati omnino consentaneum esse nemo est quin videat. Hinc iam licet inferre, et impedimentum impediens, quod dirimenti superadditur, in supplici libello aperiendum esse (1). Idque in *Instructione* quadam S. Congregationis de Propaganda Fide conceptis verbis traditur; etenim illis *quae in litteris supplicibus sunt exponenda, ita ut, si etiam ignoranter taceatur veritas aut narretur falsitas dispensatio nulla efficiatur,* accensetur *numerus impedimentorum, ex. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive* impediens (2). Non quaevis tamen veritatis occultatio vel adulteratio dispensationem irritam facit. Ad rem

(1) Gury, *Casus*, II, 1046; D'Annibale, III, 490; Aichner, § 189; Sebastiani, *Summarium*, 576; Zaninetti, 2704, IV cum Noldin.

(2) *Instructio super dispensationibus matrimonialibus*, 9 maii 1877.

Codex iuris canonici novissimus: *Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit* (1). Et generatim de rescriptis *Motu proprio* concessis haec habet: *Cum rescriptis ad preces alicuius impetratis imponitur clausula* **Motu proprio**, *valent quidem ea, si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur, salvo praescripto can.* 1054 (2). Iuverit etiam referre quae in recentioribus Romanae Curiae statutis anno 1908 iussu Pii X editis leguntur: *Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes* **ex rationabilibus causis a S. Sede probatis.** *Sic vero concessae perinde valebunt ac si* **ex motu proprio et ex certa scientia** *impertitae sint; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis* (3). His positis, si Lucullus in tertio consanguinitatis gradu Aureliae iungebatur (nempe eius sobrinus erat) aderat impedimentum minus, et dispensatio valuit etsi voti impedimentum malitiose reticitum fuerit. Matrimonio autem inito, a voti impedimento Episcopo fas est dispensare: hoc tamquam consuetudine firmatum Sanchez affirfirmat, et S. Alphonsus tanquam communius et valde probabiliter acceptum (4). Quod si in secundo consanguinitatis gradu Lucullus Aureliae iungebatur (nempe eius consobrinus erat) potuit adhuc dispensatio valere si *motu proprio* impertita, dumne causa finalis, eaque unica in supplici libello expressa, falsa fuerit: secus, ob subreptionis vitium, irrita cessit.

763. — Resp. ad II Q. Posse Episcopum post matrimonium contractum ab occultis impedimentis dispensare ex praesumpta R. Pontificis voluntate, quum id exigit gravis et urgentissima causa quae moram non patiatur (ut puta mortis, infamiae, scandali periculum), apud saniores theologos iamdiu receptum erat (5); hodie explorati iuris est, gravi enim urgente causa, quin tempus suppetat ad Sanctam Sedem

(1) *Codex iuris canonici*, can. 1054. Impedimenta minoris gradus ex eiusdem *Codicis* canone 1042 haec sunt: 1° *Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis*; 2° *Affinitas in secundo gradu lineae collateralis*; 3° *Publica honestas in secundo gradu*; 4° *Cognatio spiritualis*; 5° *Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum*. Consanguinitatis impedimentum, quod iure antiquo nuptias ad quartum lineae collateralis gradum dirimebat, iure novissimo tertio gradu finitur, et tunc tantum multiplicatur stipes (can. 1076, § 2).

(2) *Codex iuris canonici*, can. 45.

(3) *Acta Apostolicae Sedis*, an. I, vol. I, *Ordo servandus in sacris Congregationibus*, Normae peculiares, c. VII, a. III, n. 21.

(4) Sanchez, l. VIII, disp. XII, 4; S. Alphonsus, VI, 987.

(5) Sanchez, l. II, disp. XL. 3; Voit, II, 1364; S. Alphonsus, VI, 1123; Benedictus XIV, *De Synodo dioec.* l. IX, c. II; Aichner, § 187; Ballerini-Palmieri, tr. *De matrimonio*, 1411; D'Annibale, III, 498; Tanquerey, 1174.

recurrendi, in novo *iuris pontificii Codice* eadem Episcopis facultas tribuitur pro matrimonio contracto sanando quam (n. 730) tribui vidimus pro celebrando (1). Neque dicas, in subiecta facti specie de impedimento occulto non agi: cum enim per obtentam in foro externo dispensationem impedimentum sublatum fuerit perinde res se habet ac si impedimentum esset occultum. Quod demum spectat ad castitatis votum, iam diximus Episcopo fas esse illud relaxare.

(1) *Codex iuris canonici*, can. 1045, § 2 et can. 1043.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM NOTABILIUM

Numerus paragraphum signat

A

Aboulia. Voluntarii impedimentum, 6, nota (3).

Absolutio. An absenti vel per telephonium mitti queat, 543, 544. — Quando potest, quando vero debet sub conditione tribui, 38, 51, 464, 618, 619, 625, 684, 700. — *Vide* Forma. — Quando neganda vel differenda. 680, 688-692. — An absolvi queant ignorantes credenda necessitate medii, 170, 171. — An ignorantes SS. Trinitatis et Incarnationis mysteria, 170. — An nolentes alienum statim restituere, 305, 306. — An civili ritu tantum nupti, 492, 690, 691. — De absolutione moribundi, 573, 576, 636, 676, 678, 679, 700. — De absolutione complicis in peccato turpi, 674-679. — De absolutione habituati, 682. — De absolutione recidivi, 683-686. — De absolutione occasionarii, 688-692. — An absolutionem a venialibus quivis sacerdos impertiri valeat, 648. — De absolutione a reservatis, *Vide* Reservatio et Censura.

Abstinentia. *Vide* Ieiunium.

Acatholici. *Vide* Infideles.

Actus. Actus primo-primi et secundo primi, 5, 9. — Qui morales per se, quique per participationem, 25. — An moralis actus sine conscientia haberi queat, *Vide* Conscientia. — Actus humanus, quotuplex, quique per antonomasiam hac appellatione gaudet, 117, nota (1). — Actus intrinsece malus qui sit, 28. — Actus exterior an interioris bonitatem vel pravitatem augeat, 25, 26, 552. — Quare exterior actus in confessione sit aperiendus, 26. — An interior actus a legislatore humano praecipi queat, 73. — An actus heroicus, 74. — An liceat actum ponere cuius duplex effectus, bonus alter, alter malus, 15, 16. — An actum qui alteri occasionem praestet peccandi, *Vide* Scandalum. — An et quando in eodem actu plures et distinctae insint pravitatis species, 142. — Quando fidei actus est eliciendus, *Vide* Fides. — Actus iudiciales an die festo permittantur, 218.

Adolescens. An, nondum expleto vigesimo primo anno, lege ieiunii teneatur, 51. — An dubitans de anno expleto, 51.

Adulterium. Quatenus impedimentum dirimens matrimonium, 751-754.

Advena. Quis sit, 94. — Quibus legibus tenetur, 95. — Cui subditur in Poenitentiae Sacramento, 632.

Advertentia. Quae ad peccatum requiritur, 126, 127, 130. — Imperfecta minuit culpam, 131. — Quid in dubio de perfecta advertentia, 127, 132, 559.
Aequivocatio. Quid sit et an liceat, 228, 229. — An liceat quandoque eam iuramento firmare, 230, 231. — An ea uti in confessione, 230, 231, 562.
Aetas. Quaenam ad matrimonium valide contrahendum requiratur, 437, nota.
Affinitas. Quid sit, unde oritur, quorsum se porrigit ad nuptias dirimendas, quoque iure eas dirimit, 736, 748, 749. — In primo lineae rectae gradu dispensationi non subest, 748.
Alienatio bonorum Ecclesiae. Vide Clericus et Bona Ecclesiae.
Amentes. Perpetui, temporanei, monomaniades, an legibus naturae et Ecclesiae sint obnoxii, 81. — An liceat ad eiusmodi leges violandas eos inducere, 81, 82.
Apostasia. Quid sit, qua poena coerceatur, a quo apostata absolvi potest, 419, 421.
Approbatio ad excipiendas confessiones necessaria. *Vide* Iurisdictio.
Arrhae. Quid sunt et quo spectant, 706, nota.
Aspectus turpes. *Vide* Luxuria.
Assentatores. Mendacii rei, 227.
Atavismus. Voluntarii impedimentum, 6, nota (3).
Attentio. Quotuplex, et quatenus ad orandum necessaria. *Vide* Oratio, Officium, Missa, Satisfactio.
Attritio. *Vide* Contritio.
Auctoritas theologorum. Quae et quanta sit in re morali, 30, 31, 47, 48, 129.

B

Baptismus. Materia, 38, 457, 503. — Forma, 455, 457. — Quae corporis pars abluenda, 38, 503. — Quae intentio in ministro sufficiat, 482. — Quae in adulto suscipiente, 495, 503. — De errore ministri circa personam Baptismo tinctam, *Vide* Error. — Ritus in eius collatione servandi, 501. — An et quando liceat Baptismum parvulis domi conferre, 501. — An quae baptismalia vota appellantur veri nominis vota sint, 195, nota (2). — Quando et qua ratione iterandus, 51, 87, 171, 464, 502, 503. — An iterantes sine causa irregularitatem incidant, 502. — De impedimento spiritualis cognationis ex Baptismo nascente. *Vide* Cognatio, Patrini.
Barbitonsores. Quatenus die festo laborantes a peccato excusentur, 220.
Bellaria, An et quatenus in die ieiunii sumi queant, 251.
Bellum. Si iniustum, nefas est bellare; an liceat in dubio de iustitia, 44.
Bibliopegae et Bibliopolae. An censuram incurrant libros vetitos retinendo, 425.
Blasphemia. Quatenus culpanda si ex habitu proferatur, 9, 10, 126, 127.
Bona Clericorum, Ecclesiae, filiorumfamilias, *Vide* Clericus, Ecclesia, Filiifamilias. De poena in alienantes Ecclesiae bona sine beneplacito S. Sedis. *Vide* Excommunicatio.
Bonorum cessio. *Vide* Cessio.
Bonum intrinsecum. Quid est, 55.

C

Caecus. An caeci oculi extrema Unctione sint liniendi, 694.
Caelibatus. An caelibatus lege teneatur qui sacros ordines infans vel metu coactus suscepit, 493, nota (1) et 495.
Calumnia. Quid est et quale peccatum et quatenus a simplici detractione differt, 147, 232, 233. — *Vide* Detractio.
Caritas. Quando caritatis praeceptum obligat, obiter tangitur, 173. — Quot modis laeditur. *Vide* Contumelia, Cooperatio, Detractio, Iudicium temerarium, Scandalum.

Castitas. In dubio de laedenda castitate tutior tenenda sententia, 34, 692, 726. — *Vide* Luxuria. — Castitatis perpetuae votum inter reservata R. Pontifici recensetur, 207. Matrimonium impedit, 762. — Matrimonio inito, ab Episcopo relaxari potest, 763.

Caupones. An peccent dapes vetitas adventoribus praebentes, 12.

Causa. An et quando liceat causam ponere duos habentes effectus, alterum bonum, alterum malum, 15, 16. — Quando effectus agenti tamquam causae sunt imputandi, 22, 23, 24. — Quid in dubio de effectu secuto vel de causae influxu. *Vide* Dubium. Qui causa negativa extitit damni an et quatenus illud sarcire debeat, 337, 338. — An et cui restituere debeat accipiens pecuniam a fure ne illum prodat, 338, 339. — An ob monitionem omissam, confessarius poenitentis loco restituere debeat, 340.

Censura. Quid sit, 413. — Quotuplex, 414. — Censura iniusta coram Deo non ligat, 415. — Quid si dubites de iustitia censurae, vel an sit latae sententiae vel ferendae, 415, 418. — Quid de censura dubia, dubio seu iuris seu facti, 416. — Quid de dubia censurae absolutione, 417. — An valeat absolutio a reservata censura quam confessarius tribuit reservationis ignarus, 662, 663. — *Vide* Excommunicatio. — Quid iuris inductum vel mutatum fuit per Constitutionem *Apostolicae Sedis* ad censuras quod attinet, 433, 434, 413, nota (3). — De reservatione peccati propter censuram vel addita censura, et an ignorantia censurae a reservatione eximat, 660, 661.

Cessio bonorum. Quotuplex et an cedentem a restitutione eximat, 341-343. — An et quae decoctori liceat sibi occulte servare, 341.

Chocolates. An et quatenus sumi possit in die ieiunii, 251.

Choreae. An et quatenus licitae, 692.

Civitas. Qui eius finis, 72. — Legifera protestate gaudet, 72. — An et quatenus interiores actus et heroicos praecipere valeat, 73, 74.

Clandestinitas. Quatenus matrimonium haereticorum irritat, 86, 87. — Exceptio pro haereticis Germaniae et Hungariae mixta coniugia ineuntibus, 86.

Clausura monialium. Violantes illam excommunicatione plectuntur, 436. — Qui violantium nomine, 437. — An etiam impuberes huic censurae sint obnoxii, 438. — Ad quem spectat licentiam ingredienti tribuere, et quae causae egressum excusant, 437. — An peccent et censuram incurrant immittentes et introducentes pueros, 438. — An qui cum licentia ingressi ibi diutius commorantur, 439, 441. Clausura virorum. An et quatenus violantes excommunicatione puniantur, 440. — An detur materiae parvitas a gravi culpa et poena eximens violantes, 441.

Clericus. An divinum officium voluntarie distractus persolvens, faciat fructus suos, 178. — Quotuplicis generis sint clericorum bona, 265. — An patrimonialium, clerici dominium habeant, 266, 273. — An quasi-patrimonialium, 267, 273. — An beneficii bonis uti valeant ad honestam sui sustentationem, quidque veniat sustentationis nomine, 268, 273. — An parsimonialium domini sint, 269. — An superflua beneficii in usus pios expendere debeant, quidque hoc in genere ad materiam gravem constituendam requiratur, 270. — An secus agentes iustitiam violent et restitutioni sint obnoxii, 271. — An et quae beneficii bona clerici alienare possint, 272, 273. — Clerici percussio punitur, 418. — De clerico turpibus assueto a sacris ordinibus repellendo, 475, 682.

Cognatio spiritualis. Ex Baptismo valido et solemni a quibus contrahatur, quaeque conditiones ad eam contrahendam requirantur, 504, 505. — An contrahatur a patrinis in Baptismo privato, 505. — An ob errorem personae impedimentum, deficiat, 505, 750. — Ab impedimento dubio Episcopus dispensare valet, 505. — An et quatenus ex Confirmatione exurgat spiritualis cognatio obsitque matrimonio ineundo, 513, 514.

Compensatio occulta. Quandoque licita, quandoque minus, 263, 264, 369.

Complex. An fama complicis servanda ab integritate confessionis excuset, 583. —

De complice in peccato turpi quid iura statuunt, 674. — Quid peccati turpis nomine intelligendum, 675, 677. — An sacerdoti turpis peccati complici adimatur facultas absolvendi etiam a ceteris peccatis, 675. — An complicis absolutio quandoque valeat et liceat, 676, 678, 679.

Concupiscentia. An et quando sit obligatio positive resistendi concupiscentiae motibus, 138, 140. — Quatenus voluntarium impedit. *Vide* Passiones.

Conditio. Alia resolutiva, alia suspensiva, 716. — De conditione in forma Sacramentorum, in sponsalibus, matrimonio, Poenitentia et voto. *Vide* Forma, Baptismus, Absolutio, Sponsalia, Matrimonium, Poenitentia, Votum.

Confessarius. An et quatenus docere et monere poenitentem debeat, 50, 171. — An monitionem omittens poenitentis loco restituere debeat, 340. An et quatenus poenitentem interrogare debeat, 587, 589. — Qua ratione cum surdo se gerat oportet, 580, 582. — Qua ratione cum imparato, 588. — Qua ratione cum scrupulosis. *Vide* Scrupulus. — Qua ratione cum reservati criminis reo, 658. — Qua ratione cum iis qui in occasione peccati versantur, cum habituatis, recidivis, maleficis, moribundis, aliena retinentibus. *Vide* Occasio, Habituatus, Recidivus, Maleficium, Moribundus, Absolutio. — Qua ratione cum iuvenibus et sponsis, 692, 725. — In lubricis severior sit oportet quam benignior, 34, 726. — Quod pertinet ad absolvendi potestatem. *Vide* Iurisdictio et Reservatio.

Confessio. An divino praecepto facienda, 540. Quosnam hoc praeceptum tenet, 541. — An statim obliget post peccatum; quando per se, quando vero per accidens, 542, 544. — An publice vel secreto, voce aliave ratione confessio fieri debeat, 543. — An fieri queat absenti quaeque poenitentis praesentia sufficit, 543. — An per telephonium, 544. — Grave Ecclesiae praeceptum adest, praeter divinum, semel in anno confitendi peccata, 545. — Quinam hoc praecepto tenentur, 546. *Vide* Pueri. — Quomodo computandus annus, 547. — Quid si quis, peracta confessione, eodem anno in grave peccatum relabatur, 548. — Cui confessio facienda, 549. — An transacto anno, confessionis obligatio cesset, 550. — An per unam confessionem plurium annorum obligationi satis fiat, 550. — An per confessionem voluntarie nullam impleatur praeceptum, 118. — Quid est et quotuplex confessionis integritas et quatenus necessaria, 551. — Quatenus ad integritatem pertinent peccatorum species, circumstantiae mutantes speciem vel addentes et numerus, 552-556. — Quid de circumstantiis aggravantibus, 554. — Qua ratione incertus numerus declarandus, 556. — An et quando poenitens qui peccatorum suorum numerum exaggeravit errorem suum corrigere debeat, 556. — An sit obligatio confitendi peccatum de quo dubitas an admissum, vel grave fuerit, vel alias in confessione declaratum, 550, 557, 561. — An peccatum, quod quis ceu dubie admissum confessus fuit, debeat iterum declarari quum certe admissum cognoscitur, 562. — Quare exterior actus in confessione est aperiendus, 26. — An mendacium integritati confessionis officiat, 230, 231, 556, 663. — An sacrilegium sit, semperque grave peccatum, 564. — An lethalia alteri, alteri venialia confiteri liceat, 565, 567. An in confessione generali recentia peccata veteribus commiscere mendacium sit, 566, 567. — An peccata ex oblivione reticita necesse sit confiteri, 568, 571. — Quando id faciendum, 569. — An per absolutionem directe sint remittenda, 570. — Causae ab integritate excusantes, 572. — An et quando moribundus ab integritate excusetur, 573. — An absolvi queat moribundus sensibus destitutus, sive catholicus, sive religionis ignotae, sive haereticus sit, 574, 575, 576. — An et quatenus ab integritate quis excusetur ob damnum in bonis corporis, fortunae, famae, animae quod sibi, confessario vel ceteris obventurum timet, 577, 579. — An surdus et surdaster, 580. — An ignorans idioma confessarii, 581. — An interprete iste uti debeat, 582. — An ab integritate excuset fama alterius, sive complicis sive non complicis, servanda, 583, 585. Quae quantaque sit poenitentis obligatio alium confessarium adeundi vel confessionem differendi, 584, 585. De conscientia discutienda.

Vide Conscientia. — Causae confessionem irritantes et quando iteranda confessio, 590. — Si probabiliter valuit non est necessario iteranda, 51, 533, 539, 562, 590, 592, 643. — Qua ratione iteranda, 591. — An historica peccatorum narratio confessioni sufficiat, 592. — An ab haeretico rebaptizando confessio sit peragenda, 464. — An iterandae confessiones a pueris et rudibus factae, peccatorum speciebus et numero non distincte declaratis, 593, 595. — An et confessiones intermediae iterandae sint, 594, 595. — An iteranda confessio si satisfactio sit commutanda, 621. — Generalis confessio quid sit, 596. — Quibus iniungenda, suadenda, permittenda, vetanda, 597, 599. — Qua ratione et methodo perficienda, 598. — De potestate absolvendi a reservatis. *Vide* Reservatio et Haereticus.

Confirmatio. Non est necessaria necessitate medii; an necessitate praecepti *per se* vel *per accidens* et sub gravi peccato, 507, 509. — Quaenam requiruntur in subiecto ut valide, quae ut licite confirmetur, 508, 509. — Quaenam in patrino, 511, 512.

Coniugicidium. An et quando matrimonii impedimentum praestet, 751, 754.

Consanguinitas. Quorsum ex iure novissimo pertingit nuptiasque dirimit, 763, nota.

Conscientia. Quid est et quatenus a sensu morali et a iudicio practico distinguitur, 49. — Ad morales actus perficiendos non necessario requiritur, 49, 126, nota (2). — Regulae ad certam sibi conscientiam praestandam, 27-53. — Conscientia regula actionum proxima, non unica, 49. — Conscientia errans errore voluntario a peccato non excusat, 50. — Conscientia erronea quando a mortali culpa excusare valet, quando venialem in lethalem transfert, 131, 135. — Qua ratione confessarius erroneam poenitentis conscientiam debeat rectam facere, 50. — Conscientiae discussio quae quantaque in poenitente requiritur, 586. — Quomodo a confessario suppleri queat, 587, 589.

Consensus. An et quatenus ad peccatum requiritur, 126. — Ad mortale peccatum plenus sit oportet, 130, 131. — Quid in dubio de perfecto consensu, 127, 139, 140, 559, 561.

Consilium. An divina consilia obligationem praecepti quandoque inducere valeant, 527.

Consuetudo. Consuetudo regionis quaedam tolerabilia facit, 18. — De consuetudine quoad sanctificationem festorum, 218, 220. — Quoad ieiunium, 51, 247, 251. — Quoad beneficii bona alienanda, 272. — Quoad iurisdictionem in peregrinos et vagos, 633, 635. — Quoad usum iurisdictionis probabilis in Poenitentiae Sacramento, 646, 647. — Quoad dispensationem ab impedimento voti post initum matrimonium, 763.

Consulens. An liceat minus malum consulere, 13, 14. — An et quatenus alterius damnum consulens restituere debeat, 333. — An consulens ei qui damnum inferre paratus est, 334, 336. — An consulens minus damnum parato gravius inferre, 335, 336.

Contemptus. Si formalis fuerit in legem vel legislatorem, gravi culpa non vacat, 135, 137, 178, 501, 507. — Formalis vel virtualis ad censuram incurrendam requiritur, 413.

Contumelia. In quo a detractione differt, 232, 234.

Contractus. Quid est et quatenus a promissione differt, 344, 345. — De re inhonesta ante opus praestitum irritus est, 349, 354. — Opere praestito an valeat, 350, 351, 353. — An et cui mali operis pretium sit restituendum, 352. — An contractus irritus per iuramentum convalescat, 362. — An et quatenus ex culpa iuridica obligatio exsurgat reficiendi damna, 363. *Vide* Quasi-contractus. — De errore et dolo in contractu. *Vide* Error. — De metu irritante contractum. *Vide* Metus.

Contritio. Perfecta etiam sine Sacramento iustificat, 485. — Contritio quasi pars ad materiam Poenitentiae proximam pertinet, 529. — An imperfecta, seu attritio,

in Sacramento sufficiat, 530. - An et quodnam amoris initium continere debeat, 531. - Quaenam eius dotes, 532, 534. - An doloris actus necessario confessioni praemittendus, 535. - An ad confessionem referendus, 536. — Quamdiu durare censetur, 537. - An idem actus pluribus Sacramentis recipien tis sufficiat, 538. — An contritio requiratur et sufficiat Sacramentorum ministro gravis culpae conscio, 485.

Convictores. Quatenus Regularium iurisdictioni in Poenitentiae Sacramento subduntur, 634, 635.

Cooperatio. Alia formalis, alia materialis: quibus conditionibus haec licita est, 11, 12, 14, 17, 21, 24, 725. — Cooperator in damno quatenus restituere debet, 339. *Vide* Consulens, Mandans, Telonarii, Famuli.

Crimen. Quotuplici ex capite criminis impedimentum exsurgat, quaeque ad illud incurrendum requiruntur, 751-754. — An poenae rationem habeat et, utroque reo illud ignorante, incurratur, 755, 757. — An incurratur, alterutro tantum illud ignorante, 756. — An ab infidelibus, 751.

Cryptologia et Cryptographia. An licitae sint, 228.

Culpa. Discrimen peccatum inter et culpam, 2, 125. — Culpa iuridica et theologica, 324. — An et quatenus ex culpa iuridica obligatio oriatur restitutionis. *Vide* Restitutio. — An oriatur in contractibus et quasi contractibus. *Vide* Contractus et Quasi-contractus.

Cultus. Deiparae et Sanctorum an sit praeceptus, 178. — Quid de voto Deiparae vel Sanctis nuncupato, 195. *Vide* Religio et Disparitas cultus.

D

Daemonologia. *Vide* Superstitio.

Defuncti. An et quatenus sint detractionis subiectum, 235. — Functorum voluntates sanctae et servandae, 370.

Delectatio. Quid sit et quando mala, 143. - Unde speciem sumat, quidque de delectatione conditionata, 146, 147. — An liceat delectatio de usu coniugii futuri, praesentis, praeteriti, 154.

Desiderium. Quid sit et quando malum, 143. - Unde speciem sumat, quidque de desiderio conditionato, 144, 147, 153.

Detractio. Quid sit et quotuplex et quale peccatum et an quandoque licita, 232, 233. - Quae detractionis materia, 234, 236, 237. — An vitium natalium et scrupuli sint detractionis materia, 236, 237. — Quis detractionis subiectum, 235, 236. — An detrahere sacerdoti sit sacrilegium, 147. — An pluribus uno actu detrahere, unum sit peccatum, 158, 159. — Detractionem audientes an et quando peccent, 238, 240. - Item audita referentes, 239, 240. — Quatenus detractor famam et damna sarcire debeat, 241, 243. — An laesam alterius famam reficere non valens debeat eam pecunia aliave ratione pensare, 243 *bis*. — An restituta fama, adhuc damna sint sarcienda, 242. — An liceat quandoque occulta crimina revelare, 234, 237, 241, 243.

Disparitas cultus. An et quatenus dirimat matrimonium, 85, 87.

Dispensatio. An detur in praeceptis legis naturalis, 62, 64. — Dispensatio ab operibus servilibus die festo, 220. — A voto et ab impedimentis matrimonii. *Vide* Pontifex R., Episcopus, Impedimentum, Votum. — Dispensatio subreptitia irrita, 762.

Divinatio. Quid sit quotque eius species. *Vide* Superstitio.

Dolor. *Vide* Contritio.

Domicilium, Quasi-domicilium. Quando acquiruntur, 94, 632. *Vide* Advena, Peregrinus, Vagus.

Dominium. Dominii (quod *ius proprietatis* vocant) germana notio, 370. — Quo iure scriptores dominium habeant in opus suum nondum typis editum, 258. — Quo

iure in opus editum, 259. — Quid de hoc dominio leges civitatis statuunt, 260. — An leges huiusmodi conscientiam obstringant, 261. — De dominio Ecclesiae, clericorum et filiorumfamilias. *Vide* Ecclesia, Clericus, Filiifamilias. — De modis acquirendi dominium. *Vide* Occupatio, Venatio, Res amissae, Thesaurus.

Donatio. An valeat, si de re alteri promissa, 346, 348. — Donatio sub conditione suspensiva, conditione impleta, fit absoluta, 369.

Dubium. Temerarium. *Vide* Iudicium. — Dubium speculativum et praticum, 27. — Positivum et negativum, 27, 244, 644. — Dubium iuris et facti, 644, 737. — In dubio practico operari non licet, 32. — Quomodo vincendum dubium de actionis honestate, 27-31. — Dubium de coeundi potentia et de vi secundi matrimonii, 34. — De legitimo rei possessae dominio, 35. — Dubium de lege naturali quidquam prohibente, seu de re intrinsece mala, 28, 32-34, 37. — Dubium de legis positivae promulgatione et extensione, 29. — De iustitia legis, 71. — De lege impleta, 29. — De aere alieno soluto, 36. — De vi Sacramenti conficiendi, 37, 38, 51. — Dubium de fracto eucharistico ieiunio. *Vide* Eucharistia. — De confitendis peccatis dubiis. *Vide* Poenitentia. — Dubium de iurisdictione. *Vide* Iurisdictio. — Dubium de impedimento matrimonii. *Vide* Impedimentum. — Dubia de legatis solvendis. *Vide* Legatum. — Dubium de temporis puncto quo legis obligatio incipit vel desinit, 40, 41, 43. — De iustitia belli, 44. — De voto nuncupato, de eius vi, obiecto, extensione et implemento, 45, 46, 199-202. — De aetate ad ieiunium requisita, 51. — De re possessa an sit aliena. *Vide* Possessor. — De effectu damnifico causae a se positae, 319. — De influxu causae in damnum certe secutum, 320. — Dubium de re empta an sit aliena. *Vide* Emptor. — De iustitia censurae, 415. — De censurae existentia, 416, 418. — De absolutione obtenta, 417.

Duellum. Quid est, 431. — Praecipuae poenae in duellantes sancitae, 432. — De excommunicatione speciatim in eos lata, 433. — Quos haec excommunicatio feriat, 434, 435.

E

Ebrietas. An et quando sit lethale peccatum, an licita quandoque esse queat, 12. — An peccent vinum se inebriaturis ministrantes vel ad ebrietatem provocantes, 12, 24. — De imputabilitate actuum qui in ebrietate fiunt, 9.

Ecclesia. Finis ad quem instituta est, 72. — Legifera, iudiciaria, coercitiva potestate gaudet, 72-75. — Iure naturali ac positivo existit et possidet, 255-257. — Potestatem habet pravos libros prohibendi, 422. — Potestatem habet ritus aliquos instituendi in Sacramentorum administratione servandos, 498. — Quae sacrorum rituum institutionem commendant, 499. — Potestatem habet peccata reservandi, 655, 656.

Effectus. *Vide* Causa.

Electuaria. An et quatenus in die ieiunii licet ea sumere, 250.

Emptor. Quibus obligationibus tenetur dubitans an res sit venditoris vel aliena, 318. — Emens a fure, an pretium a domino repetere valeat ut ei rem reddat, 321, 323. — An possit emptam rem reddere furi ad pretium solutum recuperandum, 322, 323. *Vide* Venditio.

Episcopus. Vix electus iurisdictione pollet ac legifera potestate, 76, 77. — An iurisdictionis potestatem immediate a Christo, vel per R. Pontificem accipiat, 626, nota (1). — Ordinaria pollet in dioecesi sua, 629. — Potestatem habet peccata reservandi, quibusdam limitibus circumscriptam, 655. — Absolvendi haereticum in foro exteriori, 421. — Pravos libros prohibendi, 422. — An et quatenus licentiam dare valeat libros legendi a S. Sede vetitos, 424. — Item ingrediendi monialium claustra, 437. — Potestatem habet dispensandi ab operibus servi-

libus die festo, 220. — A votis, exceptis reservatis R. Pontifici, 206, 207. — A voto simplici castitatis post initum matrimonium, 763. — Ab impedimento cognationis spiritualis dubio, 505. — Generatim ab impedimentis dubiis quae publica non sint, 729, 730, 737, 757. — Ab impedimentis occultis in necessitate maxima, 730, 763. — Permittere potest ut Baptisma puerulis domi conferatur, 501.

Error. Quid est et quotuplex, 356. — Substantialis contractum irritat, accidentalis plerumque non inficit, 356, 358, 402. — Error per dolum inductus contractum rescissioni facit obnoxium, 357, 402. Si utrinque error dolosus fuit, contractus tenet, 359. — Quando error in materia voti votum inficiat, 196, 197, 204. — Error in ministro Sacramenti quotuplex, 467. — Quando Sacramentum inficiat, 468-470, 480, nota (5). — Error patrini circa personam e sacro fonte susceptam cognationi obest, 505, 750. — An error communis cum aut sine titulo colorato, item et privatus iurisdictionem tribuat in Poenitentiae Sacramento, 640-643. - An et quando error circa personam vel eius qualitates matrimonium inficiat, 724, 735. — Error in persona laesa, 23.

Eucharistia. Quae eius materia, 38, 358, 457, 513. — Quae materiae praesentia requiritur, 483, 515, 517. — Quae aquae quantitas vino miscenda, 518. — Quae forma, 455, 456, 470, 519, 521. — Qua voce forma proferenda, 520, 521. — Quae intentio in ministro, 516. — Qui ritus in Eucharistia ministranda servandi, 501. — In quo Eucharistici Sacrificii essentia constituenda, 214. — An stipendium retineri queat pro Missa dubie valida, 522. — De quibusdam defectibus in consecratione occurrentibus corrigendis, 521. — An fas sit unam speciem ab altera seorsum consecrare, 517. — An parvas hostias dubie consecratas Christis fidelibus distribuere, 512. — Ieiunium servandum ante Eucharistiae sumptionem et causae ab eo excusantes, 523. — An lex ieiunii servandi praeceptiva sit vel prohibitiva, quidque in dubio de fracto ieiunio, 41, 43. - An sacerdos ante consecrationem memor fracti ieiunii Sacrificium abrumpere debeat, 524, 525. — An non ieiuno celebrare liceat ad infirmum Viatico roborandum, 524. — An fragmenta sui Sacrificii vel alterius sumere liceat sacerdoti non ieiuno, 525. — Qua aetate pueri annuae Communionis praecepto ligantur, 80. — An per Communionem sacrilegam praecepto annuae Communionis satisfiat, 118. — An liceat Eucharistiam sine parochi licentia ministrare, 697. — An in Paschate a parocho Eucharistia sit sumenda, 692. — Quilibet gravis culpae conscius per Poenitentiae Sacramentum illam ante expiare debet quam Eucharistiam conficiat vel accipiat, 485, 542. — Quot admittat peccata sacrilege conficiens, 488.

Excommunicatio. Quid est, 414. — In cogentes mulierem vel virum ad religionem amplectendam necnon in cogentes virum ad clericalem statum suscipiendum, 222. — In alienantes Ecclesiae bona, 272. — In clericorum percussores, 418. - In haereticos, 419. — In legentes libros vetitos, 423, 428, 430. — In duellantes, 432-435. — In violantes clausuram monialium et claustra regularium virorum, 81, 436-440. — In absolventes complicem ie peccato turpi, 674. — In falsum confessarii accusatorem de sollicitationis crimine, 660. — In mulieris raptorem matrimonii causa, 753. — Excommunicatio minor hodie abrogata est, 413, nota (3).

F

Falsiloquium. Quid sit et an liceat, 228, 229.

Fama. *Vide* Detractio et Calumnia.

Famuli. An et quatenus damna debeant dominis suis ab aliis illata manifestare, 339.

Feminae. Qua aetate a ieiunio sint liberae. *Vide* Ieiunium.

Festum. Quae opera servilia, liberalia, communia, forensia, 217. — Quae licita, quae vetita die festo, 218. - Quantum temporis servilibus dandum ut graviter peccetur, 137, 219, 221. — Causae excusantes: necessitas, caritas, pietas, consuetudo

dispensatio, 220. — An excuset magni lucri amissio, 220, 221. — An otii vitandi ratio, 221. — Quod spectat ad praeceptum assistendi Sacro. *Vide* Missa.

Fides (qua virtus theologica). Fidei definitio, 161. — Obiectum fidei materiale et formale, 161. — An eadem veritas scientiae et fidei obiectum esse queat, 166. — Quae fides divina, theologica, catholica, 162, 163. — An et quatenus doctrina quae implicite in revelata continetur sit fidei obiectum, 164, 165. — Quae sunt necessitate medii credenda, 166. — De necessitate fidei in Christum et SS. Trinitatem ante et post Christi adventum, 167-169. — An praecipua fidei mysteria ignorantes absolutione donari possint, 170, 171. — An et quando obliget praeceptum fidei actum eliciendi, obiter tangitur, 173. — An in ministro Sacramentorum fides requiratur, 479. — De bona, mala et dubia fide in praescriptione et possessione. *Vide* Praescriptio, Possessor.

Fideicommissum. *Vide* Haeres.

Filiifamilias. Quae iura et officia filiorum in parentes, 222. — An et quatenus filii in eligendo statu obedire parentibus debeant, 223, 225. — Qua ratione confessarius cum eis se gerere debet, 224. — An fas sit illis, invitis parentibus, militiae nomen dare, 225. — An rerum a parentibus acceptarum dominium habeant, 262. — An et quatenus ius ad mercedem eis spectet pro labore ordinario vel extraordinario parentibus impenso, illumque clam sibi compensare valeant, 263, 264.

Finis. Ecclesiae et civitatis, 72. — Finis operis intrinsecus et extrinsecus, seu a legislatore sibi propositus: an ad hunc finem opus praeceptum sit implendum, 119. — Quatenus pravus finis agentis inficit actum, 135. — An et quando, legis fine cessante, lex ipsa cesset. *Vide* Lex.

Foeneratio. Quare hebraeis permissa, 64.

Forma. Sacramenti pars, 446. — Quae formae mutatio substantialis, quae accidentalis, 453, 455. — Illa nunquam, haec quandoque licita, 456. — quandoque necessaria, 489. — An et quatenus verba formae inter se cohaerere debeant, 459. An et quatenus cum materia coniungi, 458-460. — An et quando dubia forma uti fas sit, 461. — An et quando liceat usus formae conditionalis, et cuiusmodi conditio sit oportet, 37, 51, 462, 502, 623-625. — Quae iusta causa huiusmodi formam adhibendi, 51, 463, 575, 576.

Fornicatio sponsorum. *Vide* Sponsalia.

Fucare vultum. An liceat. *Vide* Luxuria.

Furtum. Quando furtula coalescunt et ad mortale peccatum pertingere possunt, 132, 134, 137. — Quando furtum ratione damni vel finis furantis ex levi fit grave, 137. — De gravitate materiae hodie aestimanda obiter tangitur, 270. — Quando sacrilegii pravitatem imbuit, 147. — De re furtiva empta. *Vide* Emptor.

G

Gaudium. Quid sit et quando malum, 143. — Unde speciem sumat, quidque de gaudio conditionato, 145-147. — An de bono effectu operis mali gaudere liceat; an de malo opere ob bonum effectum, 145, 150, 152. — An de mali operis adiunctis quae mala non sint, 151, 152, 153.

H

Habitus, Habituatus. Quid sit habitus, quomodo inchoatur et quando contractus censetur, 681. — Voluntarii impedimentum, 8-10. — Peccata ex habitu quando culpanda in causa, quando minus, 8-10, 126, 127. — Discrimen inter habituatum et recidivum, 681. — Quando habituato absolutionem dare, quando praestat differre, 682. — De clerico turpium habitu detento. *Vide* Clericus.

Haeres. Haeredis institutio, 377. — Haeredis substitutio directa seu vulgaris et indirecta seu fideicommissaria, 378. — An et quatenus substitutio fideicommissaria ex hodiernis civicis legibus valeat; an valeat in foro conscientiae, 378-381. — De haerede ex testamento informi. *Vide* Testamentum. — De institutione sub modo vel sub conditione, an modo vel conditione non servatis, haeres ab institutione decidat, 386, 387. — An a promittentis haeredibus eius promissa sint servanda, 368.

Haeresis, Haereticus. Quid est haeresis, 162, 419-421. — Qui haereticus formalis, quique materialis, qui coram Deo, qui coram Ecclesia, 84, 162, 163, 419. — Qua poena plectuntur haeretici quidque ad eam incurrendam requiritur, 419-421. — Quando ab Episcopo in foro exteriori, dein a confessario potest absolvi, 121. — De haereticorum scriptis et censura in legentes, retinentes, edentes, defendentes, 422-430. — Citra mortis articulum sacerdos haereticus iurisdictione in Poenitentiae Sacramento privatur, 479. — An sit haereticus qui de fidei veritate dubitat, an qui de conclusione theologica, 420. — An Ecclesiae legibus, etiam irritantibus, haeretici sint obnoxii, 84, 85, 87, 546. — Exceptio quaedam de clandestinitatis impedimento, 86, 87. — An haereticus moribundus quandoque absolvi possit, 171, 575, 576. — An et qua ratione haereticis ad fidem redeuntibus Baptisma sit conferendum, 464.

Historici. An liceat eis occulta functorum crimina scriptis consignare, 235.

Honestas (publica). Quid est, quotuplici ex capite exsurgit et quatenus matrimonium dirimit, 736, 739, 740. — An ex civilibus nuptiis oriatur, 742, 743. — An ex sponsalibus initis sub conditione dispensationis obtinendae, 716.

Horae canonicae. *Vide* Officium divinum.

Hypnotismus. Quid est, quot eius veluti gradus, quae praecipua hypnotismi phaenomena, 186. — Quae licita vel toleranda in hypnotismi usu, quaeque inconcessa, 187-190. — Hypnotismi pericula, quaeque eo utentibus cautiones adhibendae, 188, 191.

I

Ieiunium naturale seu eucharisticum. *Vide* Eucharistia. — Naturale ieiunium laudabiliter servandum ab adultis Confirmationem suscepturis, 508. — Ecclesiasticum. Quae eius essentia, 123, 149, 247, 251. — Unica refectio: qui cibi et quo tempore sumendi, quaeque refectionis duratio, 123, 247, 248. — An bina refectione cibos vetitos sumens ieiunium frangat; an frangat bis sumens cibos esuriales, 203. — Refectiuncula; qui cibi et quanti, quoque tempore sumendi, 247, 249. — Quid sumere extra dictas refectiones licet, 137, 250, 251. — Qua aetate ieiunii obligatio incipit et qua finitur, 51. — An quinquagenariae feminae ieiunii lege solvantur, 51.

Ignorantia. Voluntarii impedimentum, 4. — Alia vincibilis, alia minus: quae a peccato excusat, 22, 23. — Quomodo excutiendum dubium de actus honestate ex ignorantia positivae legis ortum, 29, 46. — Ignorantia alia iuris, alia facti: quae obest bonae fidei in praescriptione, 292. — An ignorantia haereticos legibus Ecclesiae eximat, 85. — An excuset a censura incurrenda, 413, 423. — An ab incurrenda reservatione, 660, 661. — An a criminis impedimento. *Vide* Crimen.

Impedimenta voluntarii. *Vide* Voluntas. — Impedimenta matrimonii. Alia iuris naturalis, alia humani, alia dispensabilia, alia minus, 729. — An quandoque Episcopus ab illis dispensare valeat. *Vide* Episcopus. — An et quatenus parochus et sacerdos in extrema necessitate, 116, 730. — Quid si impedimentum non sit dispensabile, 730. — An et quando adsit obligatio impedimenta revelandi, 731. — An cum impedimento dubio vel probabili nuptias inire liceat, 737, 738. — An infideles et haeretici impedimentis matrimonii teneantur. *Vide* Infideles et Hae-

RESIS. — Impedimenta minoris gradus qui sint, quidque de eorum dispensatione, 762 et nota. *Vide* etiam singula impedimenta.

IMPERFECTIONES. An sint materia Sacramenti Poenitentiae, 527.

IMPOTENTIA. Si dubia sit, matrimonium non impedit, 34.

IMPUBERES. Qui sint, 437, 657. — An censuris sint obnoxii, 438, 440. — An reservationi, 657.

IMPUTATIO. Quid est, 2. — De imputatione actus in se et in causa, 2, 9, 10, 17, 21-24, 78. — Imputatio ex culpa iuridica. 324-327.

INCARNATIONIS mysterium. Qua fide credendum, 167-169. — An iteranda confessio bona fide peracta ab ignorante hoc mysterium, 590.

INCOLA. Quis est et quibus legibus devincitur, 94-95.

INCOMMODUM. An et quando a lege implenda eximere valeat. *Vide* LEX.

INFIDELES. Ecclesiae legibus etiam irritantibus non tenentur, 83, 87. *Vide* CRIMEN.

INSTINCTUS. Voluntarii impedimentum, 5.

INTEGRITAS CONFESSIONIS. *Vide* CONFESSIO.

INTENTIO. Quid est et quotuplex, 480, 481. — An et quae requiratur ad legis praeceptum implendum, 119, 120. — An et quae in Sacramentorum ministro, 462, 467, 469, 480-483, 516, 705. — An exterior sufficiat, 482. — Quaenam necessaria, quae sufficiens, quae inepta Sacramentum suscipienti, 493, 495. — Quae sufficiens in adulto baptizando, 503. — An et quae ad sacramentalem satisfactionem implendam requiratur, 616.

INVENTIO rerum amissarum. *Vide* RES AMISSAE.

IRREGULARITAS. In iterantes Baptismum, 502. — In duelli reos, 432.

ITER facere. An liceat die festo, 218.

ITERATIO confessionis. *Vide* CONFESSIO. — ITERATIO Baptismi. *Vide* BAPTISMUS.

IUDICIUM. In iudicio practico sedes moralitatis, 25. — In quo a conscientia differat, 49. — Iudicium, suspicio, dubium temerarium quid sint, in quo differunt, quale sunt peccatum, 244-246.

IUSTITIA COMMUTATIVA. Quid est, 302. — Ex ea violata restitutionis obligatio manat, 304.

IURAMENTUM. A Deo et Ecclesia relaxari potest, 65. — An liceat aequivocationem iuramento firmare, 230. — Promissio irrita an per iuramentum firmetur, 362. — Item sponsalia, 706.

IURISDICTIO. Discrimen inter potestatem Ordinis et iurisdictionis, 626. — De iurisdictionis necessitate ad Poenitentiae Sacramentum administrandum, et de poena in administrantem sine iurisdictione, 626, 627, 695. — Quatenus iurisdictio ab approbatione discriminatur, 628. — Quotuplex est et ad quos spectat ordinaria, ad quos delegata, 629. — An delegatio expressa vel tacita esse debeat et an praesumpta sufficiat, 630, 631. — Quinam ratione domicilii vel quasi-domicilii iurisdictioni alterius subiiciuntur, 632, 635. — Qui ratione consuetudinis, 633, 635. — An regulares in suos subditos, novitos, famulos, alumnos iurisdictione potiantur, 634, 635. — A quibus regulares iurisdictionem accipiunt, 649, 650. — An ratione periculi mortis quivis sacerdos iurisdictione polleat, 636, 639. — Quo iure haec iurisdictio dimanet, 637. — An praesente approbato simplex sacerdos absolvere valeat, 638, 639. — An error communis cum titulo colorato iurisdictionem conferat, 640, 643. — An sine titulo error communis, 641, 643. — An error privatus, 642. — Quid sit iurisdictio dubia, quid probabilis, 644. — An fas sit dubia iurisdictione uti, 645, 648. — An valide probabili quis utatur, 641. — An licite quibusdam de causis, 647. — An quilibet sacerdos absolvendi a venialibus peccatis potestatem habeat, 643. — An et quatenus adimatur iurisdictio sacerdoti complici turpis peccatis, 674-677. — Quae et a quo obtinenda approbatio ad monialium confessiones excipiendas, 651. — De iurisdictionis limitatione. *Vide* RESERVATIO.

L

Legatum. Regulae pro legatorum interpretatione, 388. — Dubia quaedam solvuntur de legatis relictis nupturientibus, caste viventibus, orphanis, monasterium ingressuris, 389-392. — De vi legati ad pias causas per testamentum informe relicti, 370, 372, 379.

Lex. Quid est lex lato sensu, quid lex moralis, 54. — Lex remota morum regula, 49. — Quae lex suprema, aeterna, naturalis, 55. — Aeternae et naturalis characteres, 56. — Quae lex positiva, 57. — Legum omnium ab aeterna derivatio, 58. — Quae leges immutabiles, quaeque mutabiles, 59, 66, 67. — Diluuntur difficultates quae contra legis naturalis immutabilitatem moventur, 60, 65. — Lex naturae, nedum indicativa, praeceptiva est: nempe Dei praeceptum includit, 68, 69. — Non statim illud manifestat, 70. — Legis naturalis promulgatio alia potentialis, alia explicita, 49, 78. — Eius praecepta: alia affirmativa, alia negativa; quae utrorumque obligatio, 32. — Quae legis humanae conditiones, 71. — Quae materia, 72. — An actus interiores et heroici. *Vide* Actus. — Qui legi naturali, quique Ecclesiae legibus subiiciuntur, 78-101. *Vide* Pueri, Amentes, Infideles, Haeretici, Advenae; Peregrini, Vagi, Religiosi, Orientales. — In quibus residet leges condendi potestas, 88. *Vide* Ecclesia, Episcopus, Civitas. — An et quando et quatenus legislator sua lege tenetur, 88-91, 93. — In quo lex presse sumpta a praecepto differt, 95, 104. — Quid sit facere in fraudem legis et an liceat, 102-104, 633, 665. — Legis promulgatio necessaria, 105. — Quo tempore a promulgatione incipit obligatio legis, 108, 109. — Quando humana lex etiam cum gravi incommodo servanda est, quodque incommodum grave sit putandum, 110-114, 122, 123. — An humano modo lex sit implenda, 117. — An in statu gratiae, 118. — An per modum virtutis seu ob finem a legislatore intentum, 119, 122. — An animo praeceptum implendi, 120, 616, 617. — De cessatione legis, eius fine deficiente privative vel contrarie, adaequate vel inadaequate, 115, 116, 122, 123, 730. — De lege dubia. *Vide* Dubium. — Quae lex poenalis, quaeque eius vis, 276, 277, 281, 314, 325, 339, 363, 365, 366.

Libertas, Liberum. *Vide* Voluntas, voluntarium.

Libri vetiti. Quo iure pravorum librorum lectio interdicitur, et quando legens illos graviter peccat, 422, 430. — Quae poena in legentes, retinentes edentes, defendentes, 423. — Qui hisce appellationibus notantur, 424-427. — Quorum librorum lectio vetatur, 428. — An librorum nomine veniant manuscripta diaria, ephemerides, opuscula, 429. — De librorum (ac praesertim illorum quos *romanenses* vocant) periculosa lectione, 16, 140.

Luxuria. Quanto et quatenus nudatio pectoris, vestium ornatus, vultum fucare, lectio inhonesta, aspectus, oscula sint culpanda, 18, 140, 725, 726. — De clerico turpibus assueto. *Vide* Ordo. — De complice in peccato turpi. *Vide* Complex. — An et quatenus choreae et colloquia inter personas diversi sexus sint licita, 692. — Desiderium, delectatio, gaudium de re turpi, quando et quatenus sint culpanda. *Vide* Desiderium, Delectatio, Gaudium, Sponsi, Concupiscentia, Meretricium, Stuprator.

M

Magia. Quid est, 179, 184. *Vide* Maleficium.

Maleficium. Quid est et quotuplex et an grave peccatum; non facile maleficio credendum, 184. — Qua ratione solvendum, 185. — An per novum maleficium licite solvi queat, 185. — Quomodo interrogandus, curandus, docendus maleficii reus, 194.

Malum intrinsecum. Quid est, 28, 32, 55. — Quid agendum dubitanti de intrinseca rei pravitate. *Vide* Dubium.

Mandatum, Mandans, Mandatarius. Quotuplex mandatum, 328. - An et quatenus mandans alterius damnum illud sarcire debeat, 328. — An revocato mandato obligatio restituendi cesset, 329, 330. — An, mandatario mandati fines excedente, mandans adhuc restitutioni sit obnoxius, 331, 332. — An raptus impedimentum incurratur a mandante et a mandatario. *Vide* Raptus.

Materia. Sacramenti pars necessaria, 446. — Materiae mutatio alia substantialis, alia accidentalis, 453-455. — Illa nunquam licita, haec quandoque, 456-457. — An et quatenus materia sit formae coniungenda, 458-460. - An et quando materiam dubiam adhibere liceat, 461. *Vide* singula Sacramenta.

Matrimonium. Fratris cum sorore iure naturae vetitum: quare in mundi initio permissum, 63. — Matrimonii Sacramentum a naturali contractu dividi nequit, 450, 744. — Quae materia quaeque forma huius Sacramenti, 450, 727. — Qui ministri, 465, 477, 732, 733. — Quae parochi partes, quaeque eius praesentia requiritur. *Vide* Parochus. — Metus quatenus inficit consensum in matrimonium, 361, 362, 744, 747. — Error quatenus matrimonium inficit. *Vide* Error. — Conditiones contra matrimonii substantiam nuptias inficiunt, 727. — An valeat matrimonium sub conditione non coeundi, 727, 728. — An civilibus nuptiis sponsalium vis insit et publicae honestatis impedimentum ex illis oriatur, 742, 743. — De impedimentis et potestate ab iisdem dispensandi. *Vide* Impedimenta. — An civili ritu tantum nupti absolutione donari et Eucharistico Sacramento refici possint, 492. — An liceat coniugibus de usu coniugii cogitantibus delectationem sumere, 154.

Mendacium. Quid est, 226. — Quale peccatum, 227. — Discrimen inter aequivocationem, restrictionem late et pure mentalem, falsiloquium, cryptologiam et cryptographiam, 228. — An et quando haec usurpare liceat, 229. — An in confessione fas sit aequivocatione aut restrictione mentali uti, 230, 231. — De mendacio in confessione. *Vide* Confessio.

Meretricium. Quare civitatis lege permissum, 67. — An et quare scortum meretricii pretium accipere et retinere possit, 350, 352.

Metus. Quid est et quotuplex, 360. — Qui metus contractum irritat, qui minus, quique irritabilem facit, 361, 362. — Quid de Ordine per metum collato, 495. — Quid de admissione ad novitiatum et de religiosa professione per metum initis, 361. — Qui metus votum irritat et quo iure, 195. — Qui metus matrimonium inficiat et quo iure, 351, 362, 744-747. — An reverentialis inficiat, 744. — An liceat ob metum mortis Sacramentum indigno tribuere, 478. — An Sacramentum simulare, 478, 488.

Miles. *Vide* Bellum.

Minister Sacramenti. An fides et status gratiae ad validum Sacramentum conficiendum in eo requiratur, 479. — An et quae intentio, 462, 480-483, 511. — An et quando error ministri Sacramentum inficiat. *Vide* Error. — An et quatenus peccet minister consecratus vel non, ex officio vel privatim, Sacramentum in statu peccati conficiens aut distribuens, 484-488. — An ad gratiam recuperandam Poenitentiae Sacramentum ei sit necessarium, 485. — Quot admittit peccata pluribus Sacramenta tribuens, 488. — An et quando liceat ei vel minus Sacramenta indignis tribuere, 471-477, 492. — An ob metum mortis, 478. — An liceat ei nuptiis benedicere quum nubentes indigni sint, 492. — An peccet simulans Sacramentum, 488. — An duo vel plures simul eiusdem Sacramenti ministri esse queant, 465, 466. — An et quando unus minister pluribus simul Sacramentum valide et licite dare possit, 489-491. — De ministro Baptismi, Eucharistiae, Poenitentiae, Unctionis, Matrimonii. *Vide* Baptismus, Eucharistia, Iurisdictio, Unctio, Matrimonium.

Missa. Quae attentio requiritur ad praeceptum implendum, 119, 213, 216. — An et

quae integritas, 214, 216. — An omissae partes sint supplendae, 215. — An sacramentalem confessionem interim agens vel ad eam se praeparans praecepto satisfaciat, 216. — De Sacrificii Eucharistici essentia, de Missae stipendio, de ieiunio servando, de dubio fracti ieiunii, de gratia per Poenitentiae Sacramentum necessario recuperanda ante Sacri celebrationem. *Vide* Eucharistia.

Molere. An liceat die festo frumenta molere aut triticum triturare, 217, 220.

Monialis. An et quae requiratur approbatio ad confessiones excipiendas monialium, sive intra sive extra monasterium degentium, 651. — An et quatenus monialium confessori ius spectet extrema ministrandi Sacramenta, 698. — De clausura et poena in eam violantes. *Vide* Clausura.

Moribundus. Quando ab integritate confessionis eximitur, 573, 577. — An et quando sensibus destitutus absolvi queat, 574, 576. — An et a quovis sacerdote in mortis periculo quis absolvi possit, 636. — In dubio de hominis morte Sacramenta extrema sub conditione sunt ei conferenda, 693, nota, 700. — Quaenam mortis signa certa, 700. *Vide* Viaticum.

Multae. An fisco ex iustitia sint debitae; an a custode vel telonario infideli reficiendae, 339.

Mustum. An sit materia apta Eucharistiae conficiendae, 518.

N

Necessitas. Alia medii, alia praecepti, 166. — De credendis necessitate medii ad salutem. *Vide* Fides. — De orandi necessitate. *Vide* Oratio. — An restitutio necessitate medii sit necessaria, 302, 303. — Quae necessitas excusat servilibus operibus die festo vacantes. *Vide* Festum. — Quae sacerdotem excusat sacris operantem non ieiunum. *Vide* Eucharistia. — Quae intentionis necessitas in Sacramentorum ministro et subiecto. *Vide* Intentio. — Quae satisfactionis. *Vide* Satisfactio.

Nervorum morbosa affectio. Quatenus voluntarium impedit, 6.

Novitii. An legibus sui Praelati teneantur, 92, 93. — An eorum iurisdictioni in Poenitentiae Sacramento sint obnoxii, 634, 667. — A quo absolvi queant si in peccatum ab Episcopo loci reservatum inciderint, 667, 668.

Numerus peccatorum. Unde repetendus. *Vide* Peccatum. — Quomodo in confessione aperiendus. *Vide* Confessio.

Nundinae. Quatenus diebus festis permittuntur, 218.

O

Obedientia. Quae a novitio, quaeque a religioso vi voti Praelato suo praestanda, 92.

Observantia (vana). *Vide* Superstitio.

Occasio, Occasionarius. Quid est et quotuplex occasio peccandi, 687. — An absolvi possint qui in occasione proxima voluntaria (seu absente seu praesente), an qui in necessaria versantur, 492, 688, 692. — Qua ratione confessarius se gerere debet cum occasionariis, 688-692. *Vide* Scandalum.

Occisio. Casu facta, vel alterius pro alio, quatenus imputanda, 23.

Occupatio. Modus primigenius acquirendi rerum dominium; quaeque debeat esse ut dominio acquirendo sufficiat, 274. — De animalium occupatione. *Vide* Venatio.

Oenopolae. An peccent vinum ministrantes bibulis se inebriaturis, 12.

Officia. Quaenam moralia sint, quaeque iuridica, 222, nota (1).

Officium divinum. Quae attentio necessaria. *Vide* Oratio. — An recitans debeat seipsum audire, 177, 178. — An voluntarie distractus faciat fructus suos, 178.

Omphacium. An sit materia apta Eucharistiae conficiendae, 457, 518.

Oniromantia. *Vide* Somnia.
Opinio. *Vide* Sententia.
Oratio. Quid est: an necessaria necessitate praecepti et medii, 172. — Quando orationis praeceptum obligat per se, 173. — Quando per accidens, 173. — Quotuplex attentio et an externa sit necessaria, 174, 213. — An requiratur interna et quatenus cum distractione mentis consistere possit, 119, 121, 175. — Refellitur sententia de externae attentionis sufficientia, 176. — An B. Virginem sanctosque caelites non exorans peccet, 178. *Vide* Officium.
Ordo. In quo materia et forma huius Sacramenti constituenda, 451. — Quis sit subiectum idoneum, 493. — Quid de eo qui ordinem infans suscepit, 493, nota (1). — Quid de eo qui ordinem sacrum metu gravi coactus suscepit, 495. — Quae intentio in suscipiente requiritur, 493, 495. — An castimoniae voto teneatur ordinem suscipiens invitus, 495. — An tonsura, minoresque ordines sint Sacramenta, 702. — An peccent suscipientes eos sine animo ascendendi ad maiores ordines vel permanendi in statu clericali, 703, 705. — An ut militiae se subducant, 705. — An suscipientes cum conscientia gravis criminis, 704, 705. — An clericus sacris ordinibus initiandus absolvi queat si turpibus assuetus, 475, 682. — An Ordinis potestas in Poenitentiae ministro sit necessaria et quatenus a potestate iurisdictionis differt, 626, 627. — Ab impedimento Ordinis sacri (uno presbyteratu excepto) in extrema necessitate parochus, imo quivis sacerdos, dispensandi facultate polleat, 116.
Orientales. Catholici orientalis ritus matrimonium cum latinis contrahentes ad formam pro his statutam observandam tenentur, 86.
Oscula. Quatenus sponsis licita vel minus, 725, 726.

P

Parentes. An et quatenus peccent libertatem filiorum in electione status impedientes, et aliqua multentur poena si eos ad religiosum statum amplectendum cogant vel ab amplectendo retrahant, 222-225. — Quomodo confessarius cum illis se gerere debeat, 224.
Parochus. An fas sit ei, pestilentia grassante, suam curiam relinquere, 114. — Eius Officium in confessionibus suorum excipiendis, 496, 497. — Ordinaria iurisdictione pollet ad suorum confessiones excipiendas, quam hodie delegare nequit, 629. — In matrimonio ut testis assistit, 483, 488, 492, 732. — Quae eius praesentia requiritur, 733. — Quando sine parocho aliove sacerdote praesente celebrari potest, 727. — Parochi officia et iura circa extrema Sacramenta, 693, 694, 695-698. — An et quatenus ab operibus servilibus die festo dispensare valeat, 220. — An quidquam possit in necessitatis articulo circa matrimonii impedimenta, 116, 730.
Passiones. Quatenus voluntarium impediunt, 6.
Patrini. Qui sint in Baptismo, quaeque in iis requirantur ut spiritualem cognationem contrahant, 504-506, 750. — Quae ut licite ad hoc munus suscipiantur, 512. — Quot in Confirmatione esse debeant, quidque in eis requiratur ut valide et licite hoc munus obeant, 511, 612.
Peccatum. Definitio et divisio, 124. — Discrimen peccatum inter et culpam, 2, 125. — Inter formale et materiale peccatum, 50. — Cognitio, consensus, advertentia, an et quatenus ad peccatum necessaria, 126. — In quo mortalis ac venialis peccati discrimen sit ponendum, 128. — Regulae ad peccati gravitatem dignoscendam, 129. — Quae peccata sint gravia ex genere suo toto, quae gravia simpliciter, quae ex accidenti, 130. — Quotuplici ratione peccatum ex genere suo mortale in veniale transferri potest, 131. — Venialia, ut ut multiplicata, nequeunt in mortale transire, 132-134. — Possunt ex accidenti sive intrinseco,

sive extrinseco, 135-137. — An idem actus, intensior factus, possit e veniali peccato in mortale converti, 136. — Unde peccatorum specifica differentia sumenda, 141-149. — Regulae ad peccatorum species discernendas, 142, 149. — Unde peccatorum numerica differentia expetenda et qua ratione multiplicantur actus, 155-160-488. — De peccatorum speciebus, numero et circumstantiis necessario confitendis. *Vide* Confessio. — De peccatorum reservatione. *Vide* Reservatio.

Peregrinus. Quis dicitur, 94. — Quibus legibus est obnoxius, 96, 98, 99, 100, 101, 102-104. — Quoad Poenitentiam fit subditus loci, 633. — An peregrinus absolvi possit a reservatis in dioecesi confessarii, vel in sua, vel in utraque. *Vide* Reservatio.

Personae collectivae. Quae sunt, 252. — Quo iure existant et possideant, 253, 254. *Vide* Ecclesia. — An sint detractionis subiectum, 235.

Pingere. An opus servile sit die festo coloribus pingere; an pingere acu, 218.

Pistores. An die festo coquere panem licite possint, 220.

Poenitentia. Sacramentum hoc instar iudicii institutum est, 449, 526. — Quae eius partes, 449, 529. — Quae materia remota, quae necessaria, quae sufficiens, 526. — An peccatum in Baptismi susceptione admissum, an peccata dubia, an cognita sub generica ratione peccati, an dimissa, an imperfectiones sint materia sufficiens, 526, 527, 528, 550. — An sit obligatio confitendi peccatum de quo dubitatur an admissum, vel grave fuerit, vel alias declaratum, vel tanquam dubium declaratum dein ut certum cognitum. *Vide* Confessio. — Quae proxima materia, 529. *Vide* Contritio, Propositum. — Quae forma. *Vide* Absolutio — De forma sub conditione adhibenda, 623, 625. — Quae causae ex parte confessarii vel ex parte poenitentis Sacramentum irritum faciunt, 590. — De confessione iteranda. *Vide* Confessio. — De huius Sacramenti ministro. *Vide* Iurisdictio. — Qui ritus in ministranda Poenitentia servandi, 501.

Polygamia. Iure naturali vetita, 62. — Quare ante Christum permissa, 62.

Pontifex (R.). An legibus oecumenici Concilii sit obnoxius, 89. — Iurisdictione ordinaria pollet in Ecclesiam universam, 629. — An et quomodo eius leges sint promulgandae, 106-109. — Potestatem habet a voto et a iuramento dispensandi, 65, 207. — Ea commutandi, 208. — Sanctorum album conficiendi, 420. — Pravos libros prohibendi, 422. — Peccata reservandi, 656. — Ab impedimentis matrimonium iure humano dirimentibus dispensandi, 729. — A primo lineae rectae affinitatis gradu nunquam dispensavit, 748.

Possessio. An et quatenus in utroque foro possidenti faveat, 35, 46, 317, 371. — Quid de principio possessionis metaphorice sumpto (idest pro libertate vel lege), 40. — Possessio ad praescribendum. *Vide* Praescriptio. — An haeredi ex testamento informi possessio faveat, 371.

Possessor. An possessor bonae fidei, qui rem alienam donavit aut vendidit, quidquam domino debeat, 307, 308, 310. — An emptorem praestare debeat indemnem, 309, 310. — Quid agendum possessori bonae fidei, dubio superveniente an res sit sua, 316. — Quid dubio manente, 317. — Quid de eo qui rem emit dubitans ne venditoris sit, 318. — Quae obligationes possessoris malae fidei ratione rei alienae et fructuum eiusdem rei, 311, 312, 315. — Quaenam eius iura, 313. — An de fortuito rei interitu respondere debeat, 314.

Praeceptum. In quo distat a lege. *Vide* Lex.

Praelati regulares. An suis legibus teneantur, 90-93. — Quatenus die festo a servilibus dispensare valeant, 220. — Qua iurisdictione in sibi subditos pollent, 629. — Eorum est sacerdotes suos ad sodalium suorum confessionem excipiendam approbare, 649. — An et qua potestate gaudeant reservandi peccata, 656.

Praescriptio. Quid est et quotuplex, 288. — Quibus rationibus innititur, 289. — Quae praescriptionis vis et quo iure fuit inducta, 35, 290, 296. — Conditiones

ad praescribendum: quae res apta, quae minus, 291. — Bona fides iuridica et theologica: quatenus bonae fidei obsint culpa levis, ignorantia, dubium, mala fides auctoris, 292. — Quid de mala fide successoris, 298, 299. — Titulus, quotuplex, 293. — Cuiusmodi possessio sit oportet, 294. — Tempus ad praescribendum necessarium, 295. — Quae praescriptiones in foro conscientiae obtinent, quae minus, 296, 297, 298, 301, 35, 67.

Principia reflexa. Cuiusmodi esse debeant ut agendorum sint norma, 27. — Quis eorum usus, quae vis, 28-53. — De vi principii possessionis. *Vide* Possessio. — Quid insit veri in principiis reflexis quibus nituntur tutioristae, probabilistae, probabilioristae, 28-31.

Probabilismus, Probabiliorismus. *Vide* Principia reflexa.

Probabilitas. Quando et quatenus ad agendum prodest, 28-31. — Quando minus, 37, 38. *Vide* Dubium. — De probabilis opinionis usu in Sacramentis conficiendis, 37, 38, 461. — Probabilis iurisdictio an sufficiat in Sacramento Poenitentiae. *Vide* Iurisdictio.

Promissio. Quid est et quotuplex et quae eius obligatio, 345, 346, 367. — Qualis esse debet ut vim habeat in contractibus, 345-348. — Promissio matrimonii a stupratore facta an sit implenda, 350, 355. — An per iuramentum irrita promissio firmetur, 362. — Qualis sit oportet ut ad haeredes promittentis transeat, 368, 369. — De nuda promissione matrimonii ac de sponsalitia. *Vide* Sponsalia.

Promulgatio legis. *Vide* Lex.

Propositum. Quamdiu propositum malum durare censetur, 156, 159, 160. — Propositum in confessione necessarium quaeque eius dotes, 533. — An virtuale sufficiat, 51, 533, 534, 590, 592.

Pueri. De peccatis infantiae, 78. — Quando pueri legi naturali sunt obnoxii, 78, 541. — Quando Ecclesiae legibus, 51, 79, 80. — Qua aetate praecepto annuae Confessionis et Communionis tenentur, 80, 541. — Quando in mortis periculo Eucharistia refici possint et debeant, 80. — An liceat eos ad legem naturae et Ecclesiae violandam inducere, 81, 82. — De confessionibus confuse a pueris peractis et an eas iterare oporteat, 562, 593.

Q

Quasi-contractus. Duplex notio, 364. — An ex culpa iuridica in quasi-contractu oriatur restituendi obligatio, 364, 366.

Quasi-domicilium. *Vide* Domicilium.

R

Raptus. Quid sit quaeque requiruntur ut dirimat matrimonium, 758. — An raptus viri, vel feminae per seductionem abductae vel libidinis causa, impedimentum praestet, 758, 759, 760. — An violenta feminae retentio raptui aequiparetur, 758. — An mandans vel mandatarius impedimentum incurrat, 758, 760, 761.

Recidivus. Quis est, 681. — Quaenam regula circa recidivi absolutionem tenenda, 683. — Quibus signis Sacramento paratus iudicandus, 683. — Quid agendum cum recidivo dubie, quid cum satis disposito, 684, 685, 686. — Quamdiu huic differenda absolutio, 684.

Regula morum (quotuplex). *Vide* Lex, Conscientia, Sensus moralis.

Regulares (seu Religiosi). An religiosa professio metu inita sit valida, 361. — An Praelati suis legibus sint obnoxii, 92, 93. — An et quando religiosorum Superiores ius habeant Viaticum et Extremam Unctionem ministrandi, quando vero sine parochi licentia ministrantes peccent, et an excommunicatione plectantur 698. — A quo regularis sacerdos ad confessiones tam suorum quam saecularium

audiendas approbandus sit, 649, 653. — A quo iurisdictionem accipit, 650. — Quibus regulares valide et licite peccata sua confiteri valent, 652, 653. — An regulares reservationi Episcopi sint obnoxii, 667, 668.

Religio (qua virtus). *Vide* Fides, Cultus, Oratio, Officium divinum, Festum, Missa, Iuramentum, Votum, Superstitio. — Religio (qua Institum seu Ordo religiosus). *Vide* Votum.

Reliquiae. An alienari queant sine Apostolicae Sedis venia, 272.

Res amissae. Quo nomine distent a vacuis, a vacantibus, a derelictis et ad quem spectant, 283, 396, 397. — Quid agere debeat amissae rei inventor, 284, 287. — Quid si, inquisitione facta, dominus non reperiatur, 285. — Quid si, re adhuc extante, vel erogata in pios usus vel consumpta, dominus compareat, 286, 287.

Reservatio peccatorum. Quid est, quibusque de causis inducta fuit, 654, 659. — An confessarium afficiat vel poenitentem, 654. — An sit in Ecclesia reservandi potestas, 655. — Quibus competit, 656. — Cuiusmodi peccata sint oportet ut scite ac salubriter reserventur, 657. — Quid agendum confessario cum reservati criminis reo, 658, 659. — Quid sit in fraudem reservationis agere, et an absolvi queat poenitens qui hac usus est fraude, 103, 633, 665, 668. — In mortis articulo reservatio cessat, 636. — An, peccato cum censura reservato, ignorantia a reservatione eximat, 660. — An eximat si peccatum sine censura reservatum fuerit, 661. — An absolutio valeat quam tribuit confessarius reservationis ignarus, 662. — An valeat absolutio censurae, 657, 658. — Quid agendum re deinceps cognita, 662, 663. — An peregrinus absolvi queat a reservatis in dioecesi confessarii, 664, 668. — An a reservatis dumtaxat in sua, 665, 668. — An a reservatis in utraque, 666, 668. — An Episcopi reservationi religiosi eorumque novitii subiaceant, 667, 668. — An confessarius absolutionem dare queat dubitans de reservatione, 669. — Quae poena manet absolvere praesumentem sine necessaria facultate, 664. — An idoneo confessario deficiente, reservata confiteri necesse sit non habenti in reservata potestatem, 670, 671. — An citra mortis periculum quibusque de causis simplex sacerdos a reservatis Episcopo absolvere possit, 672, 673.

Restitutio. Quid est, 302. — Quae eius necessitas, 303. — Quotuplex eius radix, 304. — An praeceptum restitutionis affirmativum sit vel negativum, 305. — Quatenus peccat qui restitutionem differt, 160, 305, 306. — Quomodo confessarius se gerat oportet cum nolente statim restituere, 306. — Res aliena quam bonae fidei possessor alteri donavit, a quo restituenda, 307, 310. — A quo si vendita fuerit, 308, 310. — An venditor emptorem praestare debeat indemnem, 309, 310. *Vide* Possessor. — An dubitans de efficacia causae a se positae vel de damno secuto restituere debeat, 319, 320. — An errans in persona laesa, 23. — An adulterinam pecuniam alteri solvens, 322*bis*. — An ex culpa iuridica oriatur restituendi obligatio, 324, 327. — An et quatenus leges hoc in genere restitutionem iubentes, conscientiam ligent, 325. — An reficiendum sit damnum ex inculpata causa proveniens, 326, 364-366. — An et cui restituendum pretium acceptum pro opere inhonesto, vi contractus iam praestito vel praestando, 352, 353. — An ex mandato, consilio, cooperatione, ficta promissione, venditione et licitatione fraudulenta, detractione, non prohibito alterius damno. *Vide* Mandans, Consulens, Cooperator, Confessarius, Stuprator, Venditio, Emptor, Detractio, Causa. — An divinum Officium voluntarie distractus recitans ad restitutionem sit adigendus. *Vide* Officium divinum. — An beneficii superflua in pios usus non tribuens restitutioni sit obnoxius, 271. — De restitutione ob res inventas. *Vide* Res amissae. — An et cui restituenda pecunia ad furem occultandum ab eo accepta, 338, 339. — An bonis cedens omni restitutionis onere liberetur, 341-343.

Restrictio mentalis. Quid sit et quotuplex et an liceat, 228, 229. — An liceat in confessione, 230, 231.

Ritus in Sacramentorum administratione servandi. *Vide* Ecclesia, Sacramentum.
Rubricae. An et quanta sit obligatio *Rubricas Missalis* servandi, 518.
Rudes. Quomodo a confessario docendi, 50, 171. — An ad confessionem peccatorum confuse factam iterandam sint adigendi, 593.

S

Sacramentum. Sacramenti notio et natura, 442, 443. — Sacramentorum N. Legis auctor Christus, 444. — An singulorum partes ad speciem usque Christus designaverit, 445. — Materia et forma, 446. — Eorum institutio divinam sapientiam commendat, 447. — Obiectiones diluuntur divinam Sacramentorum originem impetentes, 447-452. — De materiae et formae mutatione, de earum coniunctione, de usu materiae et formae dubiae, de forma conditionali. *Vide* Materia et Forma. — Cf. et singula Sacramenta. — Nefas Sacramenta simulare, 478, 488. — Ritus ab Ecclesia ad Sacramenta convenienter ministranda praescripti et sub peccato servandi, 499-501. — Sacramentum validum esse potest et informe, 614. — De requisitis in Sacramentorum ministro et subiecto. *Vide* Minister et Subiectum.
Sacrilegium. Quid est et quotuplex, 147. — Quando furtum sacrilegii pravitatem imbuit, 147. — An mendacium in confessione sacrilegium sit, 564.
Satisfactio sacramentalis. Ad materiam Sacramenti proximam quasi pars integralis pertinet, 529. — Ecclesiae doctrina de satisfactionis necessitate, 600. — An et quae confessarii obligatio satisfactionem iniungendi, quaeque causae eam remittendi, 601. — An per modum consilii iniungi queat, 602. — An levis sub gravi et gravis sub levi, 598. — Quae quantaque satisfactio imponenda, 605, 606. — An quibusve de causis minui queat, 604, 607. — An redeunti ad oblitum peccatum confitendum nova satisfactio sit iniungenda, 609. — An per verba *Passio D. N. I. C.* etc. omnia poenitentis opera ad sacramentalem satisfactionem evehantur, 607. — An pro satisfactione iniungi queant opus debitum, publicum, actus interior, matrimonium, ingressus in religionem, abstinentia ab aliquo bono opere, opus pro defunctis levandis, 608, 609. — An gravis sit poenitentis obligatio quoad acceptandam satisfactionem atque praestandam, et quando levis fieri potest, 610. — An fas sit poenitenti iniquam satisfactionem respuere, 610, 613. — An operis satisfactorii circumstantiae sub gravi sint praestandae, omissaeque supplendae, 611, 613. — Quo tempore praestanda sit satisfactio, quaeque dilatio gravis habeatur, 612, 613. — An in statu gratiae sit agenda ad effectum et ad integritatem Sacramenti, 614, 617. — An dein, recuperata gratia, satisfactio effectum sortiatur, 614. — An cum mentis attentione sit peragenda, 615. — An cum satisfaciendi intentione, 616, 617. — An obligatio satisfactionis implendae quandoque ex se deficiat, 613. — An et a quibus satisfactio mutari queat, 619, 622. — An in confessione sacramentali commutatio sit facienda, 620. — An, ut fiat, sit necessario iteranda confessio, 621, 622.
Scandalum. Activum et passivum quatenus culpandum, 17-21. — Ab opere licito, immo et debito, ut vitetur scandalum, quandoque abstinendum, 21, 96. — Veniale peccatum in mortale per scandalum trahi potest, 135. — Publicum scandalum ante removendum quam quis absolutione donetur, 492, 685, 686. — Quando liceat sacerdoti non ieiunio Sacrum facere ad vitandum scandalum, quando minus, 524, 525.
Schisma. Quid sit, qua coercetur poena, a quo absolvi potest, 419, 421.
Scrupulus. Scrupulosus. An scrupuli sint detractionis materia, 237. — Quomodo scrupulosus se gerat oportet quoad peccata dubia confitenda, 554, 555. — Quoad confessionis integritatem, 578, 579. — Quoad generalem confessionem instituen-

dam, 592. — An saepius ad Poenitentiae tribunal rediens absolvi queat, nulla ei sacramentali satisfactione iniuncta, 601, 604, 609.

Sculpere. An liceat die festo, 218.

Sensus communis. Quid valeat in rerum moralium quaestionibus definiendis, 31.

Sensus moralis. Proxima morum regula, 49.

Sententia. An et quando liceat in re morali sententiam mutare, 42, 43. — De sententiae probabilis usu. *Vide* Probabilitas. — De tutiore sectanda dubitanti de intrinseca rei pravitate, 28, 32-34. *Vide* Castitas.

Sexagenarius. An lege ieiunii teneatur, 51. — An dubitans de anno sexagesimo saltem inchoato, 51. — An ieiunii obligatione solvatur quod voto promiserat, 203.

Sigillum sacramentale. Neque ad arcendum a Sacramentis indignum neque ad confessionis integritatem servandam frangere licet, 473, 578.

Simulatio sacramenti. *Vide* Sacramentum.

Sollicitatio. Falsa de sollicitationis crimine accusatio reservatur et censura punitur, 660.

Somnia. Quibus causis somnia tribuenda; qua ratione internoscere licet ea quae a bona vel mala causa proficiscuntur; quando superstitiosum est somniis credere, 181, 182.

Spiritismus et Tabulae rotantes. Superstitionis genus, quatenus improbandum et quatenus permittendum, 192, 193.

Sponsalia, Sponsi. Quid sint sponsalia, qua forma hodie sint ineunda ut valeant quique eorum effectus, 706. — An privatim inita aliquam obligationem pariant, 707. — An nuda matrimonii promissio acceptata vinculum aliquod inducat, 708, 709. — An sponsalia metu inita sint valida, 361. — An sponsi fornicantes in iustitiam offendant, 710. — An per iuramentum vel copulam sponsalia convalescant quae vi praecedentium sponsalium irrita cesserant, 711. — Fidem sponsalitiam frangens damna reficiat oportet, 712. — An sponsalia a coniugatis inita sint valida, 713. — An per nuptias sponsalia cum alia persona ante nuptias inita dissuantur, 714, 715. — De sponsalibus sub conditione suspensiva et resolutiva, 716-718. — An valeant sub conditione dispensationis obtinendae, 718. — An sponsalia valeant interim cum alia persona inita, 719, 720. — An et quae vitia sponsi debeant, sibi invicem aperire, 721. — An et quando ob reticita vitia fas sit sponsalia dissuere, 722. — An virginitatis defectus, suscepta proles, graviditas sponsae sint aperienda, 723. — An liceat sponsis vel nuptias aventibus se invicem invisere, 724. — An oscula miscere, 725, 726. — An futuri coniugii usum avere, 144. — An de eodem delectationem capere, 154.

Stola et superpelliceum. Quatenus in Sacramentis ministrandis adhibenda sunt, 501.

Stuprator. An debeat promissas nuptias inire cum violata, 350, 355.

Suadere minus malum vel minus damnum an liceat. *Vide* Consilium.

Subiectum Sacramentorum. Quid in subiecto requiritur ut valide Sacramenta recipiat, 471, 493, 495. — Quid ut licite, 494, 495. — De intentione in subiecto et ministro Sacramenti requisita. *Vide* Intentio. — Quinam et quando tanquam indigni a Sacramentis sunt arcendi, 472-477.

Superstitio. Quid est quotque eius species, 179, 181, 182. — Quale peccatum, 180. — Quomodo dedocendus popellus superstitionibus credens, 183. — Superstitiosae vulgi opiniones de Extremae Unctionis effectibus evellendae, 688, IV. *Vide* Magia, Maleficium, Hypnotismus, Somnia, Spiritismus, Tabulae rotantes, Virga divinatoria.

Surdus et surdaster. Quoad confessionis integritatem, 575. — Surdus Mutus. Quoad Extremam Unctionem. *Vide* Unctio Extrema.

Suspensio in confessarium sine iurisdictione confessiones audire praesumentem, item et in absolventem a reservatis, 622, 664.

Suspicio temeraria. *Vide* Iudicium temerarium.

Susurratio. In quo a detractione differt, 232.

T

Tabulae rotantes. *Vide* Spiritismus.

Tectum. An monasterii tectum clausura contineatur, 441.

Telepathia. Qua ratione explicari queat, 187, nota (3).

Telephonium. An per telephonium confessio fieri queat et absolutio tribui, 544. — An matrimonium contrahi valeat, 450.

Telonarius. *Vide* Multae.

Testamentum. Quid est, et ex quo iure testandi facultas dimanat, 370, 372. — Quotuplex testamenti forma, 382. — De institutione sub modo vel conditione, de substitutione vulgari et fideicommissaria. *Vide* Haeres. — An testamentum informe in foro conscientiae vim habeat, 371. — An haeredes legitimi adire haereditatem valeant; an haeredes ex testamento informi, 383, 384. — An iudicis sententiae standum sit, 385. — An valeat testamentum informe ad causas pias factum, 370, 372, 379. — An haeredi vi testamenti informis fas sit legata in eo scripta non solvere, 43. — Quae sint testamenta coniunctiva et an valeant, 373-376. — Quo tempore testamenti vis incipit, 374.

Thesaurus. Quid est, 278. — Ad quem pertinet inspecto iure naturae, 279. — Ad quem vi legum civicarum, 280. — De vi harum legum in foro conscientiae, 281, 282, 396.

Titulus. Qui verus, coloratus, putativus, quique sufficiens iurisdictioni tribuendae in Poenitentiae Sacramento. *Vide* Iurisdictio.

Tonsura clericorum. Ordo non est neque Sacramentum: eius usum ab Apostolica traditione Ecclesia accepit, 702.

Trinitatis SS. mysterium qua fide credendum, 167-169. — An illud ignorans absolvi queat 170. — An iteranda confessio bona fide peracta ab ignorante hoc mysterium, 590.

Tutiorismus. *Vide* Principia reflexa.

Typographus. An liceat die festo typographum agere, 217. — An censuram incurrat typographus pravos libros edendo, 426.

U

Uberum nudatio. Quatenus culpanda. *Vide* Luxuria.

Unctio extrema. Quibus de causis hoc Sacramentum institutum fuit, 693. — An duo vel plures simul huius Sacramenti ministri esse queant, 465, 466. — Qui sunt huius Sacramenti subiectum: an pueri, feminae partui proximae, an senio deficientes, 493, 495, 694. — An et quatenus surdus mutus a nativitate, 694. — An diuturno morbo laborantibus plus semel Unctio dari queat, 694. — Quae in suscipiente requiratur intentio, 493, 495. — Quo tempore ministranda, 693, 694. — Unctio renum et pedum quando omitti queat vel debeat, 693. — An et quamdiu post apparentem mortem dari queat, 700. — Quae in necessitatis articulo forma sufficiat, 701. — Quaenam potissimae parochi obligationes Sacramentum hoc respicientes, 693. — Qui ritus in eo ministrando servandi, 501, 693. — Ad quos iure pertinet et quibus interdicitur Unctionis dispensatio, 698.

V

Vagus. Quis est, 94. — Quibus legibus tenetur, 97, 98. — Quoad Poenitentiam fit subditus loci, 633.

Venatio. An et quatenus sit licita ferarum venatio, 275-277. — De vi legum venationem respicientium, 276. — An liceat die festo venari, 218.

Venditio. Quomodo perficitur et quando rei venditae dominium in emptorem transit, 393. — Quotuplex iustum in venditione pretium, 394. — Cui periculo stat res vendita, 395. — Quot vitiorum genera mercem inficere possunt, 398. — Quae vitia et quando a venditore sunt aperienda, 399-402. — Quae vitia venditionem irritam, quaeque rescissioni faciunt obnoxiam, 402-404. — Quid est redhibitio, quae eius vis, et quando actio redhibitoria proponenda est, 398, 402. — Venditio sub hasta quae sit, quodque iustum pretium in ea, 405. — An liceat prece aut pecunia licitatores removere, 406, 407, 412. — An cum licitatoribus pacisci liceat ne plus offerant, 408. — An fas sit licitatoribus acceptam pecuniam tenere; sin minus, cui restituenda, 408, 409. — An simulantes se licitaturos venditori quidquam debeant, 410. — Quid de praecone citius venditionem absolvente, 411. — De venditore rei alienae eiusque obligationibus erga emptorem, 308, 309. *Vide* Emptor. — An liceat vendere die festo, 218.

Vestium ornatus. Quatenus liceat. *Vide* Luxuria.

Viaticum. An pueris ministrari possit et debeat, 80. — An damnatis ad mortem, 694. — An et quando sine lumine, stola, superpelliceo deferri queat; quique ritus servandus quum privatim ministratur, 501. — An sacerdoti non ieiunio fas sit celebrare Sacrum ad infirmum Viatico roborandum, 524. — An peccent et censura multentur Viaticum imprudente parocho vel invito ministrantes, 697, 698.

Vidui. An liceat viduis de praeteriti coniugii usu gaudere, 145. — An de eodem delectari, 154.

Vinum acetosum. An sit materia apta Eucharistiae conficiendae, 518.

Virga divinatoria, 179.

Viridarium. An coenobii viridarium clausura contineatur, 441.

Vis. Voluntarii impedimentum, 7. *Vide* Metus.

Voluntas, voluntarium. Simplex et liberum, 1, 78, 125. — Voluntarium in se et in causa, 1, 8-10, 125, 126. — Voluntarii impedimenta, 3-8.

Votum. Quid est, quaeque eius materia, 195. — An promissiones quae in Baptismo fiunt vera sint vota, 195, nota (2). — Quotuplex error in voto et quando illud inficit, 196, 197, 204. — An valeat votum omnia venialia peccata vitandi, 195. — An votum nubendi, vel non nubendi, vel non vovendi, 198. — Quae quantaque voti obligatio, 199. — De ratione vota interpretandi, 45, 200-203, 205. — Quo tempore implenda quaeque in iis implendis dilatio gravis sit putanda, 202, 203. — Quae sint vota reservata, qualia esse debent et a quibus dispensatio eorum tribuenda, 206, 207. — De voto religionem ingrediendi, de eius vi, reservatione et dispensatione, 204-207. — Votum hoc sub conditione nuncupatum reservationi non subest, 206. — Votorum dispensatio et commutatio a quo facienda, 65, 206-208. — Dispensatio sine causa irrita est, 209. — An per voti commutationem prior obligatio solvatur, 210, 212. — An, commutato voto, fas sit ad pristinum redire, 211, 212. — Quid in dubio de voti obligatione et voti implemento. *Vide* Dubium. — De perpetuae castitatis voto R. Pontifici reservato eiusque relaxatione, 207, 762.

INDEX SYNOPTICUS

Praefatio secundae huius operis editioni . . . . . pag. v
Praefatio priori huius operis editioni . . . . . » VII
Indiculus scriptorum . . . . . » IX

PARS PRIMA:

In tractatum *De actibus humanis* . . . . . pag. 1
In tractatum *De Conscientia* . . . . . » 18
In tractatum *De legibus* . . . . . » 43
In tractatum *De peccatis* . . . . . » 92
In tractatum *De praeceptis Decalogi* . . . . . » 124
In I Decalogi praeceptum . . . . . » 124
In II Decalogi praeceptum . . . . . » 153
In III Decalogi praeceptum . . . . . » 164
In IV Decalogi praeceptum . . . . . » 173
In VIII Decalogi praeceptum . . . . . » 176
In tractatum *De praeceptis Ecclesiae* . . . . . » 193
In tractatum *De iustitia et iure* . . . . . » 199
In tractatum *De contractibus* . . . . . » 255
In tractatum *De censuris* . . . . . » 292

PARS ALTERA:

In tractatum *De Sacramentis in genere* . . . . . pag. 315
In tractatum *De Baptismo* . . . . . » 359
In tractatum *De Confirmatione* . . . . . » 364
In tractatum *De Eucharistia* . . . . . » 370
In tractatum *De Poenitentia* . . . . . » 380
In tractatum *De Extrema Unctione* . . . . . » 509
In tractatum *De Ordine* . . . . . » 519
In tractatum *De Matrimonio* . . . . . » 521
Index alphabeticus rerum notabilium . . . . . » 565

ERRATA-CORRIGE

PAGINA	LINEA	ERRATA	CORRIGE
7	27	adimatur	adimat
31	32	quem vere	quam vere
39 nota (1)	8	*et ea*	*ad ea*
41	19	misi	nisi
48	5	infirmat	infirmet
62	16	indicium	iudicium
66	17	ordinis aetatis	*adde* etiam haereticos ligare eorumque irritare coniugia, propterea
73	17	patrie	patriae
75	16	*lactiniis*	lacticiniis
115	33	nuptis	nuptiis
124	5	actu	*adde* reiiciat, secunda sententia verum dicit; si autem positivo voluntatis actu
124	31	crimen	crimine
126	27	intruxit	instruxit
127	7	intuito	intuitu
127	8	pertinat	pertinet
144	9	scopulus	scopulos
152	2	ipsi	ipse
177	18	animo fallendi dicas	*dele*
185	5	gravi	gravis
206	6	parte	patre
208	18	onestam	honestam
209	32	qua	quae
252	3	separanter	separantes
295	30	Id dubio	In dubio
297 nota (2)		discriminen	discrimen
305	40	excommunicatione	excommunicationem
322	3	commune	communi
331	11	necessitas	necessitatis
362	28	Ob quam rationem..... non contrahitur (3).	*Expunge totam periodum et notulam.*

PAGINA	LINEA	ERRATA	CORRIGE
366 nota (5)		Missionarium	Missionariorum
400	10	iis is adiunctis	iis in adiunctis
403	30	regula hoc	regula in hoc
445	14	frequentiam	frequentia
454	14	satisfactioni	satisfactionis
462 nota (3)		hoc in canone	hoc canone
468	26	Camillo inscite prorsus	Camillo autem inscite prorsus
480	1	servandi	reservandi
487	32	de reservationis	*dele* de
505	2	accasiones	occasiones
510	36	Sacramento	Sacramenta
511	15	omissa	amissa
540	7	prenunciat	pronunciat
542	32	detrecta	detecta
551	3	Fulvia	Flavia

Leviores mendas missas facimus quas lector facile corriget.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.P19 C001
FACTI SPECIES ET QUAESTIONES DE MORALI
3 0311 00044 2827

WITHDRAWN

45561

BX
1758
.P19

AUTHOR Pagani, Giovanni B.

TITLE FACTI SPECIES ET QUAESTIONES DE RE MORALI

DATE LOANED

BORROWER'S NAME

45561

~~16552~~

3 0311 00044 2827